CURSUS
SCRIPTURAE SACRAE

AUCTORIBUS

R. CORNELY, I. KNABENBAUER, FR. DE HUMMELAUER

aliisque Soc. Iesu presbyteris

S. P. LEO XIII,

UT SANCTITATI SUAE OPUS HOC DEDICARETUR, BENIGNE CONCESSIT.

COMMENTARIORUM IN V. T. PARS III

IN

LIBROS PROPHETICOS

III

EZECHIEL PROPHETA

PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA « CASSETTE », 10

COMMENTARIUS

IN

EZECHIELEM PROPHETAM

AUCTORE

IOSEPHO KNABENBAUER S. I.

Cum approbatione Superiorum



PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA « CASSETTE », 10

1890

LEONI · XIII · PONTIFICI · MAXIMO

COMMENTARIOS · ISAGOGICOS · ET · EXEGETICOS
IN · OMNES · VETERIS · NOVIQVE · TESTAMENTI · SCRIPTVRAS
AD · SANCTORVM · PATRVM
ET · VETVSTIORVM · SCHOLAE · DOCTORVM
IVNIORVMQVE · INTERPRETVM
NORMAM · EXACTOS
ADHIBITIS · VBI · OPVS · FVERIT
RECENTIORVM · SCIENTIARVM · SVBSIDIIS
AVCTORES · OBSEQVENTISSIMI
SVMMO · ATQUE · INERRANTI · DIVINAE · VERITATIS · INTERPRETI
QVI · SINGVLARI · DIGNATIONE · BENIGNITATIS
ID · QVIDQVID · EST · OPERIS
NOMINI · SVO · INSCRIBI · PERMISIT
PIETATIS · ET · IMMOBILIS · FIDEI · PIGNVS · EXHIBENT
SEQVE · AC · SVA · STVDIA · OMNIA
ADDICVNT · DEVOVENT
SEDIS · APOSTOLICAE · DOCTRINAE · ADSERENDAE
SACRARVM · LITERARVM · AVCTORITATI
PRO · VIRIBVS · PROPVGNANDAE

Quum opus, cui titulus est : *Commentarius in Ezechielem Prophetam*, **auctore** P. Iosepho Knabenbauer, **S. I., aliqui eiusdem Societatis theologi, quibus id commissum fuit, recognoverint et edi posse iudicaverint, facultatem concedimus, ut vulgetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.**

In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas et sigillo Societatis nostrae munitas dedimus.

Fesulis die 29 Junii 1889.

L. S.

Ant. M. ANDERLEDY
Praep. Generalis S. I.

IMPRIMATUR.

Parisiis, die 24 Julii 1889.

† FRANCISCUS, Arch. Parisiensis.

LEGENTIBUS S.

Descriptionem templi aedificiorumque eius quae apud Ezechielem cap. 40 et seq. habetur valde difficilem esse intellectu nemo erit qui negaverit. Quae tamen ut quodammodo oculis subiecta evaderet quantum fieri posset plana atque aperta, visum est huic in Ezechielem commentario addere aliquas picturas lineares. Sed solum extrema quaedam lineamenta proponere placuit. Sunt quidem qui, ut olim Villalpandus et aetate nostra Pailloux aliique, templi formam integram atque perfectam magnificis imaginibus exhibeant; at in commentario soli textui Ezechielis esse insistendum existimavi; textus autem in multis obscurus, dubius in pluribus, in aliquibus aperte mendosus, de plurimis omnino silet quae ad absolutam templi aedificiorumque formam necessario desideraveris. Neque quae apud Ezechielem desunt, in descriptione templi salomonici 3 Reg. 6 seq. invenies. Quare cum aliis satius duxi solum exigua quaedam lineamenta describere quae tamen ad verba Ezechielis facilius intelligenda adiumento esse possint. Ex imaginibus quae in recentioribus commentationibus apud Kuhn (studien und Kritiken, 1882 p. 628), Keil, Smend aliosque prostant ea secutus sum quae cum textu congruere mihi videbantur, additis mutatisque nonnullis quae verbis Ezechielis exigi mihi persuaseram.

Multa sunt quibus Ezechielis liber commendatur. Tria paucis commemorabo. Quod cap. 8-11 prophetae in visione obiicitur, id maximam partem in 4 Reg. 25,2 Par. 36, Ier. 52 legimus quomodo ad eventum sit perductum; iam si visionem rei et rei gestae narrationem inter se contuleris, documenta habebis utilia ad visiones et oracula prophetica rite interpretanda. In vaticiniis messianis iterum iterumque ostenditur regnum Messiae regnum fore spirituale; denique tempore illo quo tabernaculum David concidit (Am. 9,11), vates declarat, qua ratione nihilominus consistant promissiones Dei sceptrum a Iuda non recessurum et thronum Davidis fore firmum iugiter (cap. 17. 21).

Cum quaestio pentateuchica hodie multum agitetur, etiam commentario aliqua erant inserenda quibus quae ratio vere intercedat inter Pentateuchum et Ezechielem disputatur.

Scribebam in collegio Ditton Hall, Widnes in Anglia, die festo Omnium Sanctorum 1889

I. Kn.

PROLEGOMENA

I. — De propheta.

Ezechiel יְחֶזְקֵאל explicatur vel Deus est fortis vel Deus confortat; neque immerito monet *Cornelius a Lapide* ad eius nomen alludi 3,8, cum ei a Domino dicatur : ecce, dedi faciem tuam valentiorem חֲזָקִים faciebus eorum... ut adamantem, duriorem חָזָק saxo dedi frontem tuam; nomen a S. Hieronymo declaratur fortitudo vel imperium Dei (ad 47,8; *M*. 25,471). Erat Ezechiel ex genere sacerdotali (1,3). Captivus in terram Chaldaeorum abductus est, quando Ioachin rex post tres menses regni coactus est se tradere Nabuchodonosor regi Babylonis; de qua re vide 4 Reg. 24,10 seq. 2 Par. 36,10. Ier. 29,2. Id accidit undecimo anno ante expugnationem et destructionem urbis, eodem anno quo Sedecias rex est constitutus i. e. anno 599 vel ut alii statuunt 597. Anno quinto transmigrationis, cum in Tel Abib iuxta fluvium Chobar in terra Chaldaeorum versaretur (vide explicationem ad 1,1), magnifica theophania ad munus propheticum divinitus vocatus est. Qua aetate tum fuerit incertum est; sunt qui putent « in trigesimo anno » quod legitur 1,1 referri ad Ezechielis aetatem; de qua re vide quae ad 1,1 disputata sunt. Insignis cernitur Dei benevolentia in exsules et egregium fidelitatis eius documentum quo profitetur se stare promissis neque ullo pacto populum a se esse abiectum, quia in terra aliena medios inter exsules prophetam suscitat. Quid autem vates officio suo praecipue spectare debeat, ex temporum conditione facile colligitur. Vigebat enim eo tempore inter Iudaeos pariter atque inter exsules spes illa fore ut regnum babylonicum mox everteretur, exsules redirent, regnum iudaicum novo splendore surgeret. Talem quippe exspectationem promovebant pseudoprophetae; ita apud Iudaeos Hananias qui quarto anno Sedeciae, proin non diu ante vocationem Ezechielis, ausus erat dicere : adhuc duo anni dierum et ego referri faciam ad locum istum omnia vasa domus Domini quae tulit Nabuchodonosor... et Iechoniam et omnem transmigrationem Iuda qui ingressi sunt in Babylonem ego convertam ad locum istum, ait Dominus; conteram enim iugum regis Babylonis (Ier. 28,3. 4); et quam sedulo eadem spes excitata sit per pseudovates et apud Iudaeos

et apud gentes vicinas quibus iugum Chaldaeorum pariter molestum erat, collige ex Ieremiae verbis : vos ergo nolite audire prophetas vestros et divinos et somniatores et augures et maleficos qui dicunt vobis : non servietis regi Babylonis (Ier. 27,9). Quis dubitabit quin ea quae plebs summopere desiderabat etiam animis paratissimis sint accepta?

Quare Sedecias foedus iniit cum Edomitis, Moabitis, Ammonitis, Phoenicibus ad iugum Chaldaeorum excutiendum (cf. Ier. 27,3 seq.). Sed ut omnem rebellionis suspicionem a se removeret vel si qua iam orta esset apud Nabuchodonosor eam exstingueret et adulatione regem deciperet, Sedecias non solum legationem Babylonem misit (Ier. 29,3), verum ipse quoque anno quarto regni sui profectus est ad aulam regiam (Ier. 51,59). Insuper inter exsules quoque surgebant pseudovates vanam illam fiduciam promoventes quibus avidas aures praebuisse exsules iam ex adagio communi elucet, quia quae quis exoptat ea libentissime credit totoque animo amplectitur. Atque quam alte infixa fuerit ea spes et quam sedulo eam foverint pseudoprophetae, ex epistola patet quam Ieremias misit verbisque gravissimis quibus monet ne fidem deceptoribus adhibeant (Ier. 29,4 seq.).

Ex hac animorum conditione quid propheta praeprimis spectare debuerit manifestum evadit. Spes illa vana debuit destrui; poenam esse exsilium, eamque poenam necessario inflictam propter scelera admissa demonstrari et inculcari debuit, proinde hanc poenam esse subeundam, nullum concedi effugium eam evadendi, solam reponi spem in sincera resipiscentia, Deum suo tempore foedus restituturum. Unde ruinam regni iudaici non solum verbis annuntiat, verum etiam quo omnes sensus vividius percellantur actionibus symbolicis, ut scil. exsules oculis videant et quasi manibus palpent quae verbis descripserat. Ieremias, ut luctum populi et exsilium portenderet, iussus erat caelibem agere vitam (16,2 seq.); Ezechiel in se adimpletam ostendit monitionem Ieremiae ad exsilii diuturnitatem demonstrandam : accipite uxores (Ier. 29,6); sed anno exsilii nono uxor eius subita morte abripitur, quam lugere prohibetur, ut exsulibus sit in portentum fore ut ipsis quoque ne lugere quidem liceat de interitu carissimorum (Ez. 24,16 seq.). Aliis etiam actionibus symbolicis satis dura peragere et subire iubetur (cf. 4,4) et in se quasi partem poenarum pro iniquitatibus populi suscipere; sed Deus fidelem suum ministrum etiam erigit et confortat visionibus praeclaris quibus eum saepius edocet animumque eius recreat. Mittitur, ut contumacibus ac perversis loquatur; at Deus potenti sua virtute ei succurrit (3,8. 9). — Quamdiu officio suo functus fuerit nescimus. Ultimum oraculum quod

in libro exhibetur pronuntiatum fuit anno vigesimo septimo (29,17); proin saltem per 22 annos munus obiit et postmodum librum suum in eum redegit ordinem quem nunc prae manibus habemus. Reliqua quae de eius vita et morte feruntur incerta sunt; varia leguntur apud Ps. Epiphanium, de vitis proph. 9 (*M.* 43,401), Isidorum hispal., de ortu et obitu patrum 75 (*M.* 83,143), Villalpandum, in Ez. explanationes I p. X, Cornelium a Lapide, Calmetum, Trochon, in prolegg. ad comment., Cornely, Introd. II 2 p. 432. 434; praeterea in Actis Bolland. April. I p. 857.

II. — De argumento libri.

In ipsa theophania qua ad munus propheticum vocatur etiam vaticiniorum argumentum symbolis prophetae demonstratur. Apparet enim ei Dominus iis circumdatus signis atque imaginibus quibus se exhibet et vindicem foederis a rebellibus violati et exsecutorem fidelem pacti initi. Unde sermones quoque et actiones prophetae eo continentur et absolvuntur, ut prius ostendat necessitatem et modum castigationis quam Deus populo rebelli et exteris quoque gentibus infliget, deinde autem exhibeat quomodo Deus suis promissis stans foedus semel initum ad culmen et perfectionem sit restituturus. In duas igitur partes liber dividitur, quarum prior post prophetae vocationem et ad munus obeundum eruditionem iudicia Dei in Iudaeos et gentes exteras complectitur (cap. 1-32), altera autem foederis instaurationem exsecutionemque comprehendit (cap. 33-48).

Quasi introductionis loco praemittitur descriptio theophaniae quae ei oblata est et qua discit se vocari ad munus propheticum; simul edocetur de muneris ratione, mitti se scil. ad rebelles et contumaces quare fortis sit et ad Dei nutum fidelis, et annuntiandas esse lamentationes et poenas; at fore ut virtus Dei ipsi assistat, dummodo officio suo non desit (1,1-3,21). Ipsum munus autem aggredi iubetur non sermonibus, sed actionibus, immo perpessionibus in se susceptis. Debet enim obsidionem urbis mox futuram et supplicia ventura vivo quodam modo repraesentare omnibus inspectantibus (3,22-5,4). Hanc prophetiam re et actione expressam sequitur alia sermonibus proposita : Deum spreverunt et coram gentibus ignominia affecerunt; quare ea castigatione punientur, ut omnibus futuri sint terrori et exemplo; cum omnia sint idololatriae crimine foedata, omnia sunt delenda et obduratis peccatoribus multiplex instat Dei vindicis ultio neque ultra differetur (5,5-7,27). Atque quam iuste haec ultio instet, prophetae ostenditur in visione, qua ei quattuor genera foedae idololatriae ab

omnibus ordinibus exercitae proponuntur. Dein cernit quomodo haec ultio in opus deducenda sit : cernit peccatores occidi, servari pios, urbem incendio divinitus immisso conflagrare, gloriam Dei a loco tot sceleribus a sacerdotibus et principibus foedato recedere (cap. 8-11).

Postquam id quod visione percepit exsulibus annuntiavit, ad eius rei confirmationem duplici actione symbolica iis repraesentare iubetur quae futura sit Sedeciae regis sors, captivitas, poena et quae populi calamitas iamiam proxime instans. Ita poena proposita causas quoque poenarum longioribus sermonibus declarat : ostendit enim quomodo pseudovates, viri ac mulieres, mendaciis suis populum decipiant, mores corrumpant turpi lucro inhiantes; ostendit duces populi ac seniores idololatriae occulte deditos; quare quam iusta et necessaria sit poena, iterum probatum est. Eadem necessitas colligitur ex corruptione populi; hanc primo generatim illustrat parabola, qua demonstratur adagium illud : corruptio optimi pessima; dein totum tempus praeteritum populi parabola declarat virginis a Deo in sponsam electae et exornatae quae fidem datam multipliciter ac turpissime fregerit; quare merito gravissimis poenis obiicietur. Neque poenis antea inflictis ad meliorem redierunt frugem ; etiamnum, dum iudicia iam sentiunt in se devolvi, denegant Deo obedientiam neque colla subdere volunt regi Babylonis, qua contumacia ruinam regni et domus davidicae adducent; Dominus autem pro sua fidelitate stirpem servabit domus regiae quae suo tempore denuo florebit. Pro suis quisque sceleribus punietur neque putandum est ullo pacto quemquam innocentem a Deo puniri. Calamitates quas duo reges iam experti sunt et quas populus mox sentiet regnique ruinam carmine prosequitur parabolico, quo simul haec prophetia apte absolvitur (cap. 12-19).

Cum duobus annis ante obsidionem urbis iterum a senioribus interrogaretur de sorte regni iudaici, non aliud habet responsum nisi peccatis commissis ruinam necessario attrahi et solum post ruinam meliora esse speranda. Quod ut per singula prosequatur, denuo temporis totius praeteriti iniquitatem ob oculos ponit; ex quo necessario iudicium Dei consequitur. Iam eo iudicio regnum destruetur sicut saltus incendio vastatus, et gladius Domini qui veniet per Nabuchodonosor stragem edet ingentem. Talis autem ultio iam nequit averti; provocatur enim multiplici populi iniquitate; versa est domus Israel in scoriam; unde scorias oportet mitti in conflatorium, ut absumantur; eiusmodi autem scoriis omnes ordines, prophetae, sacerdotes, duces, plebeii, sint infecti. Immo Iuda plus peccavit quam Samaria; neque regni israelitici exemplo et punitione Iudaei sunt eruditi, verum audacius et impudentius sese in omnia abiecerunt flagitia; quare idem

esse debet exitus, eadem utriusque regni poena. Atque huius exitus initium, urbis obsidionem inceptam, qua demum urbs et regnum destruetur, declarat cap. 24 eo tempore quo obsidione urbs revera cingitur. — Ex qua rerum summa satis elucet quam continuo et graviter dimicaverit contra vanam illam spem quam pseudovates populo adulantes fovebant, quam sedulo studuerit sensus poenitentiae in animis excitare et veras causas docere cur Deus regnum quoque iudaicum disiecturus sit. Ita scil. exsules praeparare conatur ut is exsilii fructus exsistat quem Deus vult consequi.

Iudiciis in populum electum descriptis relinquitur ad notionem Dei ultoris absolvendam, ut iudicia in reliquos hostes Dei regnique Dei describantur. Id fit cap. 25-32. Primo gentibus vicinis, Ammonitis, Moabitis, Edomitis, Philisthaeis eo quod populum Dei vexaverint et de eius ruina laetati sint ruinam denuntiat; dein sermone longiore Phoenicibus quorum opes et commercia carmine egregio prosequitur interitum vaticinatur; demum descripta gloria et superbia Aegypti huic quoque regno insignem imminere a Domino punitionem declarat. Hunc in modum Deus iudex et ultor in inimicos ostensus est. Verum iudicia Dei remota iniquitate in salutem tendunt. Deus sese prophetae exhibuit non solum symbolis ultoris, sed apparet vestitus symbolis pacis quoque et foederis. Unde prout vates in priore parte iam varia inspersit quibus salus promittitur et describitur (v. g. 11, 17; 16,62; 17,22), ita in altera parte foederis instaurationem, salutem, beatitatem adumbrat.

Urbe a Chaldaeis expugnata et destructa et populi parte maiore in exsilium abducta Ezechiel vates a Deo ostensus est veridicus, cui ne obstinatissimi quidem fidem denegare poterant. Unde eo eventu auctoritas eius apud omnes aucta est. Cum illo autem eventu simul vana exsulum spes concidit. Quare nunc quam maxime opportunum erat mentes et oculos dirigere ad instaurationem, ne scil. omni spe abiecta aut nimiae tristitiae et desperationi se committerent aut (quod fere cognatum esse solet) in omnia gentilium vitia et libidines sese proiicerent. Haec autem oracula ad animos consolandos facta vates orditur a descriptione muneris prophetici qua ostendit se tempore praeterito praestitisse quod sibi incumberet; quare dignus est qui etiamnum audiatur; ostendit Deum etsi puniat nolle interitum peccatoris, sed velle ut resipiscat et vivat. Quantopere talis resipiscentia requiratur gravi concione declarat (cap. 33). Quomodo autem Deus populo suo sit subventurus et foedus instauraturus, primo in universum eo exponit, quod Deus punitis pastoribus malis (qui ruinae auctores erant) eisque amotis populum dispersum congregabit, in optimam regionem (in pa-

scua) ducet, bonum pastorem praeficiet, quo gregem Domini pascente summa exsistet felicitas (cap. 34).

Instauratione ita in universum depicta et promissa dein duo adduntur documenta quibus promissio firmetur et omnis dubitatio excludatur. Cum enim ad instaurationem primus gradus sit reditus in Palaestinam, iste reditus promittitur eo ipso quod gentes illas quae regionem palaestinensem interea occupabant inde expulsum iri dicitur (cap. 35. 36). Ne quis vero attenta conditione miserrima populi de gloriosa instauratione dubitet, modo plane eximio vati ostenditur Dei potentia qui populum prostratum ad novam vitam eamque multo meliorem revocare possit (cap. 37). Haec Dei potentia in populum Dei adeo benefica illustri modo exseretur quoque eo quod ultimus regni Dei instaurati hostis clade terribili per Dominum prosternetur; qua victoria Deus gloriam suam gentibus manifestabit, sicuti eam mox reddet conspicuam populo in terram suam reducto (cap. 38. 39).

Uti liber Ezechielis a visione rei summam adumbrante inchoatus est, ita clauditur visione quà argumentum modo tractatum de instauratione symbolice repraesentatur (cap. 40-48). In qua visione tria exhibentur ad restaurationem requisita : templum novum, novus Dei cultus, nova populi in terra sancta habitatio. Uti propheta scil. in parte priore ruinam vaticinatus est verbis propriis et visionibus quibus ruinae symbola repraesentabantur, ita ex aequo instaurationem praedicit verbis, et quae verbis proposuit visione symbolica quoque accipit a Deo illustrata et commendata. Quare hac ultima visione ipse liber Ezechielis magna arte absolvitur; cernitur enim magna concinnitas inter eius initium et finem, inter utriusque libri partis structuram et compositionem.

Cum descriptio templi intellectu sat difficilis sit, non erit abs re iam hic brevem eius proponere conspectum quo aditus paretur ad vatis verba melius ac facilius intelligenda. Cernit templum in altissimo monte aedificatum. Totum aedificium continetur in area quadrata cuius longitudo est cubitorum quingentorum, latitudo eadem. Hoc spatium muro sex cubita crasso circumdatur. Tres sunt ad aedificium aditus : porta scil. orientalis, aquilonaris, meridionalis. Portae hae eadem ratione exstructae sunt. Per septem gradus ascenditur; porta ipsa constituebatur aedificio cubita quinquaginta longo et viginti quinque lato. Si limen ingressus fueris, cernuntur ex utraque parte cubicula tria inter se excipientia quae pariete intermedio separantur et cancellis a via media arceantur, ita ut via media octo cubita lata relinquatur; in exitu portae alterum est limen, dein vestibulum. Cubicula, parietes intermedii, vestibulum fenestris sunt instructa (vide in tabula

adiecta figuram I). Egressus e portis cernis ex utraque earum parte pavimentum stratum lapide et cubicula triginta. Atrium exterius, in quo nunc consistis egressus e porta, tantae est magnitudinis, ut ab exitu portae uniuscuiusque usque ad portam e regione oppositam spatium sit centum cubitorum. Ad atrium interius autem ascenditur per octo gradus; ad id pervenis pariter per tres portas quae e regione priorum collocantur atque eodem modo constructae sunt si unum excipis; scil. vestibulum positum cernis in aditu portae (vide fig. II). Atrium interius area est quadrata cubita centum longa et totidem lata, ita ut a porta eius orientali occidentem versus usque ad sanctuarium cubita centum numerentur.

Ex atrio hoc interiore ascenditur per decem gradus ad sanctuarium, vel templum proprie dictum. Haec domus Domini tribus constat partibus : vestibulo, sancto, sancto sanctorum (vide fig. III); ei adiunctum est ex tribus lateribus (meridionali, occidentali, septemtrionali) aliud aedificium varia habens cubicula. Haec tota structura templi et aedificii adiecti simul cum area quadam lata quinque cubita quae aedificium adiectum circumdat eminet sex cubitis super reliquam aedificationem; eadem ex tribus lateribus iisdem (mer. occid. sept.) circumdata est area altera latitudinis cubitorum viginti qui locus separatus vocatur; praeterea ex parte aquilonari et meridionali adstat aedificium gazophylaciorum eiusdem cum templo ex utraque parte longitudinis, latitudinis autem quinquaginta cubitorum. A sanctuario occidentem versus aliud cernitur aedificium quod nonaginta cubita longum et septuaginta latum est (vide fig. IV). Haec sufficiant, ut totius aedificii quaedam habeatur notio qua singula descriptionis capita facilius intelligantur, de quibus vide infra.

III. — De genere dicendi.

Ex argumento exposito statim efficitur, librum Ezechielis esse apto ordine dispositum. Id recentiores quoque generatim concedunt. At si ordinem rerum consentaneum inveniri non negant, tamen de genere dicendi sat multa habent quae reprehendant; id enim dicunt esse nimis diffusum ac verbosum, languidum et frigidum, molestum et putidum; esse oneratum nimium imaginibus et symbolis; ipsa autem symbola esse egena, modum ea describendi ineptum esse, impeditum, perplexum; deesse veram illam ac divinam mentis incitationem ac permotionem, veram dicendi vim et vigorem, neque huic defectui remedium afferri symbolis illis longe accersitis et multo studio elaboratis; multa apud ipsum non prodere experientiam rerum vitaeque,

sed potius sapere sterilem quandam doctrinam in solitudine et cubiculo acquisitam; proinde eum immerito vocari prophetam; ita praeter aliquos antiquiores, uti *Eichhorn,* Einleitung IV § 550,1824, praesertim recentiores quidam : *Hitzig* (der Prophet Ez. VIII), *Ewald* (die Propheten), *Duhm* (Theologie der Propheten, 1875 p. 209. 252. 259), *Schrader* (Einleitung von de Wette, 8 ed. § 278).

Verum haec immerito et magna cum exaggeratione obiiciuntur. Si propheta frequentius symbolis utitur et actionibus symbolicis, id a re non est alienum. Nam eiusmodi etiam apud prophetas priores inveniuntur; vide Os. cap. 1. 3; Amos cap. 7. 8. 9; Is. cap. 6. 20. Si autem haec frequentiora sunt apud Ezechielem, studium et conatus deprehenditur, quo Deus voluit prophetam omni modo ad duros animos Iudaeorum percellendos uti; quare *verba* quasi iuvantur et confortantur symbolis et rebus exhibitis, quibus mentes obtusae et stupidae excitentur, ad attentionem provocentur et viva quadam rerum et praeteritarum et futurarum figura et forma imbuantur. Sunt enim visiones et actiones symbolicae valida verborum subsidia; doctrina verbis tradita saepe non ita mentibus infigitur neque adeo in memoria haeret; illis autem sensus et imaginandi vis vivide percelluntur; igitur quam maxime valent ad res animis imprimendas. Neque verum est symbola esse egena, male descripta. Quam praeclarae et amplae notiones iis exhibeantur, vide ad cap. 1. 8. 9 etc.; illa esse quandoque difficilia intellectu, nemo negabit; at multa petuntur ex sacra historia anteacta, quae si attente considerantur amplam cogitandi materiam subministrant. Nullo autem modo concedendum est genus dicendi esse languidum. Ubique enim eminet et sua sponte deprehenditur animus vatis fervore plenus, qui obiurgationibus, minis, enumeratione peccatorum populum ad veram adducere vult resipiscentiam et poenitentiam. In hisce adhiberi modum dicendi non brevem, sed uberem et copiosum ex ipsa rei natura enascitur. Quis enim quaeso qui velit animos duros emollire, contumaces frangere, rebelles ad officium et obedientiam reducere, id una alterave sententia satis effici censebit? Israel vocatur domus exasperans; nonne tali populo duro iterum iterumque multis verborum ambagibus ac ponderibus eadem ingerenda sunt?

Prophetam vero agi et impelli vero studio gloriae Dei et sincero amore populi probatione non indiget, cum eius oracula id abunde testentur. Quantopere aemulator exsistat pro Dei gloria, inter alia disce ex loquendi formula toties repetita *et scietis quia ego Iahve* i. e. reipsa experiemini et eventu discetis, Dominum implere quae dixerit, Dominum ostendere suam maiestatem, fidelitatem in poenis et promissis

adimplendis (de qua loquendi ratione vide *Cornely,* Introd. II 2 p. 437). Amorem autem pro populo manifestat non solum in acri reprehensione scelerum, verum etiam in dolore de populi malis, in intercessione pro eis (cf. 11,13). Neque opus erit pluribus demonstrare Ezechielem minime in ritibus externis haerere, sed veram postulare et internam animorum pietatem et sanctitatem; id enim iam patefit acerrimis illis peccatorum reprehensionibus (quas utique quidam insulsas et a culto ingenio abhorrentes existimant!); id luce clarius consequitur eo quod cor novum, spiritum novum, emundationem ab omnibus inquinamentis postulat (11,19; 36,26). Populum omni vi et conatu edocet de vera calamitatum causa, eos abstrahit a vana spe et humana fiducia, in uno Deo et in una pietate omnem reponi salutem constanter verbis et rebus docet. Unde id quod in propheta praecipuum est, egregio modo in Ezechiele cernitur. Reliqua de ornatu et elegantia dicendi, de sublimitate et luminibus dictionis secundo vel tertio vel etiam inferiore loco consistunt neque adeo multum in eis ponderis collocandum est, dummodo argumentum sit divinum et documentis divinis plenum.

Neque tamen desunt aequi rerum aestimatores qui etiam hac in re debitam vati laudem non detrectant. Ita v. g. de eo iudicium fert *Lowth,* vir subacto iudicio satis celeber : « Ezechiel elegantia quidem multo inferior est Ieremia, sublimitate autem vel Isaiae par, sed in genere dissimillimo. Est enim atrox, vehemens, tragicus, totus in δεινώσει; in sensibus elatus, fervidus, acerbus, indignabundus; in imaginibus fecundus, magnificus, truculentus et nonnunquam paene deformis; in dictione grandiloquus, gravis, austerus, horridus et interdum incultus; frequens in repetitionibus, non decoris aut gratiae causa, sed ex indignatione et violentia. Quidquid susceperit tractandum, id sedulo prosequitur, in eo unice haeret defixus, a proposito raro deflectens, ut rerum seriem et iuncturam vix unquam requiras. In ceteris a plerisque vatibus fortasse superatus, sed in eo genere ad quod unice videtur a natura comparatus, nimirum vi, impetu, pondere, granditate nemo ex omni scriptorum numero eum unquam aequavit. Dictio eius satis est perspicua; omnis prope in rebus sita est obscuritas » (de sacra poesi Hebr. prael. 21; edidit J. D. Michaelis, Lipsiae 1815 p. 243). Laudem *sublimitatis* quidem ei concedere non vult qui praelectiones Lowthii edidit J. D. Michaelis : « mihi enim in Ezechiele non sublimitas laudanda, nedum iesaiana, videtur, ut potius in exornandis amplificandisque imaginibus plus artis et luxuriei eum habere dixerim, quam cum impetu et sublimitate poematis consistere potest; perpetuus aliqua ex parte imitator est et tamen novus ac suus,

non grandis, sed ingeniosus; ... novitatem fictionis, multiplicis artis varietatem, fecunditatem ingenii facile admirati, sublimitate tamen non percellemur » (l. c. p. 557. 560). Ex recentissimis *Reuss* iudicat in universum nos magnopere percelli ubertate illa et luxuria imaginum quacum duri quid et asperi et austeri commistum sit; apud eum legi descriptiones valde sublimes quibus non possimus non vehementer percelli, uti cap. 37 de campo pleno ossibus (Gemälde von ergreifender Erhabenheit); alias descriptiones excellere varietate, vigore, dicendi luminibus v. g. de portu et commercio Tyri; alias esse plane atroces, plenas horrore ac portentis v. g. de Gog et Magog; proponi visiones arte summa descriptas v. g. cap. 8-11; neque tamen deesse quae merito displiceant; dictionem esse haud raro diffusam, duram et rudem, obscuram neque satis aequare et exprimere impetum illum quo mens vatis incitetur; quandoque legi similitudines minime venustas, sed crudas et asperas (Geschichte der h. Schriften des A. Test.; 1881 p. 413).

S. Hieronymus in praefatione ad versionem Ez. ita censet : « sermo eius nec satis disertus nec admodum rusticus, sed ex utroque medie temperatus ». Repetito autem eius difficultatis et obscuritatis mentionem facit; commemorat Iudaeorum ea de re traditionem et legem, qua « nisi quis apud eos aetatem sacerdotalis ministerii i. e. tricesimum annum impleverit nec principia Genesis nec Canticum Canticorum nec huius voluminis exordium et finem legere permittitur, ut ad perfectam scientiam et mysticos intellectus plenum humanae naturae tempus accedat » (prooemium in comment. in Ez. *M.* 25,17); praesertim autem de obscuritate visionis de templo cap. 40 seq. conqueritur (*M.* l. c. 370. 447; cf. ep. ad Paulin. *M.* 22,547). In ea vero obscuritate magna esse recondita mysteria libens fatetur vocans eam oraculorum partem oceanum et mysteriorum Dei labyrinthum; simiter *S. Gregorius* naz. eum appellat τὸν τῶν προφητῶν θαυμασιώτατον καὶ ὑψηλότατον, et alio loco τὸν τῶν μεγάλων ἐπόπτην καὶ ἐξηγήτην μυστηρίων καὶ θεαμάτων (*M.* 35,473. 1217) et *Theodoretus* eius prophetiae profunditatem βάθος commendat (in argumento praevio ad comment.).

Praeterea eius dictio formulis quibusdam saepe repetitis aspergitur; « plus centies verba Domini eadem formula כה אמר אדני י haec dicit Dominus inchoantur, verbisque Domini plus octogies inseritur נאם אדני vel נאם י dixit Dominus; plus septuagies recurrit illud *et scietis quia ego Dominus*, plus centies Deus prophetam appellat *fili hominis;* frequentes quoque sunt formulae : חי אני vivo ego, שים פניך pone faciem tuam; manus Domini cecidit super me, oculus meus parcet, aliaeque similes; Israel saepissime

vocatur *domus rebellis*, idololatria *abominationes* etc. » (*Cornely* l. c. p. 451. 452); cf. *Vigouroux*, Manuel biblique, 3 ed. II p. 578. Non pauca apud eum verba leguntur quae alibi frustra quaesieris in litteris sacris; ita בתק 16,40; דלח 32,3. 13; מעה (pro תעה) 13,10; כחל 23,40; כסם 44,20; פכה 47,2; קסכ 17,9; קרם 37,6. 8; שׁשׁא 39,2; שׁשׁה 45,14. Hisce adde vocabula et substantiva : אגף ala exercitus, copiae 12,14; 17,21; 38,4. 6. 9. 22; 39,4; בזק fulgur 1,14; ברום vestis polymita 27,24; גלב tonsor 5,1; דחן holcus (milium) 4,9; הצן arma? currus? 23,24; חיץ paries 13,10; יזע sudor 44,18; משׁי netum, sericum 16,10. 13; נדה et נדן donum 16,33; סרב rebellis 2,6; סלון spina 2,6; 28,24; סרעפה ramus 31,2; פנג cupediae (?) 27,17; צפצפה surculus? salix 17,5; קסת phiala 9,2. 3. 11; שׁאט contemptus 25,6. 15; 36,5.

Vide *Keil*, Einleitung § 77. 6 et qui illa quoque affert *Trochon*, Ézéchiel, Paris 1884 p. 10; etiam plura ab his in medium proferuntur, quae tamen omittenda censui, quia non possunt dici vocabula Ezechieli *propria*, cum formationes eiusdem radicis alibi quoque legantur. Ita כפן ab eis adductum ut vocabulum vati proprium legitur Iob 5,22; 30, 3; similiter ad נצץ vide Eccl. 12,5; ad סחה Is. 5,25. Lament. 3,45; פרח 13,20 res est dubia et insuper notio volandi si accipienda est ex alia usitata cum impetu prorumpendi derivari potest. Neque צרב debuit afferri, cum Prov. 16,27 et iam Lev. 13,23. 28 legatur צרבת vox inde formata, idem dic de רסס propter Cant. 5,2; de גלוס propter 2 Reg. 2,8; de הד propter Is. 16,9. 10. Ier. 25,30; 48,33; 51,14; immerito quoque הפך 16,34 *contrarium* affertur, cum haec vox eiusque notio facile fluat a verbo eodem; immerito טיח 13,12 propter Lev. 14, 12. Is. 44,18. 1 Chron. 29,4; idem dic de פתות 13,19 propter Lev. 2,6. Ceterum per se patet plura ἅπαξ λεγόμενα inveniri iis in capitibus quoque quibus commercium Phoenicum cap. 27 vel res ad aedificandi artem pertinentes tractantur cap. 40 seq., quae enumerare inutile esset. Verba quaedam et locutiones *Delitzsch* ex lingua in cuneiformibus reperta explicat (in editione textus *mas.* lib. Ez. a *Baer* adornata, Lipsiae 1884, p. X-XVIII).

Sed adverti oportet : haec vocabula eo solum sensu propria Ezechieli dici possunt quia in paucis illis libris nobis servatis non reperiuntur. Ceterum illa in usu et consuetudine apud Hebraeos exstitisse quis negabit? unde iis proprium dicendi genus Ezechielis constitui perperam inferres.

Libros sacros qui iam exstiterint diligenti quoque lectione a vate esse pervolutatos, unicuique proditur eius sermone quippe qui plane tinctus sit rebus dictionibusque ex libris mosaicis et prophetis, praesertim Amos, Osee, Isaia, Sophonia, Ieremia depromptis. De eius ad Pentateuchum habitudine tractandum erit explicatius post cap. 40-48 explicata; de locis ad similitudinem aliorum prophetarum efformatis latius agere non erit opus, cum quae intercedat similitudo ex ipsa lectione facile colligi possit; ceterum si libuerit vide *Keil*, Comment. p. 29; *Smend*, der Prophet Ezechiel p. XXIV seq.

In formis grammaticalibus quoque peculiaria quaedam in libro Ez. deprehenduntur. Satis frequens est infinitivus in ה v. g. 5,6; 8,6; 15, 4; 22,3; etiam modus eum formandi aramaicus praeposita littera מ non plane exsulat 17,9 et 36,5; verba ל״א saepius eo modo flectuntur quo ל״ה; apponitur י ad 2 pers. sing. fem. perf., ad participium fem., ad suffixa 2 fem. sing.; אַתִּי pro אַתְּ. Etiam in usu articuli, particulae את aliqua peculiaria adverti possunt; vide *Reinke*, die mess. Weissag. IV 1 p. 7; *Schrader*, Einleitung (8. ed. de Wette) § 278 et praesertim *Smend* l. c. p. XXVIII seq.

Textum *mas.* libri Ezechielis satis esse mendis onustum constat; vide *Kaulen*, Einleitung 2 ed. p. 324. Ad eum emendandum saepius bene inservit versio graeca, de cuius codicibus variisque recensionibus vide quae notavi in comment. Ieremiae p. 12-14. De emendatione textus bene meritus est *Cornill*, das Buch des Propheten Ezechiel, Leipzig 1886, qui apparatum criticum amplissimum ex codicibus graecis, ex versionibus, ex variis editionibus collegit, apte disposuit, diiudicavit; in ipsa autem textus traditi mutatione quandoque nimis audax est et praeceps.

IV. — De commentariis.

In operibus *Origenis* quae ad nos pervenerunt leguntur homiliae quattuordecim in Ez.; *M.* 13,665-768; eas latine reddidit S. Hieronymus et leguntur quoque in eius operibus; *M.* 25,691-786. Praeterea in Origenis operibus exhibentur selecta in Ez. *M.* 768-826 et pauca quaedam in cap. 32. 45; *M.* 17,288. Cum Origenes fere continuo in allegoriis et applicationibus moralibus versetur, haec interpreti parum sunt utilia. Magis utilis est *S. Ephraem* (opera syr. II p. 165-202) cum sensum litteralem haud raro sequatur; at eius adnotationes quae nobis servatae sunt, non ad integrum librum adiiciuntur; aliqua ex Severo et Iacobo edesseno iis inserta sunt. More suo *Theodoretus* (*Theod.*), episcopus cyrensis, sensum litteralem succincte et non raro feliciter exponit; *M.* 81,808-1256. In catena graeca in Ezechielem qua usi sunt Pradus et Villalpandus et ex qua nonnulla in suum commentarium receperunt, recitantur praeter Origenem et Theodoretum (« ex quo prope omnia quae iam latine reddita ac typis excusa circumferuntur in hanc sunt catenam translata, ut multa item ipse Theodoretus ex Polychronio totidem fere verbis in sua scripta contulerat ») praesertim Apollinarius et Polychronius, nonnunquam etiam Basilius, Gregorius nyssenus, Cyrillus alexandrinus et frequentius tres quattuorve alii scriptores quorum nomina non adscribuntur; ex his nomine scholiastae in

suos commentarios multa receperunt Pradus et Villalpandus, sicut etiam ex Apollinario, Polychronio, aliis.

Inter latinos eminet *S. Hieronymus* (*S. Hier.*), qui rogatus a virgine Christi, Eustochio, et ab eadem iterum iterumque incitatus et exoratus si propter obscuritatem libri ab explanatione voluit desistere, nobis reliquit libros quattuordecim commentariorum in Ez.; *M.* 25,15-490; qui commentarii praeter ipsam explanationem multum commendantur iis quae s. doctor ex versionibus graecis LXX, Aquilae, Symmachi, Theodotionis (*Aq. Sym. Theod.*) affert et quae saepius disputat de vocibus hebraeis. De eius meritis vide *Cornely*, Introd. I p. 633 seq. et quae notavi in comment. Is. I p. 21. Pauca attingit sensum litteralem vix tangens et totus in allegorias et morales applicationes exspatians *S. Gregorius* Magnus in homiliis viginti duabus (Ez. 1,1-4,3 et 40,1-49; *M.* 76,785-1072). Ex eius operibus *S. Paterius* excerpsit de testimoniis in Ez. proph. *M.* 79,983-998. Commentarium satis prolixum scripsit *Rhabanus Maurus* rogatus a Lothario Augusto, « prout infirmitas corporis et parvitas ingenii sinit; feci enim non quasi successor papae Gregorii et praedicator plebis Dei supplendo hoc quod ille homiliarum conditione populum docens inchoavit et tamen usque ad finem prophetae non perduxit, sed quasi imitator et discipulus non solum ipsius memorati papae sed et aliorum sanctorum doctorum vestigia sequendo, condens opus non tantum in extremam partem, sed in totum prophetam et singulorum doctorum sententias quorum dicta legi per singula loca simul cum nota nominum eorum posui. Quod autem mihi insuper divina gratia investigare concessit, simul interposui » (*M.* 110, 497; comment. 497-1084). Potissimum sequitur et exprimit S. Hieronymum, ita ut quod de eius in Ieremiam commentario dixi etiam hic valeat : ubicumque vides in commentario meo positum *S. Hier.* possis etiam addere Rhabanum. — Hisce adde ex subsequentibus saeculis *Rupertum* abbatem tuitiensem qui prima duodecim et ultima novem capita fere allegorice tantum explicat (*M.* 167,1419-1498) et *Richardum a S. Victore* qui visiones de cherubim et de templo expositione litterali prosequitur additis etiam tredecim delineationibus ad templi formam et figuram illustrandam (*M.* 196,527-600).

Praeter eos qui integram S. Scripturam illustrarunt[1] (vide *Cornely*, Introd. I p. 657 seq. et meum comment. in Is. I p. 24) praecipue nominandi sunt : *Hector Pintus* (*Pint.*), *Pradus* et *Villalpandus* (*Prad. Vil.*), *Maldonatus* (*Mald.*), *Casp. Sanctius*. De *Pinto* vide quae dixi in

---

1. Quibus usus sim notis accipe : Cornelius a Lapide *Lap.*, Vatablus *Vat.*, Mariana *Mar.*, Menochius *Men.*, Tirinus *Tir.*, Gordonus *Cord.*, Calmet *Calm.*

comm. Is. I p. 23. Ingens opus multiplici eruditione de templo Salomonis, de eius opibus, de mensuris Hebraeorum etc. refertum et tribus voluminibus in fol. constans condiderunt *Pradus* et *Villalpandus* idque figuris illustrarunt. In volumine primo *Pradus* quidem explicat viginti sex prima capita, cap. 27 et 28 exponit *Villalpandus*, qui mortuo interim Prado (idibus ianuariis 1595) reliqua duo volumina absolvit, in quibus de templo et urbe agens cap. 40-42 et nonnulla ex cap. 43. 46 interpretatur. In quam explicationem haud pauca ex catenis graecis manuscriptis esse translata iam supra monui; praeterea rabbinorum interpretationes, praesertim explicationes vocum saepe inseruntur; consuluerunt etiam catenam hebraicam ex veteribus rabbinis concinnatam « quam diligenter investigatam inventamque Romae a fideli interprete pioque sacerdote P. Hieronymus Pradus curavit latine vertendam » (praef. p. XIII). Quare opus hoc etiam ad historiam exegeseos momenti est haud spernendi. Ad explicationem cap. 1-28 opus hoc sine ulla controversia multum affert subsidii. In templi fabrica id inter alia spectatur, ut templum repraesentetur tamquam absolutissimum artis architectonicae specimen, in quo omnes artis huius regulae et normae iam praeoccupatae, inventae, expressae sint, ita ut ipsa aedificii pulchritudo, concinnitas, maiestas non ad humani ingenii inventionem, sed ad divinam sapientiam sit referenda (cf. II p. 16 seq. 412 seq.).

Verum quomodo ex paucis illis lineamentis in libro Ezechielis et in 3 Reg. de templo propositis illa deduci possit magnificentia quam *Vil.* in figuris suis ac descriptionibus tanta liberalitate profundit, fateor cum plerisque me non intelligere. Profitetur *Vil.* de suo conatu gratae posteritatis iudicium exspectari se malle quam suum interponere (praef. I p. XII). Iam quale iudicium tulit grata posteritas? Cornelius a Lapide v. g. notat ad 40, 5 de calami mensura : « ruente hac calami Villalpandi mensura ruit pariter magna pars dimensionum eius in templo ». Calmetus (dictionarium biblicum, in lat. transtulit Mansi, Augustae Vindel. 1759; I p. LXXI) ita : « de commentario Pradi et Villalpandi ait D. Dupin optimum esse omnium quotquot prodierunt in prophetas et descriptionem templi et urbis Ierusalem ibi adornatam eximii operis elogio celebrat. Sed aliis non ea sedet opinio reputantibus quidem templi descriptionem elegantem, magnificam, et ad regulas architecturae Graecorum ac Romanorum exactam, sed minus respondentem iis quae praefert Scriptura in libris Regum et Ezechielis ». Apud *de Backer* (Bibliothèque des écrivains de la Compagnie de Jésus, 1876; III p. 1407) haec leguntur : « on y trouve (dans la description du temple) bien des choses hasardées et d'autres contraires au texte même de la Bible. Villalpand, tout rempli des idées magnifiques qu'il avait puisées dans l'étude de l'architecture grecque et romaine, crut qu'il ne pouvait rien imaginer de

trop grand, de trop somptueux pour un temple dont Dieu était en quelque sorte l'architecte. Aussi lui reproche-t-on d'avoir multiplié les cours et les portiques, et d'avoir prodigué sans mesure les pavés de porphyre, les murailles de marbre de Paros, les vases, les candélabres et les tables d'or pur, etc. Dom Calmet et les commentateurs plus récents d'Ézéchiel sont moins riches que Villalpand dans la description de ce temple et s'approchent plus de la vérité ». Idem iudicium etiam *Hurter* (Nomenclator literarius, Oeniponti 1873; I p. 165) operi suo inseruit depromptum ex Bibliographie universelle (48,497). Et *Trochon* talem de opere illo fert sententiam : « l'ouvrage est rempli d'érudition patristique et rabbinique; mais tout ce que Villalpand a consacré de travail au temple de Jérusalem ne peut plus être d'un grand secours. L'auteur, en voulant conformer l'architecture du temple aux règles suivies par les Grecs et les Romains, a rendu par là même ses studieuses et savantes recherches tout à fait inutiles ».

At suos quoque invenit Villalpandus laudatores. Ut omittam Dupin (de quo supra iam ex Calmeto), Hurter l. c. affert de eo praeconium quod *Dorn* auctor protestans dedit et *Nicolaus Antonius* (Bibliotheca hispana nova, Matriti 1783 I p. 655) opus vocat vere regium; et in opere biographico : Dictionnaire de biographie III p. 1508 (Nouvelle Encyclopédie théologique, publiée par l'abbé Migne, 1851) legitur : « la description de la ville et du temple de Jérusalem est ce qu'il y a de plus estimé dans cet ouvrage ». Recenti tempore etiam exstitit defensor et laudator Villalpandi *Pailloux* S. I. : Monographie du temple de Salomon, Paris 1885.

Omnes facile laudabunt in *Vil.* eruditionem stupendam, ut opus eius v. g. *Rosenmüller* in scholiis ad Ez. vocat multifaria eruditione refertum et ad antiquitatis studium utilissimum; at alia est quaestio sitne utile ad templum Salomonis et Ezechielis describendum.

Ex recentioribus nominandus est *Trochon :* les Prophètes. Ezechiel, Paris 1884, qui librum propheticum adnotationibus utilibus instruxit. Vaticinia messianica explicarunt *Bade* (Christologie des A. T. III 2 p. 43; Münster 1852), *Reinke* (Messianische Weissag. IV 1 p. 1 seq.; Giessen 1862.), *G. K. Mayer* (die Mess. Weiss. bei Ier. und Ez.; Wien 1865). Ordinem libri et dispositionem exhibet *Neteler,* Gliederung des Proph. Ez. Münster 1870; de libri argumento latius ipse tractavi in Stimmen aus Maria-Laach; vol. XVII et XVIII; Freiburgi. Br. 1879-1880.

Commentarios a protestantibus editos accurate recensitos invenies apud *Rosenmüller,* scholia in Ez., *Keil,* Einleitung, *Schroeder,* der Prophet Hesekiel, Bielefeld und Leipzig 1873 p. 27. 28. Ex iis praecipua mentione digni sunt *Schroeder* (*Schr.*), *Keil,* bibl. Commentar über den Proph. Ez. Leipzig 1882, 2 ed.; ex rationalistis *Hitzig* (*Hitz.*),

der Prophet Ez. Leipzig 1847, *Smend* (*Sm.*), der Proph. Ez. Leipzig 1880. *Cornill* (*C.*) commentarium quidem non scripsit, at in libro suo : das Buch des Proph. Ez. Leipzig 1886. prolegomena praebet amplissima : de versione LXX virali eiusque codicibus; de versionibus ex ea derivatis (vet. lat. copt. aeth. arm. syro-hex. arab. slav.), de citationibus apud SS. PP.; de recensionibus Luciani, Hesychii, Eusebii et Pamphili; de versionibus Aquilae, Symmachi, Theodotionis; de paraphrasi chaldaica; de versione syriaca; de vulgata. Ex hisce apparatu critico amplissime collecto textum Ez. restituere studet hebraicum; sed ut *Cornely* (Introd. II 2 p. 465) recte dicit : « suis coniecturis nimium tribuens »; idem *Kaulen* (Einleitung, Freiburg; 2 ed.) censet eum nimium indulsisse coniecturis faciendis. Addita est textui critice statuto versio germanica. Subsidiis exegeticis quoque adnumerandum est opus a *Field* editum : Origenis Hexaplorum quae supersunt, Oxoniae 1875, t. II.

De templo ab Ez. viso praeter *Villalpandum*, de quo supra, speciali ratione tractarunt : *Sturmius*, Sciagraphia templi... praesertim ex visione Ez.; Lipsiae 1694; legitur quoque in *Ugolini*, Thes. t. 8 versus finem; *Lundius*, die jüdischen Heiligthümer 1711; et recentissime *Pailloux* S. I. (*Pail.*), Monographie du temple de Salomon, Paris 1885; in fol. cum figuris splendide expressis; *Th. Friedrich*, Tempel und Palast Salomo's, Innsbruck 1887. — Aliorum opera enumerata habes apud *Rosenmüller* l. c. II. p. 570 seq.; Realencyklopaedie für protest. Theologie und Kirche, 2. ed. t. 15 p. 281.

LIBER EZECHIELIS

Propheta de munere obeundo edocetur 1, 1-3, 21.

Arg. — Anno quinto transmigrationis Ioachin Ezechiel inter exsules degens coelesti visione ad munus vocatur propheticum. Obiicitur enim menti eius species quaedam turbinis, nubis, ignis venientium ab aquilone; in quorum medio cernit currum maiestatis divinae, scil. quattuor cherubim et quattuor rotas et supra cherubim et rotas thronum regalem, in quo throno sedentem quendam specie humana indutum conspicit (1,1-28). Hac visione perterritus in terram pronus cadit, sed virtute divina erigitur et se vocari ad munus propheticum edocetur; de ratione autem muneris ei aperitur, quod ad rebelles ac contumaces mittatur, quare fortis sit ac fidelis oporteat, et quod lamentationes et vae debeat annuntiare, id quod actione quoque symbolica manifestatur (2,1-3,7). Ad munus hoc rite subeundum ei virtus ac fortitudo a Domino promittitur; edocetur de officio vatis scil. speculatoris, de suae missionis ac legationis sanctione, fructu, mercede, vel si negligens fuerit de poena (3,8-21).

a) **De tempore vocationis 1, 1-3.**

Primis 3 versibus tempus designatur et quinquies magna cum emphasi effertur *verbum* Domini et eius *manum* factam esse super Ezechielem in terra alienigenarum, in medio exsulum i. e. Deum esse locutum et magna quadam virtute ac potentia divina Ezechielem esse correptum et in se expertum esse impulsum quendam divinum et ecstasin qua divinitus immissa perceperit. Neque immerito quinquies monet id evenisse in terra aliena. In ea enim re non potest non cerni peculiare divinae benignitatis in exsules documentum. Licet enim foedifragi eiecti essent a Domino e terra foederis et hereditatis Domini in regionem alienam, Dominus tamen se non abiecisse populum suum, sed modo et animo paterno eum castigare, erudire, ad frugem meliorem adducere ostendit eo quod in terra quoque aliena prophetam populo suo suscitat. Unde ea vocatio pignus est gratiae ac benignitatis

divinae, qua Deus foederis custos fidelissimus etiam exsules prosequitur. Neque a vero aberrabimus, si in illa mentione quinquies facta etiam admirationem prophetae depingi dixerimus, qui cum Deum peculiari ratione se manifestare sciret in templo et in terra hereditatis suae, non sine stupore etiam in regione immunda apparere gloriam Dei quasi in suo templo animadverterit; quos enim Deus e terra sua eiicit, hos proiicere dicitur *a facie sua* vel auferre a facie sua (4 Reg. 17,20. 23; 23,27; 24,20. 2 Par. 30,9); unde peculiari mentione et admiratione dignum erat, quod eiectis quoque faciem ostenderet eosque benigne visitaret suscitans prophetam. Ipsum autem prophetam insigni theophania quae menti eius vel etiam oculis corporeis offertur certissimum reddere vult Deus de vocatione superna et officio divinitus collato. Atque talis firmissima animi persuasio erat necessaria, ut mediis in difficultatibus animo imperturbato ac forti munere suo fungi posset; ex ea enim certus de divina vocatione solatium hausit ac fortitudinem.

Quare diem illum faustissimum accurata temporis determinatione designat: v. 1 « *Et factum est in trigesimo anno, in quarto, in quinta mensis, cum essem in medio captivorum iuxta fluvium Chobar aperti sunt coeli et vidi visiones Dei;* v. 2 *in quinta mensis, ipse est annus quintus transmigrationis regis Ioachin,* v. 3 *factum est verbum Domini ad Ezechielem filium Buzi sacerdotem in terra Chaldaeorum secus flumen Chobar et facta est super eum ibi manus Domini* »; — quamvis et apud LXX et apud *Syrum* eodem modo quo in hebr. et in *vulg.* legatur, textus vulnere quodam laborat; in v. 1 non additur qui sit ille annus trigesimus, cum tamen nullibi talis occurrat aetas quae per se sine ulla ulteriore declaratione innotescat; in v. 2 autem deest quod necessario addi debuit, quotus fuerit mensis. Id erit ex v. 1 supplendum; unde hanc temporis determinationem accipimus: in quarto mense quinto die mensis anno quinto transmigrationis Ioachin; qui annus erit annus 594 vel 592 a. Ch. In medio exsulum *in terra Chaldaeorum* erat Ezechiel; unde Chobar fluvius non erit cum *Hitz. Keil, Reuss* aliisque quaerendus in Mesopotamia superiore ac si esset fluvius Chaboras qui apud Circesium in Euphraten influit, sed erit fluvius vel canalis[1] in Babylonia (cf. *Schrader,* Keilinschr. u. A. T. ad h. l.; *Cornely,* Introd. II 2 p. 433). Nam praeter *terram Chaldaeorum* i. e. Baby-

1. *Brunengo* cum G. Rawlinson probabile censet intelligi nahr-malcha, flumen regium magnum illum canalem quo Nabuchodonosor Euphraten et Tigridem inter se coniunxit; tempore Plinii (hist. nat. 6, 26) istum canalem a Gobar, provinciae praefecto, esse factum putabatur; cf. *Brunengo*, l'impero di Babilonia e di Ninive, II p. 264.

loniam ter commemoratur Nabuchodonosor regem traduxisse Iudaeos in *Babel* sub rege Ioachin (4 Reg. 24,15 bis et 16); de transportatione in Mesopotamiam septemtrionalem nihil est notum. Dicuntur *coeli aperti* vel eo quia visio ei oblata quasi coelitus delapsa consideratur, ita ut coelo quasi aperto ei visio rei coelestis et alias coelo inclusae exhibeatur, vel quod aether igne et splendore coruscans speciem discissi coeli praebet; prius *Mald.*, alterum *Malv. Tir.* censent; sim. *Prad.* vult vate spectante totum aërem crebris fulguribus irradiatum fuisse, sed media sui parte tam splendenti luce completum, ut coelum discissum videretur. Cum de re agatur *visione* vel imaginaria vel corporali proposita, nihil prohibemur, quominus verba sensu obvio capiamus, vati ostensum esse firmamentum quasi discindi, hoc enim est populari modo coelum aperiri, quo intelligat rem visam sibi afferri coelitus. Cernit *visiones Dei*, quae scil. a Deo obiectae res divinas et coelestes exhibent; eo sensu dici possunt praestantissimae, non tamen quasi Dei nomen ad solam excellentiam declarandam adhiberetur (*Prad. Lap. Men.*). Hoc loco eo rectius visiones vocantur Dei, quia, ut *Theod.* notat, non quidem essentiam Dei vidit, sed revelationem quandam et veluti expressam effigiem, quae ab humana natura comprehendi posset. Post generalem illam locutionis divinae significationem v. 3 quae frequens est in omni prophetica communicatione *factum est verbum Domini* additur specialis designatio : *facta est ibi super eum manus Domini;* « manus symbolum est vis et energiae; unde manus Domini erit virtus praepotens et spiritus efficacissimus; fieri autem manum Domini super aliquem est ostendisse in illo Deum suam potentiam vel communicando illi energiam seu spiritum divinum, quo indutus admiranda vel loquatur vel faciat » (*Prad.*). Hic vero speciatim intelligi debet cum *Lap.* impulsus divinus elevans et roborans prophetam ad videnda mysteria (*Tir.*) et divini spiritus efficacia qua mens Ezechielis ad visionem percipiendam disponebatur; vide 3,22; 8,1; 33, 22; 37,1; 40,1.

Quis ille sit annus trigesimus v. 1, vario modo inquisierunt. *Chald.* annum esse vult ab invento libro legis in templo; item *S. Hier.* et aliqui recentiores (*Vat. Calm. Grotius, Ideler, Haevernick*); cf. 4 Reg. 22,3 seq. 2 Par. 34,15; ad eundem eventum refert *Theod.* explicans de 30 anno captivitatis vel transmigrationis praenuntiatae; item *Mald.;* verum obstat nullibi talem indicari temporis computationem, neque eam amplius ab Ezechiele adhiberi, ut iam *Prad.* contra eam sententiam excipit. Alii esse annum 30 a iubilaeo praecedente censebant, quam opinionem a plerisque teneri *S. Hier.* affirmat, eam quoque affert *Theod.*, at uterque eam reiicit; eandem ex recentioribus *Hitz.* resuscitavit. At de ea computandi ra-

tione pariter nihil notum est. Unde alii annum referunt ad aetatem ipsius prophetae; ita iam *S. Ephr.* qui advertit hanc aetatem esse perfectam eique gratiam doctrinae et sacerdotium credi et ea aetate quasi praeludi Christo qui etiam anno 30 ad baptismum venerit et ad praedicandum et ad miracula patranda. Anno 30 aetatis levitae ministeriis suis plene fungi coeperunt Num. 4,30; eodem anno S. Ioannes Baptista officio praecursoris fungi coepit et secundum rabbinos eodem anno munus docendi obiri poterat. Cum Ezechiel esset sacerdos, eo anno officium sacerdotale aggredi potuisset, si in urbe Ierusalem fuisset; quod cum exsul non posset, eo anno se sensit ad munus propheticum assumptum. His et similibus rationibus eam opinionem commendant. Eam proponunt *Origenes* (hom. in Ez. 1; *M.* 25,698 inter opera S. Hier.), *S. Hier.* in prologo ad versionem Ez. (*M.* 28,937) sed in commentario eam plane repudiat, *S. Gregorius* (hom. in Ez. 2; *M.* 76,795) et ex recentioribus plures quos v. g. *Troch.* recenset : Hengstenberg, Fairbairn, Schroeder, Faussett, Currey; neque abnuit *Cornely* l. c. et ex eo quod sit Ezechiel sacerdos, etiam *Kueper* ei opinioni accedit (das Prophetenthum des A. B. p. 323) et *Plumptre* (Expositor, 2 series 7 vol. 1884 p. 2). Eandem sententiam ita persuadere nititur *Klostermann* (Studien und Kritiken, 1877 p. 408 seq.), ut dicat ante v. 1 varia quae de vita Ezechielis ab ipso fuissent conscripta esse omissa et abscissa ab iis qui librum hunc in canonem retulerint et ab eisdem explicationis gratia pro illis additos esse versus 2 et 3, qui eo quoque quia de Ezechiele in 3 persona sermo fiat contra v. 1 et 4, iam spurii declarentur; ita quoque facile explicari cur liber incipiat a ויהי *et* factum est; id iam pro acumine ingenii *Spinozam* deprehendisse. Sed si hoc ita esset, illi viri utique satis inepte prius textum mutilassent, ita ut iam non posset intelligi; dein ad mutilationem sanandam duos versus adiecissent; sed quis hoc credet?

Sermonem esse de aetate Ezechielis *Prad.* reiicit, « quoniam nusquam apud sacros auctores talis mos fuit ab ortu suo vaticinii tempora designare ». Et sane numerus ita nude positus semper erit offensioni. Ipse *Prad.* annum referri censet ad aeram uti dicunt chaldaicam scil. ad annum Nabopolassar primum, quo caput aerae constituatur; idque ex eo suadere nititur quod saepius anni adduntur e republica iudaica et ex alia dynastia, uti aliquoties apud Ieremiam (25,1; 32,1). Eandem sententiam adoptarunt *Lap. Tir. Loch, Troch.*, at talem computandi modum exstitisse minime est notum, neque numerus ita nude poni potuit [1]. Viam faciliorem init *Cornill,* dum v. 1 integrum delet et solum *quartum* mensem ad v. 2 adscribit ex priore. Versus hos priores non esse sine vulnere iam exponit *Houbigantius;* offensioni est illa personae mutatio; nomen prophetae ex analogia exspectatur statim ab initio. Unde bene *Houbig.* : « difficile est non sentire in primo limine perturbationem rerum et verborum; Ezechiel loquitur de se prima persona

---

1. Neque potest ut *Smend* vult provocari ad Neh. 1,1, quia 2,1 clare exhibetur intelligi annos Artaxerxis regis.

ego.. vidi; versu 3 non iam propheta de se, sed alius de ipso loquitur; in v. 4 redit oratio ad primam personam. Verus ordo est, ut tituli loco narretur fuisse verbum Domini ad Ezechielem, atque adeo primo loco ponatur v. 3; deinde ut scribendi exordium sumat Ezechiel versibus 1 et 2 ». Scite etiam notat parum credibile esse prophetam scripsisse anno 30, nec addidisse unde initium sumpserint anni triginta, cum praesertim infra memorans annum quintum subdat continenter, a quo anno sit ille annus quintus. Coniicit pro ויהי legendum esse ואהי *et eram* in anno 30 « saepe י pro א scriptum fuit errore librariorum et quoniam multi libri sacri initium sumunt a ויהי facillimum fuit ad illud aberrare ». Sed dubito, num hebr. dicatur : eram in trigesimo anno. Ceterum ita legi vult *Houbig* : eram in 30 anno, et erat anno quinto transmigrationis Ioachin, mense quarto, quinta mensis, cum essem in medio exsulum iuxta fluvium Chobar et aperti sunt coeli et vidi visiones Dei; tum v. 4 sequitur, dum v. 3 in exordio collocat. Haec collocatio praeferenda videtur prae illa omissione quam *Cornill* vult; cum enim et LXX et *Syrus* et *Chald.* versum 1 habeant, audacius est eum delere nulla adducta ratione quomodo ortus sit vel unde depromptus. *Merx* putavit versum olim in fine libri collocatum fuisse et per errorem ad initium esse translatum; sed etiam in fine eo modo quo legitur non potest intelligi.

b) Describitur theophania 1, 4-28.

Quae fuerint visiones Dei (v. 1), explicare incipit : tempestate quadam ac turbine nubes affertur ab aquilone, in cuius medio vel nucleo ignis cernitur, cuius splendor in nube quaquaversus diffunditur : v. 4 « *Et vidi et ecce ventus turbinis veniebat ab aquilone et nubes magna et ignis involvens et splendor in circuitu eius, et de medio eius quasi species electri, id est de medio ignis* »; — orditur a generali descriptione sicut ei species a longinquo offerebatur; in nube advertit ignem *sese involventem* seu conglomeratum, ergo flammarum volumina densa et sese reciprocantia; dictio haec solum legitur hic et Ex. 9,24 in narratione de grandine et igneis globulis in Aegyptios immissis. Ex igne illo splendor diffunditur in nubem. In medio autem igne apparebat *species electri* i. e. aspectus praebebatur metalli ex auro et argento misti, ita ut in medio igne splendor quidam excellentior ac purior quasi ex auro et argento splendescens adverteretur. Vocem חַשְׁמַל LXX, *vulg.* vertunt *electrum* i. e. metallum valde splendescens, ex auro et argento mistum; cui explicationi ex recentioribus *Smend* accedit; alii generatim vertunt vel aurichalcum vel metallum candens atque fulgens (cf. v. 7). De vocis etymologia multa et varia proponuntur (vide v. g. *Schroeder*), at omnia plane incerta, quibus immorari non libet [1].

---

1. *Frid. Delitzsch* haec notat ad vocem : « in tabellis victricibus Tuthmesi III inter rui-

Quo propius ei visio offertur, eo clarius eam percipit; cernit scil. in medio splendore imaginem vel formam et figuram quattuor animantium v. 5 « *et in medio eius similitudo quattuor animalium; et hic aspectus eorum : similitudo hominis in eis;* v. 6 *quattuor facies uni et quattuor pennae uni* »; — cf. v. 10; *facies* פָּנִים plerique explicant de vultu, de facie proprie dicta; at vox hebr. aliam quoque admittit significationem qua non opus est fingere sibi in uno capite vultus quattuor, vel quod adhuc magis esset portentosum, in uno collo quattuor diversa capita vel quattuor colla et totidem capita. Verum iam *Prad.* scite observat *formas* reddi oportere pro faciebus, « unumquodque enim unico tantum capite unicoque vultu erat praeditum, quaternis autem formis animalium insignitum; nam facies hoc loco forma est seu figura, aspectus similitudo, non vultus ». Idem proposuit *Pererius* (in Apoc. cap. 4 disput. 18; vide apud *Lap. Men. Tir.*), *Grotius*, et recentiori tempore *Troch.* et praesertim *Vigouroux* (la Bible et les découvertes modernes, 3 ed. IV p. 334. 340 seq.) et *Friedrich* (Tempel und Palast Salomo's p. 27). Quae explicatio cum usu vocis פָּנִים omnino conciliari potest; est enim eius notio, ut pars visibilis et exterior rei vel hominis designetur et quod *Prad.* asserit significari habitum, aspectum, dispositionem, figuram, formam etiam a lexicographis recentioribus comprobatur (cf. *Ges.* Thes. p. 1110. *Fürst* s. v. *Mühlau und Volck*). Commendatur autem primo ex eo, quia unicuique animanti quattuor attribuere vultus, iam per se est rem fingere portentosam nimis; unde si modus simplicior suppetit, ille erit praeferendus; unde etiam *Lap.* quamvis non ei sententiae accedat, eam tamen quia inconcinnum illud ac monstruosum de pluribus faciebus evitat (nam « sic pinguntur cum pluribus faciebus et capitibus Proserpina, Cerberus, Hydra aliaque monstra »), vocat sententiam ingeniosam, concinnam, plausibilem. Accedit secundo ratio ex arte assyro-chaldaica; eiusmodi enim imagines effossae sunt quae multum descriptioni huic similes sunt; statuae scil. cum vultu humano, alatae, ceterum leonis vel bovis figuram referentes, quibus ipsum quoque nomen *Kirub* inditum esse a nonnullis certo affirmatur[1]; ita a *Delitzsch*, Wo lag das Paradies

---

nas karnakenses conspicuis spolia et tributa Mesopotamiae (Neheren) enumerantur, in his metallum quoddam nomine ASMER, *asmal* quocum Ebers (Deutsch-morgenländische Zeitschrift XXXI, 454) eam vocem comparat, vitrum metallicum (émail) intelligens. Nos utroque cum nomine assyriacum êsmarû comparandum esse arbitramur »; dein refert hoc metallum referri simul cum auro, argento, thesauris, gemmis, insignibus regiis quae Asurbanipal expugnatis Susis e gaza eius urbis asportavit (Liber Ezechielis, textum mas. expressit *Baer*, Leipzig 1884 p. XII).

1. *Lenormant* (les Origines de l'histoire I. p. 118) : « pour les Chaldéo-Assyriens du X°

p. 154, a *Vigouroux* l. c. Sed quidquid sit de ipso nomine *Kirub* quod magnum quendam et sublimem significare dicunt, eiusmodi simulacra forma sua qua aliquid humani praeferunt in facie ornata, aliquid aquilae in magnis alis, aliquid leonis vel bovis in reliqua corporis figura, proxime accedunt ad Ezechielis descriptionem, et cum ea in terra in qua exsules commorabantur tales figurae adfuerint, non est improbabile visionem quae ex rebus notis semper petitur simili quodam modo esse efformatam. Ne autem obieceris Deo esse indignum simulacra quaedam gentilium in suos convertere usus, in mentem tibi reduc, in rebus, ritibus, caerimoniis sacris Iudaeorum haud pauca praecipi et inveniri, quae cum rebus aegyptiacis maximam habent similitudinem; cogita de ipsa arca Domini et de arca Amon idoli; alia lege apud *Cornely,* Introd. II 1 p. 60-62. Neque tertia spernenda est ratio quam *Prad.* ex v. 9 petit : unumquodque coram facie sua ambulabat, « ex quo fit unicum tantum os seu vultum habuisse singula animantia; alioquin si quattuor haberent vultus, cum omnes ex aequo sint facies, nullus eorum diceretur facies sua; nulla est enim maior ratio de una quam de reliquis; neque moveri posset antrorsum, si coram facie sua ambulabat, quoniam cum quaternas haberet facies ad totidem regiones spectantes, versus omnes procedere debuisset, ut coram facie sua ambularet ».

Effigiei in monumentis assyriacis conspicuae etiam ulterior respondet descriptio v. 7 « *pedes eorum pedes recti et planta pedis eorum quasi planta pedis vituli et scintillae quasi aspectus aeris candentis* »; — hebr. *fulgentes* vel coruscantes sicut aspectus vel species, fulgor (proprie hebr. *oculus*) aeris flammantis vel pellucidi (*Schr.*) vel politi (*Sm.*). Audi *Vigouroux* l. c. p. 344 : « les cuisses et les jambes des Kirubi, vues par devant, dans le sens où ils semblent marcher, sont droites, et leurs pieds sont des pieds de taureaux. Si l'on regarde les originaux, transportés des palais de Sargon au Louvre, on voit que leurs pieds sont luisants comme l'airain poli ». Ita quoque in hebr. iungendum, ut scil. *fulgentes* dicantur pedes; neque obstat רגל saepe adhiberi tamquam nomen fem.; nam uti habet pluralem in forma mascul. ita quoque eodem genere grammat. usurpatur; cf. Ier. 13,16. Simili modo legitur Apoc. 1,15 : « et pedes eius similes aurichalco (χαλκολιβάνῳ) sicut in camino ardenti ». Praeterea ipsa descriptionis serie, qua singula membra recensentur, exigitur ut aliquid dicatur non de tota figura (ut vult *Sm.*) sed de pedibus (*Mald. Mar. Malv. Lap. Men. Tir. Loch, Troch. Schr. Keil*).

---

au V[e] siècle avant notre ère le Kiroub était le taureau ailé à tête humaine »; cf. *Schrader,* Keilinschr u. A. T. ad Gen. 3, 24.

Porro v. 8 « *et manus hominis sub pennis eorum in quattuor partibus et facies et pennas per quattuor partes habebant* »; — communiter intelligunt unicuique fuisse, uti quattuor pennas, ita quoque manus quattuor (*Rich. Serranus, Alcazar, Lap. Men. Loch, Keil, Sm.*); alii malunt bina brachia vel binas manus cuique tribuere (*Prad. Tir.*); alii multo liberaliores cuique tribuunt sedecim (*Mald.*). Ceterum uti textus hebr. legitur, res aliter quoque capi potest; legitur scil. *et manus eius, hominis* id quod explicare poteris : manus animantis erat manus hominis et talis visebatur sub pennis eorum versus quattuor latera, non uniuscuiusque, sed totius apparitionis, ita ut in tota specie oblata quattuor cernerentur manus. Nam in quattuor lateribus cuiusque manum fingere, nimis mirum videtur; esset scil. cogitanda manus in parte dextera et sinistra, in parte anteriore et posteriore. Sufficit, ut dicamus vatem solum *vidisse* in specie oblata quattuor manus; nihil inde definitur de numero manuum uniuscuiusque. Etiam LXX praebent καὶ χεὶρ ἀνθρώπου etc. Quod sequitur in hebr. *et facies et pennae eorum in quattuor illis*, considera tamquam absolute positum et subsequenti descriptioni alarum et formarum (facierum) v. 9-13 praemissum. Nam cur denuo repetatur habuisse facies et pennas, non perspicitur, neque ea repetitione ea recoluntur ut *Keil* vult quae hucusque dicta sunt; plura enim dicta sunt et hac sententia solum v. 6 repetitur. Cum LXX hanc partem non exhibeant, melius erit verba illa ex textu expungere; nam quomodocumque rem verteris, semper abundant, neque si dempseris quidquam deest.

Maior quoque ordo et concinnitas apud LXX cernitur, cum statim descriptio subdatur facierum et postea alarum; in textu hebr. autem primo proponitur pars quaedam descriptionis alarum v. 9, cui adiungitur pars quaedam ex v. 12 praeoccupata, dein sequitur adumbratio facierum, tum altera de pennis pars; unde apertum est in hebr. et *vulg.*, uti apud *Syrum* quoque et *Chald.* ordinem esse interturbatum et textum meliorem apud LXX servari. In hebr. et *vulg.* aliquid de pennis additur v. 9 « *iunctaeque erant pennae eorum alterius ad alterum* »; — i. e. ala sinistra cherubini qui erat a dexteris tangebat alam dexteram cherubini qui erat a sinistris (*Men.*), ita duo priores et duo posteriores cherubini inter se alis tangebant (*Lap.*); quod additur : « *non revertebantur cum incederent, sed unumquodque ante faciem suam gradiebatur* »; — vide ad v. 12 ex quo loco praeoccupatum videtur.

Iam describuntur quattuor formae vel species quibus induebantur v. 10 « *similitudo autem vultus eorum : facies hominis et facies leonis a dextris ipsorum quattuor; facies autem bovis a sinistris ipsorum*

quattuor et facies aquilae desuper ipsorum quattuor »; — *desuper* non adest neque in hebr. neque apud LXX vel *Syrum* vel *Chald.* et omnino est negligendum. Ex varia parte visi cherubini variam similitudinem aspectumque varium praebebant; a dextris et a sinistris poteris cum *Prad.* explicare hac illac; hominem referebant in vultu humano, leonem in iuba colloque, et fortasse in reliqui corporis forma exceptis pedibus quibus bovis figura repraesentabatur; in alis aquila referebatur. Cum anterior pars quae primum conspiciebatur vultu et pectore humano sit insignis censenda, uti est in effigierum forma assyriaca, intelligitur, cur v. 5 descriptio inchoata sit a vocibus : similitudo hominis in eis. Uti v. 6 facies et pennae simul efferebantur, ita nunc post facies transit vates ad pennas accuratius delineandas v. 11 « *facies eorum et pennae eorum extentae desuper; duae pennae singulorum iungebantur et duae tegebant corpora eorum* »; — dele *facies eorum* in hebr. quae verba a LXX non praebentur et absoluta descriptione formarum vel facierum plane redundant, praesertim cum intelligatur quidem quomodo alae sint extentae desuper, minime vero, quomodo facies vel formae extendantur desuper. Ergo duae pennae extendebantur sursum et hae (cf. v. 6) iungebantur alis aliorum; duae aliae demittebantur ad corpora tegenda. Cum de iunctione hic demum apte sermo fiat, denuo patet, in textu hebr. versum 9 abundare et seriem descriptionis turbare. Ex qua descriptione etiam satis declaratur, cur vocentur חַיּוֹת *animalia* vel animantia.

Descriptis animalibus subditur, quali motu regantur v. 12 « *et unumquodque eorum coram facie sua ambulabat; ubi erat impetus spiritus illuc gradiebantur, nec revertebantur cum ambularent* »; — proprie ex hebr. versus regionem faciei oppositam i. e. recta, in directum ambulabant; in quam partem impellebantur a spiritu, in eandem tendebant. Spiritum explica non de propria eorum voluntate sed de vi, impulsu, energia impressa a superiore auriga (*Prad. Mald. Malv. Lap. Tir. Gord. Loch, Troch.*); Dei spiritu dirigebantur; singularis est explicatio *Calm.* de vento. Recta tendebant, ita ut non sese verterent neque unquam retrocederent (*Prad.*). Qua promptitudine et constantia impetum spiritus sint secuta animantia, apposite declaratur. Dein additur qua ratione in ipso motu cernantur v. 13 « *et similitudo animalium : aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium et quasi aspectus lampadarum* »; — *similitudo animalium* iterum absolute praemittitur; cf. v. 8; explica : et quod spectat ad formam vel figuram animalium, vel ad speciem quam referebant, erant flammei coloris, ita ut tota ignita esse viderentur (*Mald.*). Et ut ipsa erant splendida et lucentia, ita inter ipsa, in medio eorum quoque cerneba-

tur ignis discurrens : « *haec erat visio discurrens in medio animalium, splendor ignis et de igne fulgur egrediens* » ; — hebr. *hic* (scil. ignis) *discurrebat in medio animalium et splendor igni erat* (*Mar. Mald.*). Quod ergo a longe conspectum videbatur vati ignis involvens (v. 4) et splendor et species electri, iam propius inspicienti manifestatur tamquam splendor animalium et ignis splendescens inter ea, ex quo igne fulgura emitti videbantur. Unde ipse motus animalium speciem quandam fulgetri induit v. 14 « *et animalia ibant et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis* » ; — ire, reverti i. e. huc illuc ibant secundum impulsum spiritus et hac motione quasi fulgura emittere videbantur. In hebr. legitur *currere;* sed melius convenit *ibant* ad maiestatem exprimendam ; unde hebr. scribe minima mutatione יָצוֹא pro רָצוֹא; illud verbum etiam melius aptatur ad שׁוֹב. Cum in v. 13 LXX legant statim ab initio ἐν μέσῳ τῶν ζώων, aliqui (*Sm. C.*) ita etiam hebr. emendant, at perperam ; nam in textu hebr. revera aliquid novi additur, neque modus loquendi est reiiciendus, neque eo quod *similitudo* vel figura praemittitur, iam excluditur *aspectus* vel redundat, dummodo ampliorem loquendi rationem admiseris. In textu LXX e contra habetur tautologia et redundantia, dum in altera quoque versus parte repetitur ἀνὰ μέσον τῶν ζώων et in utraque parte versus idem enuntiatur ; v. 14 non est apud LXX.

Dum accuratius speciem oblatam considerat, etiam adesse cernit rotas quattuor v. 15 « *cumque aspicerem animalia, apparuit rota una super terram iuxta animalia habens quattuor facies* » ; — i. e. iuxta quodvis animal apparuit rota una ; quod *vulg.* praebet *habens quattuor facies* potest referri ad id quod in v. 16 dicitur, rotam habuisse aliam rotam transversam, ut sese aequaliter circuli intersecarent (*Mald. Tir.*). Sed non ita in hebr. ; verum dicitur rotas fuisse iuxta animalia ad quattuor latera vel partes i. e. ad quattuor angulos in quibus singulis singula animalia consistebant. Obscurius est quod legitur hebr. ad quattuor partes (facies) *eius ;* fortasse explica *ad sensum* de tota specie oblata vel de cherubinis qui uti v. 22 hebr. tamquam unum aliquod considerantur. Vocem eam omittunt LXX, quos *C.* sequitur. Quod dicitur *super terram* intellige cum *Mald.* de terra quae ipsi videnti infra quadrigam esse videbatur, « quemadmodum si in tabula in aere suspensa currum super terram pictum videmus » ; indicat rotas aliquantum infra cherubinos constitisse. Dein transit vates ad describendam earum speciem vel formam (aspectum) et structuram v. 16 « *et aspectus rotarum et opus earum quasi visio maris, et una similitudo ipsarum quattuor et aspectus earum et opera quasi sit rota in medio rotae* » ; — visionem maris explica cum *Prad.* de colore caeru-

leo, quoniam mare caeruleum habet colorem. In hebr. *sicut aspectus* (proprie *oculus*) תַּרְשִׁישׁ quam vocem h. l. *Aq.* transtulit chrysolithum, *Sym.* hyacinthum, dum LXX et *Theodotio* et *Syrus* vocem hebr. retinent, *Chald.* autem lapidem pretiosum vertit. Ipse *S. Hier.* vocem varie reddit in variis locis; infra 10,9 : sicut visio lapidis chrysolithi; eodem modo explicuit Ex. 28,20 et 39,13, dum Cantic. 5,14 hyacinthum posuit. Aliis in locis vel vocem Tharsis retinet vel *mare* vertit; vide 3 Reg. 22,49. Is. 23,1. Hoc loco ex clariore dictione 10,9 de *lapide* Tharschisch[1], de lapide quodam pretioso erit intelligendum, qui sicut aurum de Ophir nomen fortasse sortitus est e regione ex qua primum innotuit vel ex qua afferebatur, de qua vide quae notayi ad Ion. 1,3. Explicant recentiores de chrysolitho (*Field*), de topazio (*Hitz. Schr. Keil*), de iaspide (*Hengstenberg*); interpretes latini afferunt versiones *Aq.* et *Sym.* et *S. Hier.; Mald.* de crystallo, alii de colore caeruleo (*Mar.*); *Prad.* : « fortasse iste lapis est quam nos Hispani turchesiam vocamus, est enim coloris marini ». Quattuor rotae eadem figura erant et specie eademque cernebantur structura, ac si esset rota in medio rotae i. e. unaquaeque rota constabat ex duobus circulis sese intersecantibus ad angulos rectos; ita plerique concipiunt. Iam *Rich.* scribit : « cogitemus quasi duae rotae essent sibi invicem insertae et in unam operis facturam per transversum coniunctae »; sim. *Theod. Mald. Lap. Men. Tir. Troch. Ros. Hitz. Schr. Keil.*

Aliter *Prad.;* rotam in medio vocari rotae ipsum modiolum, qui est in medio radiorum et canthorum; solum ergo modiolum intelligi vult qui solet esse in rotis et ex quo radii procedunt ad canthos, sive ad ipsam rotae peripheriam. Sed cum hoc in omni rota fere adsit, rem adeo communem vates non tam accurate descripsisset. Aliter quoque *Mar.* : « ego globos iudico qui intra capsam circuli forma sine axe ullo movebantur et quidem in omnes partes ». *Lenormant* l. c. p. 132 rem ita concipit : « les roues étaient posées à plat, servant comme de piédestal aux animaux symboliques et leur rotation avait lieu dans un plan horizontal, ce qu'exprime le nom de *galgal*, tourbillon, qu'on leur donnait. Ainsi s'explique comment leur circonférence qui est ce qu'elles présentaient devant le spectateur, était remplie d'yeux tout autour, et quand le prophète dit qu'elles avaient une circonférence et une hauteur effrayante, la seconde dimension est celle de l'épaisseur de leurs bords. On peut donc se les représenter comme de tambours circulaires d'une forte hauteur, tournant sur leur axe vertical avec rapidité ». Sed haec acceptio nimis a notione rotae recedit.

---

1. *Lenormant* l. c. p. 131 not. 1 : « la gemme *tirisassu* est aussi connue des textes cunéiformes »; sed alii de ea re dubitant, vide *Delitzsch*, Paradies p. 250.

Si rotae inter se secabant ad angulos rectos, ita ut coluri exsisterent, poterant moveri sine conversione in omnem partem; unde v. 17 « *per quattuor partes earum euntes ibant et non revertebantur cum ambularent* »; — cf. v. 9,12; suffixum pronominis in hebr. potest referri ad animantia : ad quattuor eorum latera incedebant (*Sa*); vel ad quattuor currus latera movebantur, quae latera simul erant anguli illi, in quibus rotae consistebant (cf. *Prad. Mar. Lap. Gord. Sm.*); plerique tamen explicant : versus quattuor sua latera facillime movebantur; in omnem partem sine ulla sui conversione erant volubiles (*Mald. Malv. Men. Tir. Calm. Troch. Keil*). Etiam ulterius describuntur v. 18 « *statura quoque erat rotis et altitudo et horribilis aspectus et totum corpus oculis plenum in circuitu ipsarum quattuor* »; — hebr. iterum absolute praemittitur; *curvaturae* vel orbes *earum*, i. e. quod spectat ad curvaturas earum, *altitudo iis erat et timor*, non poterant considerari ita ut non horrorem quendam ac timorem aspicienti incuterent (*Mald. Lap. Calm.*) *et curvaturae earum plenae oculis undique in quattuor illis* i. e. orbes vel ambitus rotarum quattuor erant pleni oculis. Sed quales oculi? humanos oculos plerique intelligunt; at *Prad. Lap. Men. Tir. Calm.* explicant de ocellis pulcherrimis, quales sunt v. g. in caudis pavonum, ex lucis et coloris commistione et reflexione, sicque pulcherrimi hi ocelli respondent colori marino rotarum. Et nuper etiam *Vigouroux* (l. c. p. 348. 355) eandem explicationem proposuit[1] explicans oculos sensu translato de partibus coloratis; pro qua vocis notione provocat ad Lev. 13,5. Num. 11,7. Ez. 1,4; 10,9; et huiusmodi ocellos deprehendi ait in picturis et lateribus quoque Assyriorum. Et eo modo res in rotis fortasse melius concipitur; cum enim rotae certe non tamquam viventes vati apparerent, quis locus sit oculis humanis vix declarari apte poterit. Ceterum vide 10,12.

Ad motum rotarum in v. 17 declaratum additur, quae habitudo inter motum et animantia intercedat v. 19 « *cumque ambularent animalia, ambulabant pariter et rotae iuxta ea, et cum elevarentur animalia de terra, elevabantur simul et rotae*; v. 20 *quocumque ibat spiritus, illuc eunte spiritu et rotae pariter elevabantur sequentes eum; spiritus enim vitae erat in rotis*; v. 21 *cum euntibus ibant et cum stantibus stabant et cum elevatis a terra pariter elevabantur et rotae sequentes ea, quia spiritus vitae erat in rotis* »; — melius et clarius in

---

1. Et affert in nota 5 p. 348 : « Ch. de Linas l'a entendu ainsi dans ses *Origines de l'orfèvrerie cloisonnée* I p. 77 : les dos (parties saillantes) étaient constellés d'yeux ou d'espaces colorés ». Addit *Vigouroux* : surtout les briques émaillées nous en offrent de nombreux exemples.

hebr. dicitur in utroque loco : *spiritus enim animalis* (הַחַיָּה) *erat in rotis;* uti notant *Prad. Vat. Mald. Mar. Mald. Calm. Troch.* qui plerumque etiam advertunt numerum singularem poni pro plurali, rotas scil. impelli eodem spiritu quo animantia. Unaquaeque rota ab animanti cui prope aderat plane regebatur, ita ut animantia et rotae uno eodemque spiritu motore viderentur impulsa et animata. Idque non sine ubertate quadam dicendi declaratur. Ipsa autem descriptione adeo accurata vates manifestat speciem illam menti eius diutius esse oblatam eamque a se magna admiratione esse spectatam. LXX in v. 20 : ubicumque erat *nubes* (νεφέλη), ibi spiritus ad ambulandum. *Chald.* spiritum *animantium* in rotis fuisse dicit; ceterum cum animantia ab uno eodemque spiritu rectore, ab auriga divino, impellerentur et proinde omnia quattuor una eademque vi concordi regerentur, bene ponitur numerus singularis in hebr. *spiritus animantis;* vide simile 10,15. 20, quo loco tota visio nomine *animalis* comprehenditur.

Quid supra illa animantia viderit propheta describere aggreditur v. 22 « *et similitudo super capita animalium firmamenti, quasi aspectus crystalli horribilis et extenti super capita eorum desuper* »; — hebr. דְּמוּת i. e. forma quaedam vel species erat super eorum capita, scil. firmamentum, quod aspectum (oculum) praebebat vel habebat *crystalli terribilis* i. e. quo admiratio et stupor aspicientis movebatur. Describit igitur suppedaneum throni Dei (cf. v. 26) elevatum, eminens, super capita cherubinorum expansum, ut firmamentum, diaphanum et splendescens quasi crystallum (cf. *Prad. Lap. Men. Tir. Gord. Calm.*). Terribile id potest dici quod est augustum, venerandum, quod limites solitos excedit, ut prae eius magnitudine, eximio splendore animus, ut fit in rebus plane insolitis ac grandibus, sacra quadam reverentia perfundatur. Unde *C.* vocem eam perperam abstulit. Quo modo viderit cherubinos sub firmamento, subiungit v. 23 « *sub firmamento autem pennae eorum rectae alterius ad alterum; unumquodque duabus alis velabat corpus suum et alterum similiter velabatur* »; — *rectae* i. e. directae vel expansae altera ad alteram, ita ut una ala cherubini alterius cherubini alam tangeret; vide v. 9. 11. Modo loquendi in secundo membro duo paria cherubinorum considerari apparet e regione posita. Alterum hoc membrum in textu *mas.* nimis diffuse exprimitur; brevius ac concinne apud LXX : unicuique duae (alae) cooperientes corpora eorum; secundum quae verba *C.* textum hebr. emendat. At tamen melius videtur textus *vulg.* quia duo paria clare efferuntur, id quod ad visionis concinnitatem retinendum erit.

Maiestas visionis et potestas animantium vati eo quoque panditur, quod eorum volatu et agitatione alarum maximus quidam sonus ede-

batur; id quod pluribus comparationibus declaratur v. 24 « *et audiebam sonum alarum quasi sonum aquarum multarum, quasi sonum sublimis Dei; cum ambularent quasi sonus erat multitudinis ut sonus castrorum; cumque starent, demittebantur pennae eorum* »; — *vox Omnipotentis* (hebr. שַׁדַּי, nomen Dei frequens in Iob, etiam Gen. 49, 25. Num. 24,4. 16. Ruth 1,20. 21) est tonitrus; ad sonitum fluctuum fragor tonitrus accedit; cf. 3,12. 13; 10,5; 43,2; ad hunc fragorem et mugitum adiungitur *vox strepitus sicut vox castrorum* (hebr. הֲמֻלָּה[1], cf. Ier. 11,16; apte explicat *Prad.* vocem de tumultu perstrepentis populi). Ea itaque colliguntur, quae in rebus naturalibus quam maxime sonitu suo vel clangore animos hominum reverentia et timore implent : fragor fluctuum, mugitus tonitrui, clangor et tumultus castrorum. Apud LXX prior solum legitur comparatio, quem textum *C.* sequitur; sed omnia membra leguntur apud *Syrum*, *Theod. Chald.* eorumque vestigia etiam apud *Aq.* servantur, atque ad visionis sublimitatem exhibendam tria membra multum conferunt. Insuper in aliis iam advertimus vatem id quod mente et sensibus perceperit ubertate quadam describere, prout ii solent qui re aliqua vehementissime afficiuntur. Quare dictio uberior plane consentanea est ad magnam animi impressionem. In motu autem et volatu quem alarum agitatio et concussio comitabatur ab eo regebantur qui throno insidebat; inde v. 25 « *nam cum fieret vox super firmamentum quod erat super caput eorum stabant et submittebant alas suas* »; — i. e. voce aurigae divini dirigebantur; hebr. *et facta est vox super firmamentum... cum starent, remittebant alas suas* i. e. « non movebant, non concutiebant illas, cessare atque quiescere faciebant; non enim significat contraxisse aut deiecisse alas, sed relaxationem illis a motu dedisse; semper enim habebant duas alas extentas et ad volandum paratas, atque hoc sensu Septuaginta verterunt κατέπαυον αἱ πτέρυγες αὐτῶν » (*Mald.* sim. *Lap. Men. Calm.*) vel « remittebant alas a sono et strepitu quem edebant moventes eas » (*Malv.*). Textum hebr. *et facta est vox...* ita intelligere possumus, ut de uno eventu dicatur, ut scil. ea voce subito intonante apparitio consistat coram vate, qui nunc accurate considerans etiam id advertit quod est super firmamentum. Si ita rem conceperis, non adest in altera versus parte molesta repetitio.

Ea quidem pars apud *Syrum* non legitur, neque apud LXX, sed textus graecus hoc loco mancus est; nam : et ecce vox super firmamentum quod

---

1. Etiam in exemplaribus graecis, ut iam notat *S. Hier.*, apud *Theod. Syrum*, *Chald.* e in versione *S. Hier.* ad Ier. 11, 16 exprimitur *loquela*, λόγος; scil. הַמִּלָּה.

erat super caput eorum, sicut visio lapidis sapphiri similitudo throni, non videtur satis aptari. Sonitum enim audiri, iam est descriptum; quid haec vox super firmamentum sibi velit, declaratur in hebr.; est scil. mandatum quo consistere iubentur animalia, atque unum talem induci eventum, vestigium adhuc restat in textu graeco, cum sententia incipiat *et ecce*. Ceterum eius omissionis ratio satis conspicua adest, cum membrum prius versus utriusque 25 et 26 vocibus plane similibus consistat; unde interpres oculis fallentibus statim a 25a aberrasse ad 26b censendus erit. Ceterum pars illa adest apud *Theod. Sym. Chald.*, legitur etiam apud *Theodoretum*. Adnotat *S. Hier.* multa et in hoc et in aliis capitulis a LXX praetermissa esse. De toto v. 25 *C.* solum duas voculas ex graeco retinet *et ecce* et statim ad v. 26 transit. Sed si v. 25 ita concipitur, ut voce illa facta currus consistat, prout concipi potest, apta adest rei exhibitio. Neque emendatio ab *Hitz.* proposita probari potest. Verba enim *et ecce vox* refert ad v. 24 eo sensu, ut cessantibus quoque alarum agitationibus alisque demissis sonitus sit secutus; sed qualis sonus? num idem? tum prior sonus non debuit alis adscribi ambulantium (v. 21); ergo alius? at ad alterius generis sonum declarandum nuda vox inepta est. Quare consultius erit textum traditum retinere; insuper eadem versus membra quandoque repeti solent in libro Ez., uti *Sm.* notat: vide 8,18 et 9,1; 17,9 et v. 17 etc.

Porro describitur, qualis species vati oblata sit throni Dei et ipsius apparitionis Dei v. 26 « *et super firmamentum quod erat imminens capiti eorum quasi aspectus lapidis sapphiri similitudo throni et super similitudinem throni similitudo quasi aspectus hominis desuper* »; — Deus igitur forma et figura humana apparuit, uti similiter Dan. 7,9. Thronus apparuit quasi ex sapphiro constructus, i. e. eximii candoris et splendoris; est enim lapis aerii coloris aureis punctis micans; proinde symbolum divinae maiestatis et gloriae (*Prad. Lap.*). Ad modum apparitionis vide Ex. 24,10 : et viderunt Deum Israel et sub pedibus eius quasi opus lapidis sapphirini et quasi coelum cum serenum est. Ipsa autem effigies sedentis in throno tota quasi ignea et fulgentissima apparuit v. 27 « *et vidi quasi speciem electri, velut aspectum ignis intrinsecus eius per circuitum; a lumbis eius et desuper et a lumbis eius usque deorsum vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu* »; — de electro vide v. 4; figura igitur hominis cernebatur circumfusa splendore et fulgore electri et ignis, qui intra thronum undequaque emicabat; ipsa hominis effigies etiam ignis instar nitebat et *splendor ei in circuitu* (hebr.). Ita quidem ex interpunctione in *vulg.* adoptata et eodem modo *Keil* quoque textum hebr. intelligit. Sed aliter et melius iam iunxit *S. Hier.* quem latini interpretes fere sequuntur, ita scil. ut priore parte effigies humana describatur a lumbis sursum effulsisse sicuti electrum, a lumbis vero deorsum sicut ignis; maior itaque

atque excellentior fulgor superiori parti attribuitur (ita *Mald. Malv. Lap. Men. Tir. Calm.*). Audi *S. Hier.* : « similitudo hominis a lumbis et desuper electro comparatur, quod electrum et intrinsecus et extrinsecus habebat quasi ignis aspectum (en, quomodo verba illa obscura intelligat : ignis intrinsecus eius per circuitum!), a lumbis vero et deorsum ignis erat resplendens in circuitu », et *Calm.* : « Deus lumborum tenus rutila quadam luce induebatur ceu ignis et electri quod ex auro argentoque coalescit vel ceu orichalci inter metalla pretiosissimi auri fulgore; a lumbis vero inferius veluti igne cingebatur undique micante ». Et hanc rerum seriem esse retinendam omnino suadetur ex 8,2, ubi nulla est ambiguitas : ab aspectu lumborum eius et deorsum ignis, et a lumbis eius et sursum quasi aspectus splendoris, ut visio electri. Eandem acceptionem prae se ferunt LXX : « et vidi quasi aspectum electri a visione lumbi et sursum et a visione lumbi et deorsum versus vidi visionem ignis et splendorem eius in circuitu ». Bene notat *Theod.* istis fulgoribus reconditam et invisibilem indicari naturam divinam et si oculus humanus plus aequo in solem defixus amittat videndi facultatem et a lumine percipiat tenebras, quid non ei eventurum esse, qui contra divinum et inaccessum lumen ausus fuerit inspectare?

In textu hebr. difficilis et obscura est dictio בֵּית לָהּ; *S. Hier.* vertit intrinsecus eius; sim. habent *Aq.* et *Theod.* ἔσωθεν αὐτοῦ; *Syrus* intra, *Chald.* ex medio eius. Neque recentiores concordant. *Keil* censet בית poni pro מבית intra et לה referri ad דמות כסא; *Schr.* vertit : sicut species ignis, domus ei in circuitu i. e. qui ignis sicut domus undequaque concluditur; sim. *Hengstenberg* ignem quasi circumvallari, ut quam ardens sit indicetur (?), *Hitz. Sm.* ignem explicant, cui loculamentum sit circumdatum, ignem circumscriptum et definitum. Quae explicationes quam coactae sint et longe petitae, per se patet. Acceptio veterum quam *Keil* sequitur potest aliquo modo explicari. LXX verba ea non habent; eorum textum sequitur *C.*; *Houbig.* pro illis verbis legi vult ונגה לו *et splendor ei*; simillimam coniecturam etiam *Ewald* proponit.

Demum thronus et qui in eo sedet iride quadam circumdantur v. 28 « *velut aspectum arcus cum fuerit in nube in die pluviae, hic erat aspectus splendoris per gyrum* »; — Apoc. 4,3 : « et iris erat in circuitu sedis ». Corona quadam rutila et nitente ceu iride cingebatur Deus quae simul et solium et igneum illud iubar et orichalcum circa Dei maiestatem fulgens complectebatur (*Calm.*). Advertit *Prad.* ex radiorum reflexione in nube opaca consequens fuisse ut iris conflaretur versicolor in circuitu solii magnifici. Verum sufficiat nobis iridem esse conspectam a vate; non opus est ut vatem et splendorem et nubem opacam ita collocemus, ut ex legibus opticis iris oriatur.

Demum non piget adscribere imaginis haud adeo absimilis descriptionem quae in cylindro assyriaco cernitur et quam *Lenormant* l. c. p. 120 hunc in modum adumbrat : « sur des ondes, exprimées comme à l'habitude par des lignes tremblées, flotte un vaisseau merveilleux et vivant qui se termine à la poupe et à la proue par un buste humain saillant jusqu'à mi-corps. Sur ce vaisseau, l'on voit deux kiroubi ou taureaux ailés, adossés, vus de profil, qui retournent leur face humaine vers le spectateur. Ces deux kiroubi supposent nécessairement l'existence de deux autres, qu'ils cachent, pour porter l'autre côté du pavois qu'ils soutiennent sur leurs épaules. Sur ce pavois est un trône où est assis un dieu barbu, vêtu d'une longue robe, coiffé de la tiare droite ou cidaris, tenant à la main un court sceptre et un large anneau, un cercle sans ornements. Un personnage de plus petite dimension, vêtu d'une large robe se tient auprès du dieu comme attendant ses ordres ».

c) **Declaratur theophania.**

Qualis sit huius visionis significatio, ipse vates indicat saltem summatim 2,1 « *Haec visio similitudinis gloriae Domini* »; — vel hebr. *hic erat aspectus similitudinis* vel figurae *gloriae Iahve* « imago erat expressa gloriae Domini et magnificentiae eius quam ipse his figuris ac symbolis repraesentabat » (*Prad. Lap. Mar. Mald. Tir.*) et ut *S. Hier.* advertit : « non quo gloriam Domini viderit, sed similitudinem gloriae eius »; bene quoque *S. Hier.* ea verba statim adnectit ad 1,28 et novum caput incipit a verbis sequentibus *et vidi* etc. Gloria autem Domini, ut apte h. l. monet *Prad.*, vocatur manifestatio maiestatis divinae quae in medio cherubim in oraculo ad arcam foederis fieri solebat, ita ut Dominus sedens super cherubim fuerit quasi exemplar et prototypus huius visionis. Nubes autem illa lucida (schechina) in medio cherubim qua Dominus singulari ratione suam praesentiam manifestavit vel « Iahve sedens super cherubim » vel habitans in medio cherubim, symbolum erat et pignus Dominum peculiari modo adesse tamquam Deum foederis et largitorem omnium bonorum populo suo; vide 1 Reg. 4,4. 2 Reg. 6,2. 1 Par. 13,6. Is. 37,16. Ps. 79,2; 98,1. Quare per se patet hac apparitione gloriae Dei in terra aliena medios inter exsules facta Deum sublimi modo declarare se non abiecisse populum, verum exsules quoque a se tamquam suum agnosci populum seque esse paratum ad bona foederis iis largienda. Ergo ipsa hac visione Deus se efficaciter declarat fidelem foederis sui exsecutorem qui etiam populum in terram alienam eiectum benigna sua visitatione consolatur. Unde, prout supra monui, ad rem adeo admirandam debita emphasi declarandam, vates v. 1-3 quinquies vario modo monet in terra aliena i. e. in medio captivorum, iuxta fluvium Cho-

bar, in terra Chaldaeorum, secus fluvium Chobar, ibi sibi factas esse visiones Dei.

Sed cum haec visio, etsi aliquam speciem Domini sedentis super cherubim in templo ad locum arcae prae se ferat, tamen in multis aliis ab ea recedat, haec sola explicatio nequit sufficere. Quare omnes quoque interpretes alias et alias proposuerunt rerum variarum symbolorumque declarationes. Insuper adverti oportet eandem visionem vati saepius offerri 3,22 et 8,4 et 43,3; quare non ad unam Ezechielis vocationem referri potest. Iam ut in maxima illa interpretationum varietate quantum fieri potest ea proponamus quae non ad arbitrium et lubitum excogitata sunt, sed certis normis ac tutis eruuntur, duo nobis ob oculos habenda sunt, prius id quod ipse vates nos docuit cerni in ea visione figuram gloriae Domini, alterum alia symbola et emblemata ex iis esse declaranda, quae vel eadem vel simili ratione in historia populi electi vel in cultu ornatuque sacro deprehenduntur. Ita enim, ni omnia me fallunt, non in incertum vagabimur, sed certis firmisque fundamentis innixi ad eas perveniemus conclusiones quae ex rebus ipsis nasci videbuntur. Haec autem duo iuremerito assumi, ut facem nobis praeferant viamque demonstrent, extra controversiam positum esse videtur.

Iam gloria Domini sese manifestavit et apparuit in Aegypto ad populum electum liberandum et ad hostes eius conterendos, visa est in foedere sinaitico, atque ex eo tempore in tabernaculo foederis et super arcam apparuit, in illis per desertum migrationibus et ad beneficia largienda et ad rebelles puniendos non semel sese spectandam intulit; postea in templo super arcam resedit; eo in loco ad quem omnia referebantur sacrificia et expiationes mediate vel immediate et ex quo Deus promisit se locuturum esse ad populum. Quare quaecumque populus accepit beneficia, ea ad gloriam Domini referuntur, qui se Deum foederis fidelissimum populo suo praestat. Unde tali apparitione facta menti vatis primo et per se obversari debebant eximia illa beneficia populo praestita et tota supernaturalis Dei in populum foederis providentia et gubernatio; dein concludere debebat Deum etiamnum populum suum non solum benigne visitare et consolari, sed etiam magnum illud opus foederis et theocratiae ante plura saecula inceptum et per longa temporum spatia fideliter perductum iam velle novo quodam incremento ornatuve addito promovere et novis favoribus progressuque augere.

Reliqua autem symbola et emblemata, si per se et separatim considerantur, fere iam aderant in historia populi electi et in eius cultu religioso; Deus igitur iis apparet symbolis circumdatus quibus se

populo electo iam saepius manifestavit vel re ipsa vel verbis ac descriptionibus prophetarum, iis scil. symbolis, quibus iustitiam, potentiam, gratiam, suam in populo electo inhabitationem exprimere et ad vivum repraesentare consuevit. Huic tamen visioni id proprium est, ut quae alias separatim exhibeantur hic coniuncta cernantur et ut quaedam symbola numero et re aucta conspiciantur. Quare qua via sit inquirendum, nobis rebus ipsis demonstratur. Tria erunt praestanda. Primo stabilire oportet quid singula emblemata et symbola valeant, deinde cur quaedam alia et alia ratione proponantur, et demum ex iis coniunctis una aliqua et integra significatio erit eruenda.

Atque primo quidem inspicienda sunt singula. Offertur vati in visione *ventus turbinis et nubes atra* 1,4; iam hisce divini iudicis ac vindicis adventum, ultionem, iram depingi et varias adumbrari castigationes quibus peccatores coerceantur et iuste puniantur, res est apud prophetas et in psalmis notissima, quae ulteriore vel expositione vel probatione non indiget. Tempestatem autem illam ingruere *ab aquilone* 1,4 pariter explicandum erit secundum ea quae apud Ieremiam legimus 1,13. 14 : ab aquilone pandetur malum super omnes habitatores terrae; 4,6 : quia malum ego adduco ab aquilone et contritionem magnam; 6,1 : quia malum visum est ab aquilone; 10,22 : commotio magna de terra aquilonis, ut ponat civitates Iuda solitudinem. Neque cum aliquibus (*Troch.*) cogitari potest, Ezechielem sequi opinionem Babyloniorum de sede deorum in aquilone posita (Is. 14,13); propheta enim aliam sedem Dei particularem non novit nisi illud habitaculum quod sibi in medio populo electo constituit. Sed dices : quomodo Ezechiel in ea regione consistens quae apud Ieremiam tamquam aquilonaris designatur eam quoque aquilonarem describere potest? Verum nota agi de iudicio in urbem Ierusalem et Iudam devolvendo, quod iudicium cum a prophetis tamquam ab aquilone ingruens proponatur, eodem modo Ezechieli in visione demonstratur; dein simili modo legis 26,7 Nabuchodonosor ab aquilone adductum iri ad Tyrum; proinde si propheta in sermone ita loqui potuit, quamvis consisteret in Chaldaea, etiam in visione ipsi iudicium in Ierusalem tamquam irruens ab aquilone offerri poterat. Demum noli oblivisci illud *ab aquilone* quid sibi velit, iam satis declarari a Ieremia; unde sicut reliqua symbola ex ipsis sacris litteris apte explicantur, ita hoc quoque non aliunde, minime autem ab opinione Babyloniorum erit petendum. — Quid *ignis* et *splendor* sibi velint, non potest esse dubium. Lux enim et splendor per se ad apparitiones Dei pertinent et divinam maiestatem declarant quae lucem inhabitat inaccessam et quae in impios est quasi ignis consumens et devorans; vide Deut. 4,24. Prae-

terea Deum apparuisse in igne saepe refertur : ita in flamma ignis Ex. 3,2; populum ex Aegypto egredientem praecedit per noctem in columna ignis et per columnam ignis et nubis respiciens super castra Aegyptiorum interfecit eos Ex. 13,21 et 14,24; ad montem Sinai descendit in igne et species gloriae Domini erat quasi ignis ardens Ex. 19,18 et 24,17; ibi loquitur ad populum de medio ignis Deut. 4,12. 15. 33. 36; 5,4; 9,10; 10,4. Si in psalmis Deus tamquam iudex descendens describitur, ignis dicitur a facie eius exarsisse, ignis ante eum praecedere Ps. 17,9 et 96,3 etc.; ira et indignatio Domini symbolo ignis exhibetur Is. 10,17; 30,30; 31,9; 66,15. Ier. 4,4; 15.14; 21,12; 23. 29 etc.; praeterea vide Ioel 2,2. Soph. 1,15.

Suppedaneum throni Dei quod cernitur super capita cherubinorum. *firmamentum* 1,22, idem est quod viderunt Moyses et Aaron, Nadab et Abiu et septuaginta de senioribus Israel : et viderunt Deum Israel et sub pedibus eius quasi opus lapidis sapphirini et quasi coelum cum serenum est (Ex. 24,10). In qua visione Deus se tamquam Deum populi electi quam maxime manifestavit. *Thronus* autem maiestatem divinam et sublimem regendi potestatem decet; quare Isaias quoque vidit Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum (Is. 6,1). Hunc vero thronum Dei quasi portari ac fulciri a cherubim, res est ex libris historicis de nube vel gloria Domini satis nota, uti supra iam dictum est. *Iris* demum ex Gen. 9,9 seq. ut symbolum misericordiae et gratiae innotuit.

Haec igitur ex historia populi electi sine ullo negotio colliguntur. Restat, ut iam in illa inquiramus quae huic visioni peculiaria sunt. Ad haec autem imprimis pertinet forma illa qua cherubim describuntur. Cherubim non esse mera figmenta mentis neque nuda symbola elucet iam ex Gen. 3,22. 24; nam talia non ponuntur ante paradisum ad custodiendam viam ligni vitae et ad arcendum hominem, si forte illam viam ingredi tentaret; eos pertinere ad ordinem quendam altiorem et praestantissimum etiam ex comparatione consequitur qua Ezechiel 28,14-16 utitur. Cum itaque revera exsistant et ad ordinem hominibus sublimiorem pertineant, necessario conficitur eos esse angelis accensendos. Id quod et cum variis locis in Apoc. 4,6; 5,6. 8. 11. 14; 6,1; 7,11; 14,3; 15,17; 19,4 et cum constanti traditione et doctrina catholica concordat. Atque iam eo ipso quod in visione apparere dicuntur et agere, sicuti alibi angeli quoque apparent et agunt, pro exsistentibus et non pro mero figmento habendi sunt. Nomen ipsum *cherub* ex hebr.[1] declarari nequit. Secundum aliquos assyriologos

1. Ex hebr. scil. in quantum nobis servatum est. Vocem tamen esse antiquam et semiti-

karubu vox est synonyma cum rubu et significat excelsum, magnum, benedictum (cf. *Schrader,* Keilinschr. u. A. T. 2 ed. p. 79. 609 vel in editione anglica p. 39; *Delitzsch,* Paradies p. 154, apud *Baer* l. c. p. XIII), quae significatio apprime illis angelis convenit. Dein ex ipso nomine quo hisce locis vocantur, חיות, חַיָּה, *viva,* viventia, certe arguere licet, praesertim si consideramus eos angelos et Deo assistere et custodiam arboris vitae iis fuisse demandatam et ipsam formam qua symbolice repraesentantur vitae quandam plenitudinem prae se ferre. Cum igitur *viva* dicantur, certe cum emphasi quadam tamquam eximia quadam vita praedita designantur. Deus autem cum sit vita et fons omnis vitae, aliquam vitae suae participationem quo magis quis ad eum accesserit, eo maiore gradu et copia communicat. Quia igitur haec *viva* tam prope Deo assistunt, merito eo iam titulo excellenti quadam ratione vitae divinae consortes esse censentur. Iis porro custodia arboris vitae et paradisi demandatur; insuper figuris exprimebantur super propitiatorium i. e. eo in loco quo populus cum Deo reconciliabatur, eo in loco unde Deus verba sua cum populo se communicaturum promiserat, ubi ipse se tamquam Deum viventem et populo veram vitam i. e. gratiam largientem exhibere volebat. Unde cherubim pro nomine suo *vivorum* apte assistunt Deo vitam largienti et peculiarem induere videntur habitudinem ad hominis vitam gratiae, ad hominis immortalitatem et gloriam.

Atque ista vitae copia quae inest *vivis* symbolice exprimitur in forma illa, qua quaecumque praeclarissima in quovis genere viventium exsistunt in se adunare et coniungere cernuntur. Symbola enim non possunt desumi nisi ex creaturis sensibilibus; ex hisce autem quattuor praecipua animantium genera sunt adumbrata et ex iis ea selecta quae populari opinione in suo quidque genere primatum tenent. Sunt enim quasi reges : homo, totius creationis visibilis dominus, leo rex inter feras, bos inter armenta, aquila inter volucres. Unde forma illa quadruplici depinguntur cherubini tamquam praediti maxima quadam vi intelligendi, summa potentia et virtute, mira quadam celeritate atque promptitudine qua summa et ima aequa facilitate penetrent.

---

eam ex iis collige quae assyriologi asserunt. Sicut igitur in historia creationis et diluvii aliqua ex veterrima traditione servata sunt apud Assyrios, ita in kirubi quoque aliquod eius vestigium deprehendere licet, praesertim si consideraveris in monumentis saepius commemorari arborem vel lucum deorum eamque arborem saepe exprimi in gemmis et parietibus templorum et palatiorum apud Assyrios, immo in vestibus quoque ornatus causa et haud raro arborem illam utrimque custodiri a duobus geniis alatis; cf. Chaldaeische Genesis, Leipzig 1876 p. 84; *Vigouroux*, la Bible et les découvertes mod. I p. 203; hanc arborem vitae saepius appellant.

Proinde rebus ipsis depinguntur angeli sublimes, potentes, Deo ad nutum promptissime inservientes, Deo summo bono assistentes. Haec symbolica repraesentatio inde quoque sat facile explicatur, quia in vasis ornatuque templi iam adhibitae sunt figurae bovis et leonis; vide 3 Reg. 7,25. 29. 36. In templo cherubini exhibebantur alis duabus 3 Reg. 6,24; hic cernuntur quattuor instructi, quae forma ad vitae ubertatem exprimendam cum reliquis emblematis optime concordat.

Cur rotae quattuor cernantur, ex idea *currus* Dei facile fluit, quae idea eo quoque prope adiacere videtur, quia gloria Domini quae alias habitat in Sion iam in regionem alienam advehi videtur, sicut postmodum quoque vates gloriam Dei videt et recedentem a templo urbeque et iterum ingredientem in templum. Ita quoque arca ab uno loco in alium proficiscens currus Dei appellatur Ps. 67,18 et 1 Par. 28,18 cherubim extendentes alas et velantes arcam foederis Domini vocantur similitudo quadrigae (cf. hebr.). Rotae autem ita dispositae sunt ut ipsa sua figura in quattuor orbis terrarum partes spectent. Qua effigie Dei regimen et potestatem delineant, quae in omnes mundi partes aequaliter, firmiter, constanter penetret. Rotarum opus eximium, altitudo, splendor etiam suo modo, uti maiestatem divinam decent, ita eam repraesentant et exprimunt. Quemadmodum ex 10,12 cherubini describuntur pleni oculis in omni corpore, in collis, manibus, pennis, ita rotae quoque. Uti supra exposui, fortasse non *oculi* proprie dicti intelliguntur. Quidquid demum praetuleris, notio non adeo diversa colligi poterit. Si ad solam pulchritudinem et venustatem eos retuleris, habebis in cherubinis, utpote angelis, spiritualem illam pulchritudinem delineatam quae in intellectus clarissima perspicientia et in sanctitate voluntatis consistit; si oculos ipsos intellexeris, habebis idem lumen spirituale, scientiam eximiam, vigilantiam undique exercitam atque indefessam. In utraque igitur acceptione divitiae spirituales declarantur. Et cum rotae in motione ab eodem spiritu cherubinorum regantur, in hac quoque oculorum aequalitate nexum illum cum vivis cernis expressum.

Cur *quattuor* cernantur cherubim, dum ad arcam solum duo consistebant, fortasse ex idea *currus* Dei explicatur, vel melius totam quadrigam cum quattuor cherubim ex eo declarabis, quia haud raro per numerum hunc universalitas exprimitur, proinde indicari Deum foederis simul esse Deum omnium et foedus illud ac regnum Dei destinari ultimatim pro orbe universo. Nam id quod in universum extenditur, eo numero designari solet; ita Deus dicitur colligere dispersos Iuda a quattuor plagis terrae (Is. 11,12) vel: finis venit super quattuor plagas terrae (Ez. 7,2); quattuor currus cernit Zacharias, qui sunt quattuor

venti coeli qui egrediuntur, ut stent coram Dominatore omnis terrae (Zach. 6,1-5), similiter in Apoc. quattuor angeli stant super quattuor angulos terrae tenentes quattuor ventos terrae (Apoc. 7,1). Unde in curru qui in omnem partem aeque facile movetur et in numero quaterno, in rotis quae eodem spiritu impelluntur cernere licet expressam divinam providentiam quae in omnem terrarum partem pari ratione sese diffundere omnibusque foedus illud invehere velit quod in gloria Domini est conclusum. Symbolo hoc universalitatis quae sit foederis illius indoles et destinatio declaratur. Si porro Deus in figura hominis apparet, Incarnatione facta facile eius quandam prolusionem ac quasi praeambulum agnoveris.

Superest, ut quae declaravimus, ad unitatem quandam redigamus qua quid ea visione repraesentetur brevi formula comprehendatur. Haec est totius visionis summa atque argumentum : Deus se exhibet prophetae tamquam Deum foederis, maiestate plenum, paratum hoc foedus et vindicare et exsequi, foedus scil. vitae et gratiae. Nam *Deum foederis* demonstrant symbola sinaitica et Dei sedentis super cherubim imago, *maiestate plenus* luce et splendore declaratur; *ad foedus vindicandum paratus* depingitur nube et vento turbinis ab aquilone veniente; *ad exsequendum* se paratum exhibet Deus eo ipso quod in populo inter gentes commorante apparet et iis symbolis currus et cherubim circumdatur quibus indoles regni eius universalis adumbratur, foedus misericordiae et *gratiae*, uti iride indicatur, foedus *vitae*, uti in cherubim quoque depingitur; cherubim enim sicut vitae copiam in se exprimunt, ita in sacra historia et in ornatu templi nobis repraesentantur ea ratione qua ad hominis vitam supranaturalem (immortalem) eiusque cum Deo reconciliationem peculiarem quandam habitudinem induunt.

Haec autem acceptio inde quoque valide commendatur, quod toto Ezechielis munere oraculisque comprobatur. Duo enim sunt quae a propheta annuntiantur : fore castigationem propter foedus turpiter violatum et foedus sublimiore quodam modo instauratum iri; hisce duobus liber quoque continetur : usque ad cap. 32 iudicium Dei eiusque causae proponuntur (ad cap. 24 Iudaeorum; cap. 25-32 gentium), a cap. 33 et deinceps foederis instauratio nova et spiritualis describitur. Quare in visione hac iuremerito totum libri argumentum concludi ac repraesentari dixeris et singulos vatis sermones non esse nisi declarationem eorum quae symbolis illis depinguntur. Pro ipso vate haec visio ut est plena doctrinae de consiliis divinis, ita pignus est evidentissimum vocationis et electionis ad munus propheticum, quo documento et qua veritate animum corroboret et firmissima impleat fidu-

cia et alacritate mediis in difficultatibus, quibus haud exiguis exponetur. Quare verum est quod *S. Hier.* dicit : « in consolationem populi transmigrantis et revelationem sententiae Dei propheta videt maximam visionem ».

De cherubim vide quae scripsit ***Zschokke,*** Theologie der Propheten p. 251 seq. et ***B. Schaefer*** in periodico der Katholik 1880 I p. 384-400.

Multae feruntur horum symbolorum explicationes eaeque satis variae. Merito silentio premendae ac sepeliendae sunt illorum declarationes qui per haec quattuor animalia quattuor intelligi volebant elementa, ex quibus constent omnia mista, vel quattuor mundi plagas, vel quattuor hominis affectiones vel quattuor virtutes cardinales. Celebrior apud complures est sententia designari quattuor evangelistas, quam *S. Hier.* quoque saepius proponit et quam late prosequitur *S. Gregorius* in hom. 3 in Ez. et quam ***Estius*** quoque adoptat. Quam opinionem in hunc fere modum exponunt : sunt numero quattuor; habent facies totidem, cum unicuique dicatur ut eat in mundum universum, et inter se quoque respiciunt, quia cum ceteris quisque consentit; habent pennas quattuor, quia omnes in partes tanta discurrebant celeritate, ut volare viderentur; duabus volant, scil. fide in coelum; duabus tegunt corpus, i. e. scientiam humanam tegebant et caecam quodammodo reddebant vel timore et poenitentia peccata tegebant. In alarum stridore cernitur sonus ille qui exivit in omnem terram; tibias habent rectas, quia in omnem partem sine conversione aut tergiversatione aut cunctatione ituri erant ex Dei nutu etc. etc. Verum iam ***Mald.*** contra hanc expositionem, « quae hodie (inquit) receptissima est » varia monet haud incongrue : « primum illud desidero, ut figura ad evangelistas accommodetur, quod non videtur commode fieri posse. Illud etiam desidero quod in hac re potissimum est, ut interpretatio argumento prophetae consentanea sit; agebat propheta de futura Iudaeorum captivitate, quorsum nobis evangelistas depingeret? deinde quorsum ab aquilone? nam non ab aquilone evangelii praedicationem inchoarunt ». At haud pauca ad eos apte posse ***accommodari*** v. g. per eos Christum Dominum quasi afferri mundo, ideoque apte selectam esse eam descriptionem in liturgia ***sensu accommodato*** liquet.

Alii in eo sistunt voluisse vatem describere maiestatem divinam et providentiam omnemque naturam esse subiectam rerum omnium auctori (cf. *Theod.*). ***Pintus*** in cherubim Christum Dominum cerni vult depictum; ***Mald.*** in iis probabilissima coniectura reges aliquos significari colligit, cum postmodum de quattuor regnorum commutatione agat, Chaldaeorum scil. Assyriorum, Aegyptiorum, Tyriorum, idque ex eo concludit quia 28,14 rex Tyri appelletur cherub; « igitur sensum huius aenigmatis esse arbitror fore ut post tempestatem quae Iudaeis imminebat, quattuor illa regna quae Iudaeis infesta erant huc illuc converterentur inque alios transferrentur dominos; quod ut significetur ponitur ob oculos generalis omnium regnorum hypotyposis. Quattuor enim animalia quattuor haec regna, deinde omnium regnorum naturam et conditionem significant, quae quattuor habent facies, quia

aliquando convenienter *humanis* moribus gubernantur, aliquando vicinas gentes, ut *leones* trucidant, aliquando ut *boves* conculcant, aliquando ut *aqvila* diripiunt, spoliant et in captivitatem ducunt ». Quae explicatio sane non est felicior illa quam ipse *Mald.* pluribus refutat. Aliter rem et complurium explicationem complectitur *Tir.* : « currus iste Dei symbolum erat universi; rotae orbes coelestes et quattuor elementa, oculi stellae, cherubim chori angelici et ita de ceteris. Ad litteram vero est currus gloriae i. e. belli, victoriae ac triumphi de hostibus Dei. Unde mox a prostratis Aegyptiis ostendit hunc currum Moysi in monte Sinai et ad formam illius iussit construi vehiculum arcae; ostendit et Davidi (Ps. 17,10) et Isaiae 6,2 et Habacuc 3,8 et Danieli 3,55 et Ioanni apostolo Apoc. 4, ut Pradus, Alcazar et a Lapide fuse demonstrant. Hoc eodem curru invectus apparet hic Ezechieli, ut ei praemonstret se iratum Iudaeis vicinisque gentibus ad eas puniendas ac proterendas accelerare ». Deum debellantem hostes et de illis triumphantem depingi etiam *Gord.* censet, dum *Malv.* generalem Dei omnipotentiam, providentiam, actionem, gubernationem, curam, moderationem, praesidentiam in res creatas omnes significari existimat. Quid veri insit explicationibus istis, ex declaratione supra tradita satis colligi poterit.

En, habes aliqua ex opinionum silva quae hoc loco ab interpretibus veteribus offerri solet. Si plura desideraveris, adeas *Lap.* qui per sex quaestiones satis fuse rem pertractat. Magis sobrii sunt recentiores. *Troch.* in aliquibus sequitur opinionem a *Mald.* expositam; Dei iudicia et misericordiam depingi tamen etiam fatetur. Inter protestantes *Keil* naturam angelicam cherubinorum bene defendit et vindicat contra eos qui in iis nihil nisi symbolum inane agnosci volunt.

d) **Vates de munere edocetur 2,1-3,7.**

Solent visiones coelestes hominis animum sacro quodam terrore percellere; ita Abraham Deo apparente cadit in faciem pronus (Gen. 17,3), Isaias visa Dei gloria exclamat : perii (6,5 hebr.), Daniel profitetur nihil in se remansisse fortitudinis et virium, se emarcuisse et speciem suam esse immutatam (10,8) vel horruisse spiritum suum et se territum esse (7,15). Idem accidit Ezechieli. Neque id est mirum. Nam sacro isto timore homo fragilis quasi sponte sua suam profitetur imbecillitatem et altiori coelestique virtuti humile offert obsequium. Unde 2,1 « *Et vidi et cecidi in faciem meam et audivi vocem loquentis, et dixit ad me : fili hominis sta super pedes tuos et loquar tecum* »! — Cadens in faciem suam profitetur infirmitatem tanto scil. splendore perterritus tantaque maiestate stupefactus (*Pint.*) simul Deo cultum adorationis pendens (*Lap.*). Uti Isaias et Ieremias a Deo vocati conscientia suae fragilitatis intime erant perfusi, ita apud Ezechielem quoque visio divina intimum sensum humilitatis progignit. Et optime quidem, quia humi-

libus Deus dat gratiam. Atque ut suae fragilitatis sibi sit bene conscius, ipsa quoque allocutione monetur *fili hominis*, qua appellatione frequenter compellatur. Hac autem conditionis humanae admonitione de sua ad res altiores impotentia admonetur. Unde simul elucet quo animo Deus eum velit legationem suscipere et quae sit ad munus divinitus collatum optima praeparatio. Inde quoque vates discit se a Deo assumi tamquam instrumentum quod vim omnem et efficaciam ab auctore principe accipiat; inde discit se plane Deo subdere et in eo solo omnem spem collocare. Quare homo fragilis a Deo appellatur; hunc enim sensum *filius hominis* prae se fert iis quoque in locis, in quibus cum אֱנוֹשׁ in membro parallelo coniungitur v. g. Ps. 8,5. Iob 25,6. Is. 51,12. Atque eiusdem infirmitatis eum Deus commonefacit, dum solo imperio divino erigi posse ipso mandato *sta super pedes tuos* indicatur.

Et quam efficax sit unum Domini verbum, vates in se experitur tamquam utile pro futuro documentum v. 2 « *et ingressus est in me spiritus postquam locutus est mihi et statuit me super pedes meos et audivi loquentem ad me* »; — spiritus, i. e. vis quaedam divinitus immissa eum erexit (*Mald.*); unde ipsa re exprimitur, fortitudinem ac virtutem prophetae hauriri a solo Deo; iubet enim Deus et simul cum mandato vim ei et vigorem immittit; cf. 3,24. Stans i. e. expeditus, paratus sermonem Dei excipere debet. Bene notat *Theod.* : « divina quaedam virtus cum tetigisset me, veluti solutum metu collegit et ita comparavit, ut consistens verba quae ferebantur audire possem »; similiter spiritum de auxilio Dei et vigore divinitus dato explicant *S. Hier. Mald. Lap. Men. Tir. Troch.*, dum alii de spiritu prophetae intelligunt, qui prae timore defecerat (*Prad.*) vel utrumque proponunt (*Pint. Sa, Mar. Malv. Loch*). Sed dictione *ingressus est*, non *rediit*, prior acceptio comprobatur; insuper « si de humano spiritu loqueretur, non diceret *statuit me*, sed diceret : surrexi ; accedit quod 3,24 repetens eandem sententiam declarat se de spiritu Dei loqui » (*Mald.*). Praeterea ad totam descriptionem visionis et locutionis Dei qui sunt eventus non naturales magis consentaneum est ut vates virtute quadam altiore instruatur ad verba Dei et mandata rite suscipienda et intelligenda.

Quam difficile sit opus ad quod eligitur statim ei panditur v. 3 « *et dicentem : fili hominis, mitto ego te ad filios Israel, ad gentes apostatrices, quae recesserunt a me; ipsi et patres eorum praevaricati sunt pactum meum usque ad diem hanc* »; — ad gentes rebelles quae rebellaverunt in me (hebr.). Vocatio et missio prophetarum ad unum Deum spectat (Deut. 18,15). Uti Paulus apostolus in exordio epistolarum munus sibi divinitus collatum quasi iuris titulum cur doceat et moneat

efferre solet, ita prophetae quoque se a Deo mitti testantur; nemo enim sibi sumit honorem, nisi qui vocatur a Deo tamquam Aaron. In hac missione divina eorum consistit auctoritas, dignitas, robur. Deus fidelis non desistit per prophetas erudire populum; quare exsulibus quoque eum praestat favorem. Sed quam sint indigni, ipsis nominibus declarat; vocat *gentes,* quia sicuti gentes, a Domino defecerunt, rebelles in eum exstiterunt. Et tales facti sunt filii *Israel,* quo nomine pietatis, obedientiae, et desiderii divinae benedictionis admonentur patriarchae Iacob (cf. Gen. 32,28. Os. 12,4). Immo iniquitas ea et rebellio iam per longam generationum seriem invaluit; unde quam altas egerit radices innuitur et quam difficile futurum sit opus prophetae. Idque sequentibus quoque declaratur v. 4 « *et filii dura facie et indomabili corde sunt ad quos ego mitto te et dices ad eos : haec dicit Dominus Deus* »! — filii sunt electione et foedere; sed quales? quantopere malum sit induratum, habitu externo et animi indole interna depingitur. Sunt enim perfrictae frontis, impudentes, facie et vultu obstinationem et rebellem arrogantiam prae se ferentes (cf. Is. 3,9. Ier. 5,3); animis autem obfirmati sunt qui nec beneficiis nec minis frangi, erudiri, emolliri possunt. Deus autem stans promissis prophetam iis suscitat. Munus vero prophetae optime delineatur verbis ultimis; est enim legatus Dei ad populum qui ea sola perfert quae Dominus mandat et qui non suo nomine loquitur, sed nomine et auctoritate Dei qui verba ponit in ore vatis (Deut. 18,18; vide *Cornely,* Introd. II 2 p. 271 seq.).

Etiam obstinatis et recalcitrantibus id saltem innotescere vult Deus se ex sua parte misisse prophetam; nam ex textu hebr. v. 5 *sive audiant sive omittant* (audire) — *nam domus contumax sunt* — *experientur prophetam adfuisse inter se;* ita rite hebr. concipiunt *Vat. Mald. Mar. Malv. Lap. Calm. Troch.* et sensu eodem etiam accipe quod in *vulg.* legitur v. 5 « *si forte vel ipsi audiant et si forte quiescant, quoniam domus exasperans est, et scient quia propheta fuerit in medio eorum* »; — i. e. et si quiescant ab audiendo, si audire nolint vel negligant; ergo loquere iis sive audiant, sive non audiant (*Pint. Lap.*); « etsi cessant audire, volo tamen adeas illos, ut sint inexcusabiles et ego officio meo non videar defuisse » (*Tir.*). Monent cum *S. Hier.* latini interpretes, haec dici (in *vulg.*) ambigentis affectu, ut liberum hominis demonstretur arbitrium. Dicitur *scire* sensu efficaci i. e. revera, ipso facto, rebusque indubiis experientur, cognoscent eventu vaticiniorum et acri reprehensione vatis.

Quare vates monetur et praemunitur, ne ob eorum metum taceat v. 6 « *tu ergo fili hominis ne timeas eos neque sermones eorum metuas, quoniam increduli et subversores sunt tecum et cum scorpionibus habi-*

tas; verba eorum ne timeas et vultus eorum ne formides, quia domus exasperans est »! — hebr. expone : ne timeas, *si* tecum sunt contumaces et refractarii; vel cum *vulg.* opus est tali admonitione *quia* ad eiusmodi homines loqui debet. Verba hebr. communiter vertunt : cardui (urticae) et spinae sunt circa te i. e. homines qui ita pungere solent. Sed veteres communiter ibi agnoscunt adiectiva (vel participia), ita *Syrus :* insolescentes et aspernantes te; sim. *Sym. Theod. Chald.* et LXX utuntur verbis παροιστρήσουσι καὶ ἐπισυστήσονται; quare *C.* pro mas. סַלּוֹנִים (quae vox ex 28,24 explicanda esset pro סִלּוֹן) legit verbum סלה aspernari, uti invenitur Ps. 119,118; סרב in aramaico notionem eam habet quam veteres expresserunt : *refractarius ;* significatio *cardui* vel *urticae* solum ex eo concluditur, quia סַלּוֹנִים de spinis intelligunt. Quam maligni sint, comparatione scorpionum declaratur : homines sunt qui acriter vulnerant non sine mortis periculo. At *verba* ne timeat; *verba* dicit Deus, quia Deo protectore ultra sonum et tumultum inanem non valebunt procedere; *facies* ne timeat, etsi ira et minis in eum excandescant; quid enim efficere possunt in prophetam, si solum vultus minaces exhibere poterunt? Unde ipsis vocibus Deus indicat vanos et inanes fore eorum conatus contra prophetam. Cum ergo Deo promittente et protegente nihil sit timendum, repetitur mandatum v. 7 « *loqueris ergo verba mea ad eos, si forte audiant et quiescant, quoniam irritatores sunt* »; — hebr. *sive audiant sive omittant;* vide ad v. 5. Ergo ne animum despondeat, neve a munere suo cesset, etsi nullus efficitur fructus. Reluctantibus quoque et invitis verba Dei ne desinat annuntiare.

Unde Deus ab vate postulat animum promptum et obedientem; simul symbolo ei declaratur id quod prophetis commune est poni verba Dei in ore eorum v. 8 « *tu autem, fili hominis, audi quaecumque loquor ad te et noli esse exasperans, sicut domus exasperatrix est; aperi os tuum et comede quaecumque ego do tibi* »! — « tu saltem meis praeceptis esto obsequens, ne sicut alter Ionas detrectes obire functionem, ne avitam et fraternam imiteris duritiem » (*Prad.*). Contumacia plebis proposita prophetae provocatur animus generosus, ut dum illi Deo rebelles exsistunt ipse eo maiore alacritate se Deo subdat. Iam Dei verba et mandata symbolice ei proponuntur v. 9 « *et vidi et ecce manus missa ad me, in qua erat involutus liber et expandit illum coram me qui erat scriptus intus et foris et scriptae erant in eo lamentationes et carmen et vae* »; — cernit manum extentam versus se et in ea erat *volumen libri* (hebr. *Vat. Mald. Mar. Lap.* etc.); haec autem papyrus scripta erat a facie et a tergo, ante et retro, ergo ex utraque pagina.

Itaque oraculorum multitudo indicatur; eorum autem argumentum continetur *lamentationibus, gemitu, vae;* unde gravissima Dei in populum rebellem iudicia designantur, quae propheta annuntiare debebit. Ostenditur ergo vati quam molestos nuntios et quam duros perferre debeat. Munus itaque satis onerosum et ex parte populi et ex parte argumenti ei proponitur. Ita nubes atra et ventus turbinis et ignis quae in visione cernit quid sibi velint ei explicatur.

Ut autem officium hoc grave suscipiat Deus vatis consensum et acceptationem expostulat; quare 3,1 « *et dixit ad me : fili hominis quodcumque inveneris comede, comede volumen istud et vadens loquere ad filios Israel* »! — idem symbolum Apoc. 10,9 legitur; monetur ut munus obeat nihil haesitans. Libri autem comestione figuratur non tantum communicatam fuisse vati functionem, sed etiam spiritum et calorem internum, ut quae intimo animo susceperit etiam ex animo et cum affectu loquatur (*Prad. Lap.*). Ratione haud absimili dicit Ieremias sermonem Domini in corde suo factum esse quasi ignem aestuantem. Ezechiel acceptat missionem oblatam et modo ad symbolum consentaneo dicit : fiat mihi secundum verbum tuum v. 2 « *et aperui os meum et cibavit me volumine illo ;* v. 3 *et dixit ad me : fili hominis, venter tuus comedet et viscera tua complebuntur volumine isto quod ego do tibi! Et comedi illud et factum est in ore meo sicut mel dulce* »; — verba Domini non solum auribus et memoria suscipere, verum meditatione assidua revolvere, intellectum et voluntatem pascere et saturare iubetur (cf. *S. Hier. Pint. Prad. Lap.*). Et accepta missione dura statim sentit divinam consolationem; volumen illud threnis et gemitu plenum ei fit dulce sicut mel; ita scil. Deus adiuvat et solatur eos qui molesta subire non recusant; cf. Ier. 15,16 : inventi sunt sermones tui et comedi eos et factum est mihi verbum tuum in gaudium et in laetitiam cordis mei. Similiter Ps. 18,10. 11; 118,103.

Accepit igitur missionem symbolo simulque sensit intimo animi affectu quomodo Deus suae consolationis dulcedine molestissima quaeque reddere possit suavia. Iam qualis futura sit missio edocetur v. 4 « *et dixit ad me : fili hominis, vade ad domum Israel et loqueris verba mea ad eos!* v. 5 *non enim ad populum profundi sermonis et ignotae linguae tu mitteris, ad domum Israel;* v. 6 *neque ad populos multos profundi sermonis et ignotae linguae, quorum non possis audire sermones, et si ad illos mittereris, ipsi audirent te* »; — mittitur ad eos qui possunt eum audire et intelligere, at qui nolunt; attamen reluctantibus quoque praedicare iubetur. Id ei praedicitur, ne laborem videns inanem et inutilem cesset. Populus profundi labii et gravis linguae (hebr.) is videtur illi qui eius linguam non intelligit, cum solum sonos

aliquos obscuros et indistinctos sibi videatur percipere. Sed certe non id solum hoc loco innuitur, Israelitas posse percipere et intelligere linguam prophetae, sed cum minus dicatur, plus intelligitur, scil. Israelitas etiam capaces esse (dummodo voluerint) rite ut percipiant praedicationis argumentum; sunt scil. veri Dei notione imbuti et bene norunt populi electi dignitatem, vocationem, spem ad quam a Deo vocantur. Demum ultimo membro in modum dolentis addit Deus gentes dummodo iis adesset opportunitas fore ut essent promptiores ad Dei verbum audiendum et opere complendum quam ingratus Israelitarum populus. Qua comparatione insignis continetur accusatio et reprehensio obstinationis populi electi. Id evenire indicat quod Is. 65,1. 2 exprimitur.

Ultimam sententiam veteres versiones LXX, *Syrus*, *S. Hier.* et paraphrasis chald. eodem modo exprimunt. In textu *mas.* legitur אִם־לֹא; illud לֹא veteres non reddunt; quare vertunt v. g. LXX καὶ εἰ πρὸς τοιούτους ἐξαπέστειλά σε, οὗτοι ἂν εἰσήκουσάν σου. Recentiores dictionem illam non uno modo expediunt; aliqui legunt, quod iam *Lap.* proposuit אִם לֹא vel אִם לוּ; ita *Ewald;* qua lectione idem habetur sensus quem veteres exprimunt, quem sensum *Sm.* quoque sequitur. Alii vertunt : quamquam te non ad eos misi, ipsi te audirent (*Schr.*), sensu haud alieno a veterum acceptione. Alii : profecto (quasi iuramenti formula), si ad eos te misissem; vel tamquam per interrogationem (cf. *Vat. Mald. Malv.*). Alii tamen sensu plane diverso haud improbabiliter explanant; nam אִם לֹא post negationem significare *sed* colligitur v. g. ex Gen. 24,38, quo in loco *S. Hier.* bene vertit *sed;* unde tota sententia referri potest ad Israelitas : sed ad eos te misi, ipsi te possunt audire (cf. *Hitz. Keil, C.*). Cum igitur hoc loco sententia non sit plane explorata, consultius erit hunc locum non allegare ad stabiliendam scientiam quam theologi vocant *mediam;* pro ea prostant loci alii iique plane indubii (cf. 1 Reg. 23, 11 seq. Matth. 11,21. Luc. 10,13).

Sed quod Israel facile posset et ad quod tota sua historia populus est institutus, id non praestabunt v. 7 « *domus autem Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me; omnis quippe domus Israel attrita fronte est et duro corde* »; — en, quae ratio afferatur! Dei legatum audire detrectant, quia ipsi Deo omnem denegant obedientiam. Qui vos spernit, me spernit; vel ut *S. Hier.* monet : qui vos non recipit, me non recipit. Id ad quoddam solatium vatis dici censet *S. Hier.* : « ne contristeris, inquit, si te audire noluerint; idcirco te non audient, quia me audire contemnent » ; sim. *Pint.* qui advertit simili modo Deum moerorem Samuelis levasse : non enim te abiecerunt, sed me ne regnem super eos... sicut dereliquerunt me et servierunt diis alienis, sic

faciunt etiam tibi (1 Reg. 8,7. 8). De fronte dura (hebr.) et corde obstinato et in malum obfirmato vide 2,4; subintelligitur, ut *S. Hier.* advertit, « quod saepe ad salutem provocati, noluerunt audire »; « causa vero cur repugnent a voluntate contentionum studiosa et corde adversandi cupido et mentis temeritate proficiscitur » (*Theod.*).

e) **Quomodo munus sit obeundum 3,8-21.**

Ratio muneris est declarata; quae futurae sint difficultates satis est ostensum. Iam edocetur quo animo legationem obire debeat. Ad id primo Deus promittit ei robur accommodatum et aequale difficultatibus; valide ei assistet sua potentia, ne ergo timeat v. 8 « *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum et frontem tuam duriorem frontibus eorum* »; — in hebr. potius aequalitas exprimitur : faciem tuam reddam duram *sicut* eorum facies etc.; idque etiam aliae versiones veterum indicant, quibus non gradatio exprimitur, sed LXX dedi faciem tuam potentem κατέναντι τῶν προςώπων αὐτῶν; sim. *Syrus, Chald.* et *Aq.* hebr. לְעֻמַּת vertit quoque συμφώνως; *Vat. Mar. Malv.* reddunt *e regione*, vel *contra*. Si in hoc versu vati aequale solum robur promittitur ex hebr., in sequenti certo maius prae adversariis robur ei conceditur v. 9 « *ut adamantem et ut silicem dedi faciem tuam; ne timeas eos, neque metuas a facie eorum, quia domus exasperans est* »! — in hebr. melius: *ut adamantem, duriorem saxo dedi faciem tuam;* cf. *Mald. Mar. Malv.;* durities vero adamantis indomita credebatur. Unde auxilium et robur valentissimum Deus pollicetur et tale quidem, ut vates non cum gemitu et dolore, sed cum alacritate et animo excelso fungi possit munere duro. Adnotat *S. Hier. :* « ex quo discimus interdum gratiae esse Dei impudentiae resistere et cum res poposcerit, frontem fronte concutere; hoc autem tribuitur, ne nostra verecundia et humanus pudor pertimescat insidias aemulorum ». Quanta Deus longanimitate populum tulerit et etiam tum ferat contumacem, ex reprehensione repetita et accusatione contumaciae et obstinationis et rebellionis satis colligitur.

Timore igitur excluso iam iubetur loqui audacter, palam v. 10 « *et dixit ad me : fili hominis, omnes sermones meos quos ego loquor ad te, assume in corde tuo et auribus tuis audi* v. 11 *et vade, ingredere ad transmigrationem, ad filios populi tui et loqueris ad eos et dices eis : haec dicit Dominus Deus, si forte audiant et quiescant* »! — ipse prius verba Domini bene animo condat et perpendat et dein cuncta fideliter annuntiet nomine et auctoritate Dei, sive audiant sive respuant audire (hebr. cf. 2,5. 7). Neque immerito saepius monet Deus, ne de

effectu sit sollicitus, sed ut respuentibus quoque nuntium perferre non cesset; quid enim monitori molestius est quam ne audiri quidem? et qua re facilius sibi persuadet cessari posse quam si viderit omnia incassum effundi? Bene notat *Prad.* dici *populi tui,* « quasi non iam mei, neque enim de meo nomine eos appellare dignor qui tam foede a me defecerunt » et advertit *Pint.* eodem modo Deum Moysi olim dixisse : vade, populus tuus peccavit.

Dominus mandatum quod dedit ipse exsequendum curat, dum scil. vates vento transfertur quasi vehiculo spiritus Domini ad exsules; v. 12 « *et assumpsit me spiritus et audivi post me vocem commotionis magnae : benedicta gloria Domini de loco suo;* v. 13 *et vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram et vocem rotarum sequentium animalia et vocem commotionis magnae* »; — spiritum intelliges cum plerisque virtutem divinam vel angelicam, qua vates raptus sit (cf. *S. Hier. Theod. Mald. Mar. Malv. Lap. Men. Tir. Gord. Troch.*); neque tamen prohibemur quominus cum *Calm.* ventum quoque interpretemur, sed ita ut ventus sit index et signum virtutis divinae. Antequam vates accepta missione ad exsules rapitur, vocem audit cherubim Deum laudantium et alis concrepantibus quasi suam de electione prophetae laetitiam significantium et acceptae missioni applaudentium. Augusta species atque sublimis hoc loco panditur. Legatione enim exposita et accepta Deo laudes canunt quasi gratias agentes quod iterum nuntium sibi elegerit et suo cantico praedicentes fore ut ex ea missione nova exsistat gloria Dei; festivo sonitu gaudent angeli et applausu alarum vati de Dei vocatione quasi gratulantur. Ii qui sunt administratorii spiritus, missi in ministerium eorum qui hereditatem capiunt salutis, laetantur de ope hominibus lata; cherubini qui Dei throno assistentes vitam divinam in se abundanter recipiunt exsultant, quia nova ratio vitae divinae hominibus largiendae per prophetae missionem est inaugurata. Praeterea carmine illo et sollemni fragore optime depingitur, quanta maiestate visio coelestis recesserit.

Quomodo illud *de loco suo* iungendum sit et explicandum, haud facile dicitur. Plerique referunt ad gloriam Domini benedictam, vario tamen sensu : gloria Domini benedicta de loco suo venit i. e. de coelo descendit (*Pint. Mald.*), vel e loco suo recedit i. e. vel e templo discedit, ita ut templi excidium praedicatur (*Sa, Mar.*), aut discedit e loco quo se spectandam exhibuit (*Prad. Tir. Men.*) vel sit benedicta in loco suo, eo sensu quo angeli canunt : gloria in altissimis Deo (*Lap.*) vel Deo laus esto e solio gloriae in quo sedet (*Calm.*) vel e loco quo gloria Dei se nunc manifestavit, laus eius debebit diffundi in omnem terram (*Schr.*). Alii voces iungunt cum *audivi post me vocem,* ita ut canticum hoc dicatur allatum ad aures prophetae e loco

quo consistebat gloria Domini (*Keil*), qui tamen iungendi modus propter collocationem verborum nimis violentus est. Alii volunt canticum hoc non e loco cherubim audiri sed *post me* i. e. e regione meridionali e Ierusalem (*Ewald, Plumptre*, Expositor l. c. p. 17); sed id gratuito adstruitur et v. 13 quo narratio de sonitu alarum rotarumque audito eadem ratione adnectitur satis refutatur. Quod *post me* dicitur, facillime explicatur; praecedit enim : assumpsit me spiritus; unde dum vates a spiritu aufertur, audit *post se* canticum. Explicationem praefero simpliciorem : celebrata sit gloria Domini de loco suo i. e. ubicumque sese manifestat, ex eo loco laus eius celebretur et diffundatur; id quoque innuere videtur *S. Hier.* scribens : locus autem Domini est omnis in quo hospitium invenit. — Verbis istis canticum contineri, iam *Chald.* indicat inserens : audivi vocem commotionis magnae laudantium et dicentium; atque ita plerique sentiunt. At iam *Prad.* aliam sequitur acceptionem : « neque enim ea vox (quod quidam existimarunt) audita est vel a vate prolata, quia sequens versus docet gloriam cum quadriga e loco motam; quare subaudi : mota est de loco suo »; explicat ergo : sonitus magnus auditus est, cum gloria Domini recederet de loco suo vel audivi sonum magnum, benedictam gloriam Domini de loco suo (recedentem). Ad quem sensum accedit recentiorum aliquorum coniectura pro ברוך legendum esse ברום : audivi sonum, cum sese elevaret gloria Domini (ita *Hitz. Sm. C.*). Hoc modo illud *de loco suo* utique commodissime explicatur; sed cum iam LXX et reliqui testes eundem legerint textum quem hodie habemus, cum praeterea lectio facilior magisque obvia vix censenda sit mutari in difficilem et obscuram, dubito an illi coniecturae sit accedendum.

Ipse autem propheta spiritu Domini transfertur ad exsules in Telabib v. 14 « *spiritus quoque levavit me et assumpsit me et abii amarus in indignatione spiritus mei, manus enim Domini erat mecum confortans me,* v. 15 *et veni ad transmigrationem, ad acervum novarum frugum, ad eos qui habitabant iuxta flumen Chobar, et sedi ubi illi sedebant et mansi ibi septem diebus moerens in medio eorum* »; — hebr. *et manus Domini super me gravis et veni ad Tel abib*, quam vocem *S. Hier.* ex etymologia vertit acervum novarum frugum, dum refert Aquilam et Symmachum et Theodotionem verba posuisse hebraica. Oppidum quidem Tel abib vocatum nondum est ea in regione repertum; at oppida e voce Tel formata exsistebant plura v. g. Til barsip, Til bari, Til garimmu, Til abni, Til humba (cf. *Delitzsch,* Paradies p. 4. 25. 111. 141. 173. 183. 203. 246. 263. 323. 325) et nomen hoc Tel vel Til frequens esse in Mesopotamia, Assyria, Syria iam ostendit *Assemani,* Bibl. orient. III 2 p. 784. Ipsis verbis id omnino indicatur quod *S. Hier.* habet : « transfertur propheta non ut quidam aestimant in spiritu, sed in ipso corpore, quod et de Abacuc apud Theodotionem legimus »; ita quoque explicant *Theod. Prad.*

Mald. Lap. Calm.; alii autem eum in spiritu, in visione esse translatum volunt (*Pint. Sa, Loch, Keil*) vel visione finita vatem ductum a Spiritu sancto et impulsum pedibus ivisse ad exsules (*Troch.*). Sed ultimum cum verbis v. 12. 14 nequit conciliari. Neque par est ratio cum 8,3 et 11,24; nam iis in locis explicite additur vatem esse translatum *in visione Domini* i. e. in ecstasi; ergo solum mente et visione, non re et corpore. Vates *abiit amarus* i. e. calore spiritus concepto et sacra indignatione ac zelo plenus propter populi contumaciam toties sibi significatam; potentem Dei vim et impulsum in animo sentit, quo ad munus subeundum fortiter adigebatur (*Mar.*). Sedet per septem dies in medio exsulum *stupens* (hebr.), attonitus, immobilis, audita et visa secum volvens, illis totus infixus et abreptus. Singulari ea sese gerendi ratione animos exsulum attentos reddit vel saltem eorum studium excitat noscendi quid rei sit. Unde id efficitur, ut actiones et sermones subsequentes vatis maiore attentione prosequantur. Ipsi autem vati a Deo spatium conceditur, quo muneris suscepti rationem et visionem habitam animo versetur. Proinde sacro quodam secessu septem dierum ad munus obeundum consecratur, sicut in consecratione sacerdotum olim dicebatur : septem enim diebus finitur consecratio (Lev. 8,33. Ex. 29,30). Notat etiam *S. Hier.* : « qui speculator futurus est et Dei verba populo narraturus, multo tempore debet quiescere et dolere ad ea quae videat nihilque habere eorum in conscientia quae in aliis correpturus est ».

Post hos autem dies, ut institutio prophetae compleatur, Deus ei annuntiat legationis sanctionem, mercedem si obeat, si neglexerit poenam v. 16-21; v. 16 « *cum autem pertransissent septem dies, factum est verbum Domini ad me dicens :* v. 17 *fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel et audies de ore meo verbum et annuntiabis eis ex me* »! — officium prophetae hisce bene adumbratur; est in specula constitutus; debet ergo vigilare, periculum appropinquans nuntiare, hostium adventum signo edito palam facere, curam et sollicitudinem gerere salutis et incolumitatis civium et quasi in longinquum prospicere, quid utile quid nocivum futurum sit. Dein in specula constitutus et e vita communi ad Dei familiaritatem elevatus audiet verba Domini, ea quoque expetet acceptaque cum populo debet communicare. Haec autem verba in eo primum consistunt, ut peccatores de impietate et poena ingruente moneantur v. 18 « *si dicente me ad impium : morte morieris, non annuntiaveris ei neque locutus fueris, ut avertatur a via sua impia et vivat, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram* »; — gravissima datur sanctio mandati divini et pro peccatore, qui morte punitur, nisi audita annun-

tiatione resipuerit poenitentia et emendatione vitae, et pro ipso propheta, qui si ex negligentia vel timore hominum peccatorem non serio monuerit gravissimum Dei iudicium et mortem ei annuntians, iam ipse tamquam homicidii reus apud Deum habebitur. Unde prout Deus caedem ponit in homicida (cf. Gen. 9,5), eodem modo se dicit animadversurum in vatem negligentem et se ulturum necem et mortem peccatoris in capite vatis. Quare optime monet *Est.* quanta incumbat necessitas animarum pastoribus, ut munere suo rite fungantur; atque ex consequenti et similitudine quoque concluseris, quantum sit coram Deo peccatum socordia in illis. Merito advertit *Prad.* sententiam esse horrore plenam in praesules, sed quae aperte declaret viscera misericordiae Dei in peccatorem, cuius mortem adeo doleat et ulciscatur, quasi sanguis innocentis esset fusus; vindictam porro Deum sumere non de occisore, sed de ipso doctore quod non monuerit de discrimine impendenti. Porro ex verbis quoque sequitur, minas Dei saepe proferri quidem absolute, at intelligi debere apposita conditione, uti apertissime declaratum habes Ier. 18,7 seq. et Ez. 33,13 seq.; deinde vides Deum intentare minas, ut peccator convertatur et vivat; ergo poenam praedicit, ut peccator eam avertat (cf. *S. Hier.*).

Exigit Deus a propheta fidelitatem et curam, non fructum vel successum; nam v. 19 « *si autem tu annuntiaveris impio et ille non fuerit conversus ab impietate sua et a via sua impia, ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti* »; — ad rem *Theod.*: « insons eris si quae tibi incumbunt feceris; licet enim illius morbus manserit insanabilis, ipse solus suae pertinaciae solvet poenas. Convenit autem scire quomodo et superius et hic dixerit impium punitum iri in iniquitate perseverantem, sive annuntiantem habuerit, hoc est docentem, sive non; sufficit enim natura ad ea quae facto opus sunt discernenda, doctrina vero ex abundanti adhibetur divina bonitate omnes vias ad hominum salutem moliente ». Id utique consequitur impium haud excusari ab ignorantia.

Uti peccatoris, ita iusti quoque curam gerere iubetur, ne labatur in peccatum v. 20 « *sed et si conversus iustus a iustitia sua fuerit et fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo, ipse morietur quia non annuntiasti ei; in peccato suo morietur et non erunt in memoria iustitiae eius quas fecit, sanguinem vero eius de manu tua requiram* »; — iustus a recto tramite aversus Deo permittente magis magisque impinget et involvetur peccatis; sua enim culpa suavi providentia Dei destituitur, cui peccato sese subtraxit; nam non est in via qua Deus illum ducere vult, quare quam maxime exponitur periculis; iusta quippe Dei administratione fit, ut contra ipsum iniquitas eius conver-

tatur et ea ipsa veluti offendiculo posito corruat (*Malv.*). Monet *Theod.*: « non simpliciter dixit : si peccaverit iustus, sed si aversus fuerit a iustitiis suis et fecerit delictum, hoc est, si relicta recta qua incedebat via in alteram conversus fuerit... contrarii autem sunt exitus et viis convenientes; necessario igitur priorum laborum lucrum amittet in improbae viae lapsus exitum; amissam illius vitam de manu tua requiram poenam negligentiae a te sumens ». Inde disce merita acquisita nihil prodesse ei qui in peccato moriatur; clare etiam enuntiatur fieri posse, ut aliqui in peccato moriantur, quia propheta non annuntiavit; cuius negligentiae ipse poenas dabit quasi homicida. Recte quoque infert *S. Hier.*: « et bona igitur opera indigent assiduo praeceptore ne lapsus ab optimo cursu retrahat pedem ». Nimium autem contendit *Loch* tali apostatae Deum debere gratiam suam subtrahere. Nam quamdiu vivit peccator non excluditur a gratia. Insuper attende hic prophetam moneri minis istis ut munus diligenter obeat. Porro iustis quoque Dei admonitio assidue est ingerenda v. **21** « *si autem tu annuntiaveris iusto ut non peccet iustus et ille non peccaverit, vivens vivet quia annuntiasti ei et tu animam tuam liberasti* »; — en fructus admonitionis! multi iusti servantur in sua probitate et ipse legatus et praeco Dei animam suam salvat et se fidelem ministrum Deo commendat; « duplicem lucratus es vitam et tibi et illi; atque haec satis sunt ad nos excitandos, ut pro fratribus omnem adhibeamus diligentiam » (*Theod.*). Unde ipsius prophetae salus iam nexu individuo coniungitur fideli muneris exercitio, ita ut pro ipso valeat quod Paulus dicit : vae mihi, si non evangelizavero! necessitas enim mihi incumbit.

PARS PRIOR. IUDICIA DEI 3, 22-32, 32.

Series prima 3, 22-7, 27.

1. *Prophetia re expressa* 3, 22-5, 4.

Arg. — Debet propheta prius in se ipso calamitatem instantem depingere et aliorum oculis exhibere, dein suo tempore loqui iubetur (3,22-27). Et primo quidem iubetur urbem oppugnatam in latere depingere et supplicia ventura repraesentare cubatione, victu arcto (4, 1-17). Dein altera actione symbolica figurat, quid in ipsa obsidione et post eam futurum sit (5,1-4).

a) **In se debet exhibere calamitatem 3, 22-27.**

Operis iniuncti iam incipit exsecutio, sed ita ut prophetae clarissime

proponatur se regi ac dirigi virtute divina. Itaque v. 22 « *Et facta est super me manus Domini et dixit ad me : surgens egredere in campum et ibi loquar tecum* »! — hebr. *egredere in vallem;* Tel abib, uti nomine indicatur, pagus erat in colle situs; ex quo in vallem, vel in planitiem vel campum egredi iubetur. Non in pago, sed in solitudine ei denuo fit revelatio divina (*Pint.*), quies enim, ut *Theod.* hic monet, divinarum rerum contemplationi apta est. Iussum exsequitur v. 23 « *et surgens egressus sum in campum et ecce ibi gloria Domini stabat quasi gloria quam vidi iuxta fluvium Chobar et cecidi in faciem meam,* v. 24 *et ingressus est in me spiritus et statuit me super pedes meos et locutus est mihi et dixit ad me : ingredere et includere in medio domus tuae* »! — ut confortetur et ad ardua quaevis alacriter obeunda paratus sit, certus de divina voluntate et iussione, denuo visio illa praeclara ei offertur, de qua cap. 1. Iterum coelesti visione conspecta in terram procidit, reverentia et sacro timore perfusus; erigitur spiritu Dei, uti supra 2,1. 2.

Et quomodo domi se contineri debeat, declaratur v. 25 « *et tu, fili hominis, ecce data sunt super te vincula et ligabunt te in eis et non egredieris de medio eorum* »! — hebr. *in medium eorum* i. e. domi te continebis neque coetus hominum frequentabis neque liber inter eos incedes. Ratio est in promptu. Postquam iam attentionem plebis excitavit per septem illos dies v. 15, certe maior exsistet admiratio, si propheta subito domi se continet, immo ibi vinculis constrictus conspicitur. Nam, uti 4,3 dicitur, signum debet esse pro Israel. Quare actionem symbolicam peragere iubetur, simili modo quo Is. 20,1 seq., quo Ier. 13,1 et 19,10 etc. Quare certum esse debet, prophetam revera ligatum fuisse et ligatum a Iudaeis esse conspectum, neque ullo modo haec ad meram visionem internam referri posse. Quomodo enim propheta signum esset pro Israel vel quomodo efficaciter animos commoveret, si omnia sola visione in ecstasi mentis prophetae peragerentur? Num sola narratione visionis? Sed quid ea efficeretur? et insuper ne loqui quidem ei licet v. 26. Sed per quem ligatur? Sunt qui velint eum ligatum a populo irato vel quia eum amentem habebant (*Prad. Mar. Tir. Lap.*); verum id et durum est et alienum a divino consilio. Debet esse signum; sed ut id esse possit, non debet tamquam mentis inops haberi. Quare explica vel cum *Sa* : curabis te ligandum a domesticis, vel uti 4,8 indicatur vincula ei esse iniecta a Deo, prout habet *Chald.* : statui verba oris mei super te sicuti vincula. Eo autem signo figurari obsidionem urbis Ierusalem, facile cum *S. Ephr. Hier. Theod.* aliisque senties; « quod in domo clauditur, quod vinculis alligatur, quod non egreditur ad eos inter quos habitat, sed inter multitudinem captivo-

rum solitudinem carceris patitur, obsidionis indicium est, quod clausa Ierusalem atque circumdata ab exercitu Chaldaeorum nullum habitantium foras exire permittet » (*S. Hier.*).

Prophetam a Deo ligari etiam eo commendatur quod altera vatis conditio qua se mutum exhibet ad Deum auctorem refertur v. 26 « *et linguam tuam adhaerere faciam palato tuo et eris mutus nec quasi vir obiurgans, quia domus exasperans est* »; — i. e. quia adeo sunt contumaces et obstinati, prius rebus, actionibus, symbolis ad attentionem sunt excitandi et admiratione quadam vel saltem curiositate imbuendi, ut ea ratione sermonibus via paretur. Quae videntur, magis animos afficiunt, quam quae solum audiuntur. Unde *pro initio* vates prohibetur, ne sit illis in virum obiurgantem. Rem plane invertit et pervertit *Sm.* statuens prophetam a concionibus revocari quia tamen sint inutiles vel prophetam propter populi contumaciam brevi ab annuntiatione cessasse. At immerito *Sm.* inter v. 21 et 22 temporis spatium interserit quo propheta concionatus sit; dein non attendit prophetam toties iussum esse praedicare sive audiant sive respuant; quomodo ergo tam subito cessaret? neque quod domus sit contumax, ratio est vel esse potest cessationis, nisi visionem antecedentem ad mera figmenta ablegaveris. Omnia bene cohaerent, dummodo nihil in textum inseratur. Post septem illos dies v. 15 incipit munus non a concione, sed ab actione symbolica, quam quo maior attentio et admiratio excitetur, mutus peragere debet. Istud silentium, ad quod Deus eum si opus fuerit coget, res est valde apta ad omnium stuporem, curiositatem, studium excitandum, quo post longum silentium maiore aviditate verba percipiantur.

Quando sit loquendum, ipse vates nescit. Verum Deus signum ac mandatum peculiare eum iubet exspectare v. 27 « *cum autem locutus fuero tibi, aperiam os tuum et dices ad eos : haec dicit Dominus Deus : qui audit, audiat et qui quiescit quiescat, quia domus exasperans est* »; — loquendi ratio est eadem, quae 2,5. 7; audiant qui volent, et respuant quibus id placet; igitur sive audiant, sive detrectent audire, tum quando Dominus iusserit, verbum Dei est palam et intrepide annuntiandum. Eodem modo in Apoc. : qui in sordibus est sordescat adhuc, et qui iustus est iustificetur adhuc; verba sunt dolorem prae se ferentia (*Pint.*). Simul rebus istis ad vivum depingitur, quomodo vates omnino a Dei nutu et gubernatione et inspiratione dependeat.

b) **Symbolum obsidionis Ierusalem 4, 1-17.**

Apud Ieremiam apertissima adsunt testimonia, quomodo Iudaei

nullo modo admittere et sibi persuadere voluerint fore, ut urbs sancta expugnetur a Chaldaeis. Eandem exspectationem viguisse inter exsules, immo pseudoprophetas inter eos ruinam proxime futuram regni babylonici esse vaticinatos pariter apud Ieremiam legimus (cf. 28,2 seq. 29,4. 21 seq.). Vanam hanc fiduciam ut deponant, ut sibi persuadeant iudicia Dei toties provocata demum iri devolutum in urbem peccatricem et in populum rebellem, et ut in sola ad Deum conversione remedium ruinae quaerant, Deus modo sensibili id quod fiet iis ob oculos ponendum curat. Idque fit eo tempore, quo talis eventus omnino improbabilis videbatur; Sedecias enim a rege Babylonis erat institutus rex; quare ab eodem urbem destructum iri, prophetia veri nominis haberi debet. Unde v. 1 « *Et tu, fili hominis, sume tibi laterem et pones eum coram te et describes in eo civitatem Ierusalem*, v. 2 *et ordinabis adversus eam obsidionem et aedificabis munitiones et comportabis aggerem et dabis contra eam castra et pones arietes in gyro* »! — uti Assyrii et Babylonii in lateribus scribere solebant, ita vates iubetur in latere urbem i. e. Ierusalem delineare et contra eam omnia illa effigie exprimere et peragere quae in obsidione fieri solent; i. e. debet perfectam exhibere et effingere figuram obsidionis; itaque aedificare דָּיֵק quam vocem veteres de propugnaculis seu munitionibus explicant (LXX προμαχῶνας, *Syrus* קלקומא, *Chald.* כרקום i. e. χαράκωμα, *Sym.* probabilissime ἀποτείχισμα), recentiores de turribus, quam explicationem iam *Prad.* e rabbinis profert et de turribus ambulatoriis accipit; sim. *Vat. Mald. Lap.*; dein iubetur aggerem contra eam *fundere* (hebr.), « significat terrae suggestae cumulum, item lapidum, caespitum, lignorum congestionem et coacervationem qua fossae implentur, ita ut quasi e monte excedente moenia impugnetur civitas » (*Prad.*). Eadem ratione effingere et delineare debet castra, in quibus exercitus oppugnator circa urbem castrametatur, et arietes, machinas scil. ad moenia evertenda.

Ita imagine obsidionis ad vivum effecta iam ipsam obsidionem peragere vates iubetur v. 3 « *et tu sume tibi sartaginem ferream et pones eam in murum ferreum inter te et inter civitatem et obfirmabis faciem tuam ad eam et erit in obsidionem et circumdabis eam; signum est domui Israel* »; — i. e. ita pone sartaginem, ut quasi muri speciem referat positi inter te et urbem. Iam Dei quoque figuram, ut notat *Theod.*, exprimere iubetur; significat enim murum quasi ferreum interpositum inter urbem et Deum, ita ut Deus « quasi muro quodam ferreo coercitus neque cernere quae fiant neque sibi supplicantes audire videatur » (*Theod.*). Demonstrat igitur murus ferreus grandem Dei iram quae nullis precibus flectatur ad misericordiam (*S. Hier.*). Habes hic

delineatum quod Deus apud Isaiam 59,2 queritur : iniquitates vestrae diviserunt inter vos et Deum vestrum et peccata vestra absconderunt faciem eius a vobis ne exaudiret; sim. *Prad. Lap. Pint. Malv. Men. Tir. Troch.;* decretum igitur Dei inexorabile declaratur. Alii in sartagine Iudaeorum duritiem et peccatorum nigredinem (*Vat. Sa*), vel ipsas calamitates (*S. Ephr.*), immo murum Ierusalem (*Mald. Mar.*) significari censent; sed prior explicatio ipsis verbis et tota descriptione commendatur et probatur sequentibus : *obfirmabis* etc. severo et implacabili vultu urbi irasceris; « hebr. stabilies, defiges quod est severitatis signum gestusque iudicis constantis in decreto qui nullius auctoritate, precibus aut fletibus commoveatur ad veniam » (*Prad.*). Perperam explicat *Sm.* sartaginem de munitionibus quibus urbs oppugnatur; hae enim iam in v. 2 omnes descriptae sunt. Propheta igitur iis symbolis urbem obsidendam exprimens et iram Dei decretumque immutabile repraesentans muro interposito et vultu in eam obfirmato est in signum pro Israel eventus futuri, et quid Dei sit consilium rebus ipsis docet. Quod alii quandoque dicunt, eum sustinere et repraesentare non tam Dei personam quam personam Chaldaeorum vel Nabuchodonosor urbem obsidentis, non multum differt, dummodo Nabuchodonosor consideretur tamquam a Deo missus ad vindictam eam exercendam, sicut v. g. servus Domini appellatur Ier. 25,9; 27,6; 43, 10 (cf. *Mald. Men.*).

Tempus quoque et modus cubationis ei praescribitur v. 4 « *et tu dormies super latus tuum sinistrum et pones iniquitates domus Israel super eo numero dierum quibus dormies super illud, et assumes iniquitatem eorum* »; — explica non dormire, sed cubare, iacere. In sinistro latere decumbens supplicium fert et poenas domus Israel; sinistrum eligitur latus, quia Israel in sinistra i. e. septemtrionali parte erat a Iuda (*Prad. Mar. Lap. Loch, Hitz. Sm.*); forte simul connotatur minor regni israelitici dignitas, quia parti sinistrae aliquid sinistri inest (*Mald. Men.*), uti etiam illud testatur : cor sapientis in dextera eius et cor stulti in sinistra illius (Eccl. 10,2) et qui honoratur, ad dexteram considere iubetur (Ps. 109,1). In eo situ poenam ferre debet domus Israel idque per numerum dierum quibus illi lateri incumbit. Quis sit iste numerus, iam declaratur v. 5 « *ego autem dedi tibi annos iniquitatis eorum numero dierum trecentos et nonaginta dies, et portabis iniquitatem domus Israel* »; — hebr. *dedi tibi annos in numerum dierum* i. e. pro uno anno diem tibi constituo unum. Hebr. עָוֹן significat, uti *Prad.* iam notat, reatum et culpae et poenae; unde promiscue pro utroque adhiberi solet; in praesenti autem loco dicitur pro poena peccati, non pro culpa, quod ex adiuncto verbo portare facile digno-

scitur, quod cum hominibus tribuitur significat sustinere, pati (*Prad.*). Ex quo consequens est etiam *iniquitatem* domus Israel non necessario dicere peccata per 390 annos commissa, sed potius poenam per illud spatium subeundam. Ita enim eandem vocem in eadem sententia significatu eodem accipimus; id quod sane praeferendum est.

Post illos dies poena domus Iuda erit portanda v. 6 « *et cum compleveris haec, dormies super latus tuum dexterum secundo et assumes iniquitatem domus Iuda quadraginta diebus; diem pro anno, diem inquam pro anno dedi tibi* »; — hanc autem poenam subire debet, dum simul obsidionem urbis symbolice peragit. Duplicem igitur personam in se suscipit et refert : Dei, in urbis obsidione et in ira contra urbem ostensa, populi, in situ illo longo atque molesto quo afflictiones et miserias eius et subit et praefigurat. Quomodo situ suo etiam afflictionem obsidionis et iram Dei debeat exprimere, habetur v. 7 « *et ad obsidionem Ierusalem convertes faciem tuam et brachium tuum erit extentum et prophetabis adversus eam* »! — prophetare non utique verbis, debuit enim esse mutus 3,26, sed ipsa effigie efformata, vultu suo truculento et irato in urbem converso et brachio contra eam levato, more scil. hominis minantis; hebr. *diriges faciem tuam et brachium tuum nudatum* i. e. ut aliquibus placet, more hominis pugnantis (*Mald. Mar.*). Verum ut cubationem illam longam et molestam ferre valeat, Deus ipse providet v. 8 « *ecce circumdedi te vinculis et non te convertes a latere tuo in latus aliud, donec compleas dies obsidionis tuae* »; — vide 3,25; hebr. *ecce do super te funes;* ligatur ne molestia victus situm mutet.

Iam restat, ut explicetur quid isti numeri dierum sibi velint. Quaestio est valde obscura et in varias partes maxime disceptata; crescit obscuritas quia de priore numero non omni cum certitudine constat. Leguntur enim apud LXX non 390 dies, sed solum 190; id quod iam notavit *S. Hier.* : « satis miror cur vulgata exemplaria (i. e. LXX) centum nonaginta annos habeant et in quibusdam scriptum sit centum quinquaginta, cum perspicue et hebraicum et Aquila Symmachusque et Theodotio trecentos nonaginta annos teneant »; sed simul elucet ex ipso iam tum multa exemplaria graeca ad normam textus hebr. qui ferebatur esse revocata; pergit enim : « et apud ipsos LXX qui tamen non sunt scriptorum vitio depravati idem numerus reperiatur ». Si igitur numerum graecum sequimur et simul advertimus annos poenae designari, symbolum fortasse hunc in modum concipi potest : Israelitae per annos 190 poenam apostasiae luunt a regno destructo, Iudaei autem ab urbe expugnata per annos 40. In neutro quidem casu, quocumque modo ratio et computatio fit, accurate ad annum soluti exsilii pervenimus 538; attamen in illud tempus quo Cyro iam victore exitium

imminere coepit regno babylonico. Si enim (cum *S. Hier.*) poenam regni israelitici inchoari dicimus a transportatione per Theglathphalasar facta, igitur circiter ab anno 732, post annos 190 devenimus ad annum 542 a. Ch.; si pro Iudaeis ab anno expugnatae urbis computamus, annum 546 attingimus. In ipso symbolo vates duo exhibet coniuncta : urbis obsidionem et poenam ab Israelitis et Iudaeis per certum annorum spatium luendam. Idem habes in subsequentibus; victum enim parcum et arctum nobis proponit quo et miseriae obsidionis et panis pollutus in exsilio (v. 13) designatur. Neque id alienum est a modo prophetico. Cum enim obsidio et expugnatio urbis ultimum sit exitium et finis regni, ex quo totius populi eiectio in exsilium consequatur, propheta in illo eventu simul ea repraesentare et in se delineare iubetur, quae et illum praeparabant et ex illo consequebantur. Illud fiebat transportatione Israelitarum, hoc accidit abductione Iudaeorum. Propheta igitur utriusque populi personam in se exprimens et in obsidione urbis poenam utriusque adumbrans quasi in compendio exhibet Dei iudicia in populum rebellem devolvenda; sed in eo quod poena definito circumscribitur temporis spatio, iam spes latet veniae et instaurationis.

Iam quid de numero 390 annorum in textu hebr.? Inter varias opiniones haec fortasse haud improbabilis potest videri. Ex duobus illis numeris anni conficiuntur poenae subeundae 430. Est ergo illud temporis spatium quod ex Ex. 12,40 populus degerat in Aegypto[1]. Unde tamquam poenam meruisse dicuntur alteram servitutem aegyptiacam. Talem instar poenae proposuerat Moyses : reducet te Dominus in Aegyptum (Deut. 28,68), eam minatus est Osee 8,13 et 9,3. 6 neque alienum est a more prophetarum exsilium babylonicum quasi alteram servitutem aegyptiacam considerare, id quod eo elucet quia reditum e Babylonia quasi liberationem ex Aegypto describunt (cf. Is. 43,17. 18; 51,12. Ier. 23,7.8. Os. 2,14. 15. Mich. 7,15). Verum quae huic explanationi obiici possunt, facile occurrunt. Primo enim commoratio illa aegyptiaca non erat poena Israelitis iniuncta; dein non cernitur ratio ulla, cur Israelitis anni poenae assignentur 390, solum 40 Iudaeis. Nam quis credet Iudaeos minus culpae et poenae esse obnoxios vel censeri adeo distare ab Israelitis, praesertim cum propheta 23,11 di-

1. Numerus iste nequit oppugnari auctoritate S. Pauli, qui dicat legem esse datam post quadringentos et triginta annos a promissione facta Abraham et semini eius Gal. 3,17. Cum enim apostolus loquatur de promissionibus, totam periodum promissionum earundem quae Abraham, Isaac et Iacob factae sunt ob oculos habet; de qua re cf. *Patritius*, Comment. in Act. Ap. p. 47. Ita revera lex datur 430 annis post promissiones.

cat Iudaeos plus insaniisse impietate quam Israelitas? Alia consideratione adhibita dici quidem potest cum *Theod.* : « maior erat iniquitas Israel; hi enim cum penitus a Deo defecissent, modo iuvencas colebant modo omnis generis idola adorabant »; at nihilominus illius distributionis nulla ratio potest detegi. Neque 40 anni commorationis in deserto cum aliis (*Hitz.*) talem rationem divisionis nobis offerunt. Nam illi non concluduntur ad commorationem in Aegypto, neque est, cur isti modo peculiari ad Iudaeos referantur. Numerum hunc, ut *S. Hier.* notat, « alii et maxime Iudaei » ad captivitatem aegyptiacam retulerunt. Ex recentioribus *Loch, Keil, Plumptre* hanc explicationem adoptarunt.

Aliqua de variis explicationibus addenda sunt. Annorum numero exprimi poenam eiusque durationem rite statuunt *S. Hier. Theod. Mald. Mar. Calm· Loch, Hitz. Keil, Sm.*, idque suadetur eo quod עָוֹן eodem ubique sensu accipitur. Modus autem computandi varius est. *S. Hier.* a vastatione Israel sub Phacee facta usque ad annum quadragesimum Artaxerxis Mnemonis « qui ab Hebraeis Assuerus appellatur, sub quo Mardochaei et Esther narratur historia, quando omnis populus de mortis periculo liberatus recepit pristinam libertatem » supputat annos 390; ergo tempus poenae iis vult terminis concludi. Annos autem quadraginta numerat a primo anno Iechoniae « quando magna pars Ierusalem translata est in Babylonem » usque ad primum Cyri regis Persarum annum; id quod tamen errore aperto laborat, cum primus annus Cyri iam esset ponendus anno vigesimo nono post urbem a Nabuchodonosor captam, ergo c. an. 557 vel 556. Eodem modo dicit *Mar.*: « hoc sequamur, dum via commodior non se ostendit locum aliter explicandi plane difficilem ». In priore supputatione etiam *Mald.* idem sentit; sed annos 40 ita accipit, ut cum Ezechieli haec prophetia patefacta sit iam fluxisse dicat annos triginta captivitatis, superesse adhuc quadraginta; ergo ponit hoc vaticinium an. 578, id quod nullo modo fieri potest, quia urbs Ierusalem iam an. 586 erat expugnata. In eodem errore versatur *Theod.* quoque, qui ceteroquin non annos legit pro Israel 390, verum solum centum quinquaginta. *Loch* numerum dierum 430 refert ad durationem obsidionis Ierusalem; id quod ab aliis quoque fit, uti *Vat. Prad. Clario, Lap. Tir. Men. Calm.*, ita ut ea duratione iniquitates Israel et Iuda sint punitae. Quae explicatio etiam aliquibus defectibus laborat. Primo enim quaeri potest sitne ista duratio certa. Nam quamdiu propter exercitum aegyptiacum appropinquantem obsidio sit interrupta (cf. Ier. 37,5. 7) plane in incerto iacet; ceterum ab incepta obsidione usque ad expugnationem urbis i. e. ab anno Sedeciae nono, mense decimo, die decimo mensis usque ad eius annum undecimum, mensem quartum, diem mensis nonum alii computant dies 530 (*Ros.*), alii dies 510 (*Calm.*). Dein cur in obsidione Ierusalem per 390 dies poenae exigantur a civibus Ierusalem pro delictis Israel et per 40 dies pro suis ipsorum peccatis, nemo, puto, ulla probabili ratione declarabit. Porro

nemo non videt poenas pro iniquitate populi utriusque exactas non posse reduci ad obsidionem solam.

Alii in annis istis tempus intelligunt per quod Israelitae et Iudaei peccarunt et Deo impietate sua molesti erant. Ita iam *S. Ephr. Pint. Prad. Vat. Malv. Sa, Lap. Men. Tir. Gord.*, ita ut aliqui utrumque, et annos pravitatis et dies obsidionis Ierusalem, expressum esse censeant, uti in antecedentibus iam indicavi. Modus autem annos istos computandi iterum varius proponitur. *Prad.* v. g. annos 390 numerat a bipartita monarchia inter Roboam et Ieroboam usque ad urbis excidium anno undecimo Sedeciae, quadraginta annos domus Iuda totidem vult esse annos regni Manasse, antequam ab Assyriis caperetur. Sed utrumque haud feliciter statuitur; nam quomodo Israelitae quorum regnum iam an. 722 destructum est, peccasse dicuntur usque ad an. 586? Pariter incertum est Manassen per 40 annos impietati indulsisse. *Malv.* ab anno 27 Salomonis numerat usque ad annum 5 post Sedeciam; alterum terminum statuit ab anno 18 Iosiae scil. ab anno instaurati foederis usque ad postremam deportationem per Nabuchodonosor. *Lap.* numerat a primo anno Roboam usque ad ultimum annum Sedeciae; annos illos 40 regno Manasse attribuit, sicut *Sa* quoque, dum *Tir. Gord.* eos numerant ab anno 13 Iosiae usque ad ultimum annum Sedeciae; *Plumptre* ab anno 975 usque ad Sedeciam et ab anno 634 usque ad 594. Numeri annorum integri qui in libro Regum a divisione regni usque ad obsidionem Ierusalem ultimam recensentur hi sunt : Roboam 17, Abiam 3, Asa 41, Iosaphat 25, Ioram 8, Ochozias 1, Athalia 6, Ioas 40, Amasias 29, Azarias 52, Ioatham 16, Achaz 16, Ezechias 29, Manasses 55, Amon 2, Iosias 31, — omittuntur Ioachaz et Ioachin quorum uterque solum per tres menses regnavit — Ioakim 11, Sedecias 8; qui numeri si adduntur, accurate habentur 390 anni. Ex qua re *C.* concludit numerum hunc 390 annorum ab Hebraeis esse consulto in textum insertum pro genuino 190, quem LXX praebent. Sed sane mirum foret, si Iudaei tempus peccatorum regni israelitici computassent usque ad annum 9 Sedeciae, cum regnum iam anno 722 esset destructum. Quare dubito num origo annorum 390 ita possit explicari.

Exinde iam satis elucet neque si anni de poena toleranda, neque si de tempore iniquitatis peractae exponantur, numerum annorum 390 et 40 accurate posse declarari, neque intelligi cur Israelitis 390, Iudaeis 40 tribuantur. Eadem difficultate quoque premeris, si dies 430 ad obsidionem urbis retuleris. Unde lectio graeca de annis 190, quae lectio aliquam explicationem forte facilius admittit, praeferenda esse videtur. Neque enim cum *S. Hier.* aliisque poenam et exsilium Israelitarum ultra tempus Cyri extendere licet; nam per Cyrum libertas redeundi est concessa et prophetae utrosque, Israelitas et Iudaeos, simul in libertatem vindicari haud semel innuunt; cf. Ier. 3,18; 30,10; 31,5. 20. Ez. 16,53; 37,11. 16. 19 etc., unde libertate redeundi omnibus concessa arbitrarium est asserere poenam Israelitarum etiamtum perdurasse.

Non solummodo cubatione molesta poenam rebellibus debitam in

se debet exprimere, verum etiam victu parco et vili miserias quas subire debebunt v. 9 « *et tu sume tibi frumentum et hordeum et fabam et lentem et milium et viciam et mittes ea in vas unum et facies tibi panes numero dierum quibus dormies super latus tuum; trecentis et nonaginta diebus comedes illud* »! — etiam hic LXX praebent 190 dies. Iubetur ergo earum rerum sibi copiam providere et ex eiusmodi granis inter se mixtis quotidie sibi panes conficere; qua mensura et quo modo coquendi sint isti panes, certo non sapidi propter illarum rerum mixtionem, etiam accurate ei praescribitur v. 10 « *cibus autem tuus quo vesceris erit in pondere viginti stateres in die; a tempore usque ad tempus comedes illud* »; — pondere viginti siclorum i. e. secundum mensuram nostratum panes pondere octo vel novem unciarum sibi parare iubetur pro singulis diebus neque hunc cibum una vice sumere licet, sed vario temporis intervallo. Ad locum hunc notat *S. Hier.* : « quam nos viciam interpretati sumus, LXX Theodotioque posuerunt ὀλύραν, quam alii *avenam*, alii *secale* (sigalam) putant. Aquilae autem prima editio et Symmachus ζέας sive ζείας interpretati sunt quas nos vel *far* vel gentili Italiae Pannoniaeque sermone *spicam speltamque* dicimus ». Sed recentiores primam versionem, *viciam*, praeferunt (*Keil, Sm. C.*). In victu hoc parco (decem uncias assignat *S. Hier.*), quo magis trahitur anima quam sustentatur (*S. Hier.*), miseriam et famem declarat quae futura sit in urbis obsidione. Quare etiam panem ex variis rebus conficere iubetur; « sicut enim in rerum omnium penuria non quaeruntur ciborum diversitates et deliciae, sed quomodo venter impleatur, sic nunc propheta frumentum et hordeum, fabam, lentem et milium avenamque mittit in unum vas » (*S. Hier.*). Quaerunt, cur solum pro priore numero dierum victus praescribatur. Censent aliqui in eo numero etiam contineri vel subintelligi 40 dies (*Prad. Lap.*), verum id gratuito dicitur. Alii 40 dies iam non de obsidione urbis explicant, sed de vastatione et miseria urbem expugnatam consequente (*Tir.*). Cum dies illi poenam Israelitis infligendam significent, etiam cibus arctus ad hanc poenam declarandam referri debebit; vel dic non per integrum obsidionis tempus adfore annonae caritatem.

« Sterilitatem cibi aquae auget sterilitas » (*S. Hier.*) v. 11 « *et aquam in mensura bibes, sextam partem hin; a tempore usque ad tempus bibes illud* »; — hin erat sexta pars mensurae bath quae appellatur; bath vero vel epha aequivalere dicitur metretae atticae (39,39 *liter*). Secundum rabbinos hin tantum capiebat quantum 72 testis ovorum contineri poterat; unde aquae mensura pro vate constabat duodecim ovorum testis. Notat *S. Hier.* : « hin duos χόας atticos facit, quos nos appellare possumus duos sextarios italicos, ita ut hin mensura sit iudaici sextarii,

nostrique castrensis, cuius sexta pars facit tertiam partem sextarii italici; qui cibus et potus iuxta inclytum oratorem non vires tribuit, sed mortem prohibet ». Hin capere dicitur lit. 6,49 secundum nostram mensuram; eius ergo sextam partem vati per diem bibere licebat (cf. *Vigouroux,* Manuel bibl. 3 ed. I p. 244).

At nondum miseriae cumulus adest. Nam cibum illum eo modo parare iubetur quo nausea et fastidium maxime movetur v. 12 « *et quasi subcinericium hordeaceum comedes illud et stercore quod egreditur de homine operies illud in oculis eorum* » ! — hebr. *et in fimo excrementi humani coques illud in oculis eorum;* i. e. panis debet praeparari tamquam placenta hordeacea subcinericia et coqui igne ex stercoribus accenso; panis enim subcinericius coquebatur in cineribus calidis vel super lapides calidos. Ob lignorum penuriam in alimentum ignis orientales v. g. fimum siccatum boum etc. adhibent[1]. Nota dici *in oculis eorum,* ergo ut videant illi et ex eo symbolo ad calamitatem venturam super Ierusalem amandentur, quo vanam spem demum abiiciant. Uti in victu parco angustiae et fames delineantur tempore obsidionis, ita in modo coquendi id simul delineatur quod obsidionem subsequetur. Nam Ezechiel exsulibus annuntiare debet nullam adesse spem fore ut regnum iudaicum conservetur, verum fore ut intereat et reliqui quoque Iudaei eiiciantur in exsilium. Ad hoc autem ex consilio divino adumbrandum omnino erat consentaneum, ut et obsidio urbis et exsilium ex ea consequens actione symbolica repraesentetur simul. Neque enim sufficere poterat solam depingere obsidionem, cum Ierusalem iam saepius fuerit obsessa, immo et expugnata, ita tamen ut ruina regni et abductio populi in terram alienam non sit subsecuta. Quare praeter habitudinem ad obsidionem quae per se adest ex v. 1 seq. Deus aliam explicite addit v. 13 « *et dixit Dominus : sic comedent filii Israel panem suum pollutum inter gentes ad quas eiiciam eos* » ; — coctio illa panis in cineribus ex fimo combusto certe creat fastidium panemque reddit foedum ac tetrum; quare talis panis assumitur in symbolum commorationis inter gentes idololatria vitiisque foedatas. Insuper, uti *Prad. Lap. Tir.* advertunt, ex Deut. 23,12-14 consequitur stercori illi aliquid inesse levitice immundi; unde eo magis panis ille aptus erat quo sordes gentium significarentur. Uti ergo populus Dei peccatis recessit a sanctitate praecepta, ita Deus eum abiicit inter sordes gentium et illam a gentibus separationem tolli sinit, ut ea quoque re

---

1. Id qua ratione etiamnum fiat, fuse narrat *Wetzstein* in nota ad commentarium libri Iob a Delitzsch editum ad 20, 7.

significetur foedus cum Deo initum turpiter esse violatum. Vide quoque Os. 9,3. 4.

Verum propheta foeditatem illam Deut. 23,12-14 declaratam pro sua legis observantia abominatur, unde amorem legis obtendens deprecatur v. 14 « *et dixi : a a a, Domine Deus, ecce anima mea non est polluta, et morticinum et laceratum a bestiis non comedi ab infantia mea usque nunc et non est ingressa in os meum omnis caro immunda* »! — hebr. אֲהָהּ ah, exclamatio est stupefacti, dolentis, renuentis; vide ad Ier. 1,6; « iuxta Aquilam tertio detestatus est *ah, ah, ah;* iuxta Symmachum vero et LXX respondit μηδαμῶς, pro quo Theodotio transtulit : o Domine Deus; ne putemus eum contradicere Domini imperio, sed causas reddere, immo deprecari, cur hoc facere non possit » (*S. Hier.*). Affert autem rationem ex sedula quam a pueritia coluerit observantia legis; *anima mea* i. e. ego nunquam me immunditie levitica maculavi; verbum quod hic usurpatur טמא vox est sollemnis pro eiusmodi immunditie et frequentissima in Lev. praecipue capp. 11. 13. 14. 15. 18. 22 et in Num. capp. 5. 19; Deut. cap. 14. Assertionem universim prolatam probat casu particulari; morticini esus prohibetur et qui tetigerit fit immundus; vide Lev. 5,2; 11,8. 11. 24. 27. 28. 35-39;17,15; 22,8; Deut. 14,8. 21. Similiter statuitur de eo quod a bestiis est laceratum; vide Ex. 22,31. Lev. 7,24; 17,15; 22,8. Caro immunda, hebr. *foetida,* dicitur de carne sacrificali, quae facta sit impura Lev. 7,18 et 19,7. Is. 65,4. Bene notandum est hos quos allegavi locos in quibus praecepta ea continentur pertinere ad eam Pentateuchi partem, quam recentiores quidam codicem sacerdotalem appellant et quam demum exortam esse volunt medio saeculo quinto Esdrae et Nehemiae aetate (cf. *Cornely,* Introd. II 1 p. 136), quia status ille religiosus qui in eo codice describatur, ante exsilium non exstiterit. Sed adverte, quomodo Ezechiel affirmet, se praecepta illa « codicis sacerdotalis » a pueritia מִנְּעֻרַי accurate observasse! Ergo in usu erant diu ante Esdram! Et cum haec propheta Deo respondeat et hanc suam observantiam alleget contra mandatum illud, etiam indicat observantiam illam a lege Dei esse profectam. Id quoque eo suadetur quia Deus statim precibus cedit v. 15 « *et dixit ad me : ecce dedi tibi fimum boum pro stercoribus humanis et facies panem tuum in eo* »; — ad coquendos panes tamquam alimentum ignis adhibere ei licet fimum boum in sole siccatum, id quod satis commune esse in regionibus orientalibus iam *Calm.* adnotat. Quod Deus tam facile cedat obsecrationi prophetae, signum esse haud immerito dicunt fore ut in maxima etiam ira aliquid de sua summa severitate remittat (cf. *S. Hier. Mald. Prad. Tir.*).

Ad quid actio symbolica tendat, explicatur v. 16 « *et dixit ad me : fili hominis, ecce ego conteram baculum panis in Ierusalem et comedent panem in pondere et in sollicitudine et aquam in mensura et in angustia bibent*, v. 17 *ut deficientibus pane et aqua corruat unusquisque ad fratrem suum et contabescant in iniquitatibus suis* »; — *baculum* i. e. firmamentum panis, quia panis cor hominis confirmat, vires sustentat etc.; vide ad Is. 3,1. De impletione lege 4 Reg. 25,3. Ier. 38,9. Lament. 2,20. In pondere et mensura, non ad libitum, sed prout fit in obsidione alimentis iamiam deficientibus, pauca quaedam singulis distribuuntur. At hoc victu misero utentur cum magna animorum angustia, timore, sollicitudine propter metum expugnationis. Implebitur quod iam Lev. 26,26 totidem verbis minatus erat Deus legum transgressoribus. Ita suis iniquitatibus corruent et contabescent.

Recentissimus criticus plane alium versuum ordinem in hoc capite statuendum esse censet. Distinguit scil. *Cornill* duo symbola, alterum obsidionis urbis, exsilii alterum, quod utrumque in eo capite contineri utique verbis ipsis planissimum est et ab omnibus agnoscitur. Verum ipse duo haec inter se separata exhiberi vult; quare versus hoc ordine describit : v. 4-6. 8. 9. 12-15. 1-3. 10. 11. 16. 17; ita scil. ut utrumque symbolum ab alterutro distinctum pro se ponatur. Num recte? Nullo modo; nam idem ordo qui adest in textu hebr. etiam adest apud LXX et alios testes antiquos, neque ulla ratio cur textus sit perturbatus afferri potest. Dein *C.* ex falso supposito proficiscitur; censet enim duo haec symbola esse plane distincta neque quidquam habere inter se commune. Ita quidem re in se considerata *posset* cogitari. At interpreti praeprimis perpendendum est, non quomodo res concipi aliis in conditionibus possit, sed quomodo ab auctore libri revera concipiatur. Iam ipsis verbis explicite statuitur symbolum obsidionis et exsilii ita inter se iungi, ut eadem actione symbolica utrumque exprimatur. Habes id clare expressum in v. 9 in quo cibi praeparatio cum cubatione intime iungitur; iam vero cubatio spectat obsidionem, cibus autem ille parcus explicite in v. 13 ad exsilium, in v. 16. 17 autem ad obsidionem refertur. Unde cubatio, praeparatio cibi actiones sunt quae uno eodemque tempore peraguntur, et tamen una hac re et obsidionis et exsilii miseriae praefigurantur. Cum igitur is nexus actionum ab ipso propheta statuatur, frustra negatur talem adesse nexum. Deinde non advertit vatem repraesentare *unum* eventum i. e. ruinam regni iudaici. Haec autem ruina consistit non in sola obsidione urbis, sed in obsidione et expugnatione tali qua populus e terra sua in alienas dispergatur regiones. Quare duo haec uti in rerum eventu revera coniungebantur, ita in actione quoque symbolica optime inter se colligata atque connexa repraesentantur. Unde separatio illa a *C.* adoptata omnino contraria est menti prophetae expressae in v. 9. 13. 16. 17. Praeterea recole quae iam ad v. 12 adnotavi. Idem confirmatur ex sequentibus 5,2-4.

c) **Reliquiae paucae servabuntur 5, 1-4.**

Iam quis futurus sit exitus obsidionis et quid ipsis exsulibus eventurum sit, significatur. Iterum scil. Ezechiel ob oculos ponere iubetur, qualis ruina regno iudaico instet, ne ii qui iam sunt in exsilio vana spe sibi illudant. Simul adverte in hac quoque actione symbolica intime inter se iungi obsidionem expugnationemque urbis et miseriam exsilii, sicuti modo in cap. 4 vidimus. Iubetur autem propheta capitis ornatum decusque abscindere, capillos et barbam v. 1 « *Et tu fili hominis, sume tibi gladium acutum, radentem pilos, et assumes eum et duces per caput tuum et per barbam tuam et assumes tibi stateram ponderis et divides eos* »! — hebr. *gladium acutum* (tamquam) *novaculam tonsorum sumes eum tibi* i. e. gladium acutum adhibebis usu et loco novaculae ad pilos abscindendos barbamque radendam; deinde *cape tibi bilances ponderis* vel lances librae et divide pilos (cf. *Mald. Mar. Malv. Vat.*). Quomodo et cur lancibus sint dividendi, habes v. 2 « *tertiam partem igni combures in medio civitatis iuxta completionem dierum obsidionis; et assumes tertiam partem et concides gladio in circuitu eius; tertiam vero aliam disperges in ventum et gladiumnudabo post eos* »! — significatio actionis est perspicua. Capilli et barba sunt ornatus viri; « barba enim symbolum est virilitatis, coma libertatis et nobilitatis; unde Absalom nutriebat caesariem et nazaraei Deo consecrati quasi filii Altissimi comam fovebant » (*Lap.*). Ita Deus sibi populum elegerat, ut esset sibi in nomen et laudem et gloriam (Ier. 13,11), in peculium de cunctis populis, in regnum sacerdotale et in gentem sanctam (Ex. 19,5. 6). Iam vero, uti lumbare apud Ieremiam, ita hoc loco capillos removeri iubet. Gladium acutum vati assignat, ergo fore eversionem funditus atque celeriter. In lancibus Dei iudicium iustum, praemeditatum, alios alio poenae genere prosequens agnoscunt (*Theod. Mald. Mar. Prad. Lap.*). Ergo Deus iam in eo est, ut populum electum a se removeat et separet. Tertia pars in ipsa urbis obsidione interibit, id quod vates adumbrare debet tertia parte pilorum combusta; tertia pars cadet gladio in ipsa urbis expugnatione et in circuitu urbis hostibus scil. omnia perscrutantibus; tertia pars dispergetur in regiones alienas, et ibi quoque, uti iam Deus iisdem verbis Lev. 26,33 comminatus erat, rebelles ac contumaces vindictae iraeque Dei subiacebunt. Ceterum symbolum hoc habes declaratum in v. 12 : « tertia pars tui peste morietur et fame consumetur in medio tui et tertia pars tui in gladio cadet in circuitu tuo, tertiam vero partem in omnem ventum dispergam et gladium evaginabo post eos ».

Quid exsulibus continget dispersis in alienas regiones? v. 3 « *et sumes inde parvum numerum et ligabis eos in summitate pallii tui* »! — inde i. e. ex iis qui dispersi sunt paucos colliget eosque ligare iubetur *in alis* i. e. in ora vestis; igitur ex clade illa et ex exsilio pauci Dei benignitate et providentia servabuntur. Illi iterum admittuntur ad Dei familiaritatem et in eius protectione reconduntur. At ne isti quidem omnes Deo fideliter adhaerebunt, verum aliquorum improbitate fiet, ut extremum periculum immineat domui Israel v. 4 « *et ex eis rursum tolles et proiicies eos in medio ignis et combures eos igni et ex eo egredietur ignis in omnem domum Israel* »; — en habes quomodo tota historia futura populi post exsilium apto symbolo adumbretur. Etiam inter reduces erunt tales qui denuo igne divini iudicii puniendi sunt; impii autem illi tantum suscitabunt incendium, quod universam iudaicam gentem depopulabitur i. e. uti per se intelligitur omnes qui apta sunt eius ignis materia i. e. impios. Plerique interpretes hic merito cernunt innui ultimum illud in Iudaeos rebelles iudicium quod ex scelere sacerdotum et pharisaeorum ortum tempore Titi in omnem domum Israel est devolutum (cf. *S. Hier. Theod. Pint. Prad. Mar. Lap. Tir. Men. Troch.*), vel saltem compendio quodam habes adumbrata fata populi reducis ex exsilio qui iterum igne probationis est excoctus quo igne multi interierunt, donec tandem tota domus Israel ultimo discrimini est obiecta. Uti symbolum est generale et per decursum temporis iterum iterumque potuit eventu declarari, ita non erit cum aliquibus sistendum in uno aliquo eventu neque in eo qui Ier. 29,22 narratur (cum aliquibus rabbinis *Mald.*) neque in Ier. 40 seq. (*Grotius, Calm. Schr.*), neque in rerum difficultate statim post exsilium (*Loch*), neque in tempore Machabaeorum. Ignem vero intelligere quo tota domus Israel purgetur et sanctificetur (*Keil*), usui vocis ignis repugnat et ei qui hoc loco habetur et qui generatim in s. litteris cernitur et iram dicit et vindictam Dei (cf. Deut. 4,24; 9,3; 32,22. Is. 9,19; 26, 11; 30,30; 33,14 etc. Ier. 4,4; 11,16; 15,14. Am. 5,6. Soph. 1,18. etc., etc.).

Iam paucis attingenda est quaestio in utramque partem disceptata, utrum haec sola visione peracta sint, an revera externo opere exhibita. Haec omnia reipsa uti narrantur facta esse affirmant *S. Ephr. Theodoretus* (cf. in Osee cap. 1), *S. Basilius* (in Is. 8,1-4; *M.* 30,473. 476; si commentarius ille rite ei adscribitur), *S. Gregorius M.* hom. 12 in Ez. (*M.* 76,928), *Ribera* (Comment. in Os. n. 47), *Prad. Malv.* (« aptius convenit typo et signo »), *Lap. Men. Gord.* (« probabilius est revera decubuisse ») *Calm. Loch*, *Cornely* (Introd. II 2 p. 436) et ex protestantibus *Kliefoth*, *Schroeder*, *Plumptre*, aliique. Atque haec sen-

tentia videtur esse tenenda. Nam omnino suadetur obvio verborum sensu, ita ut si res erat opere externo peragenda, non possis excogitare verba aptiora vel modum loquendi magis clarum et significantem. Praeterea nullo verbulo (v. g. in visione, in spiritu, uti 8,3 et 11,24 et 37,1 et 40,2 in visionibus Dei) innuitur rem sola visione geri; id quod eo magis adverti oportet, quia alias Ezechiel ea quae in visione sola fiunt clare ut talia solet indicare, uti locis allegatis patet. Immo nostro loco explicite asseritur panem esse coquendum a vate *in oculis eorum* 4,12, ergo videntibus et inspectantibus exsulibus; nescio an accuratius significari possit res coram aliis quam videre et considerare debent peragenda i. e. externo opere perficienda. Dein considerari oportet causam, cur Deus talia iubeat. Vult scil. exsulibus omnino ad oculum demonstrare fore ut urbs Ierusalem expugnetur et regnum quoque iudaicum plane concidat; vult ipsa hac prophetia omnem vanam quam fovent spem eripere et animis evellere — qualis fuerit ea spes, vide apud *Cornely,* Introd. II 2 p. 435 et supra p. 1 seq. — Unde si Deus modum elegisse censendus est *efficacem* ad animos permovendos, actiones hae coram oculis exsulum erant peragendae, ita ut prophetia per visum et postea per auditum iis repraesentata duros animos percelleret[1]. Quid enim in animos obfirmatos valuisset sola prophetae visio? quid etiam sola visionis narratio? actionibus autem visis per tot dies debuerunt, si ulla re moveri poterant, animi quoque contumaces percelli. Neque parum mihi momenti habere videtur illa vatis deprecatio v. 14, cui Deus accedit : ecce dedi tibi fimum boum etc.; quod utrumque in re vere gerenda optime intelligitur, in mera autem visione si omnia fiunt, potius ad risum movendum aptum est. Demum recole quae alias iam monui etiam ab Isaia (20,1 seq.), ab Osee (cap. 1 et 3), ab Ieremia (cap. 13; 19,10; 27,2; 28,10) actiones symbolicas esse peractas, et vide ad Ez. 12,3 seq.

Neque tanta est rei exsequendae difficultas, ut propterea rem esse opere praestitam negari oporteat. Utique difficile est ac molestum diu in uno vel altero latere cubare. Sed si cum LXX dies legimus non trecentos nonaginta, sed centum nonaginta, difficultas aliquantum iam minuitur. Dein dubitari potest, an non solum per diem aliis inspectantibus, sed etiam per noctem eadem cubatione permanere debuerit. Consilio Dei satisfiebat cubatione diurna, neque obstat 4,8. Si igitur prophetae quietem ac relaxationem noctis concedimus, res fit

1. Bene nominat *Plumptre* eiusmodi repraesentationem : dramatic teaching, an acted parable.

tolerabilis. Talem autem cubationem absolute fieri posse, exemplis demonstratur. En quod *Prad.* refert : « vidimus multoties quendam amentem (olim sacerdotem, litteris et vitae puritate insignem) catena ligatum, in latus idem decumbentem totos dies noctesque per annos plus quindecim; hoc igitur bene patitur rerum natura ». Simile se vidisse testatur *Lap.* : « vidi ego Lovanii virum nobilem paralyticum qui iam decimum sextum annum continuo supinus mira patientia iacebat; sic Simeon stylita octoginta annos continuo eodem pede stabat naturam adiuvante Dei gratia ». Neque victus parcitas veram creat difficultatem. Utique fatendum est prophetam ea in conditione non potuisse degere vitam iucundam; sed quis nescit Deum a suis servis quandoque res postulare satis difficiles? et in quas angustias incidere Ieremiam permisit? omnem ei vitae hilaritatem interdixit Ier. 16, 2 seq.; in carcerem trusus mortis periculo erat expositus (37,19); sentit diei pondus et aestus in tantum, ut diei nativitatis suae maledicat (20,14). Porro cogita de Iob, de Elia aliisque. Ceterum eo victu vitam posse sustentari certum est. Audi quod narrat *Wellsted* (Travels in Arabia II p. 200), quem eius rei testem *Keil* et *Troch.* allegant : « les Bédouins entreprennent un voyage de dix ou douze jours sans rien emporter qu'un sac plein de petites galettes, faites de farine et de lait de chameau ou de chèvre, et une outre d'eau. Chaque galette pèse environ cinq onces. Deux de ces galettes et une gorgée d'eau sont tout ce qu'ils prennent en vingt-quatre heures ». Unde ea in regione sub coelo calidiore eo victu vitam trahi posse certum esse videtur.

Gravia sunt eam in rem verba *Theod.* in Os. 1,4, quae partim transscribere non piguit : « eorum audaciam mirari satis non queo qui non verentur dicere verba haec esse rebus destituta et quod ea quidem Deus exsequenda iusserit, propheta tamen non receperit, sed verba prolata quidem fuisse, verum prophetam ea non exsecutum fuisse. Enimvero debuerunt animadvertere qui haec dicere ausi sunt eiusmodi multa Deum saepius imperasse ». Iam recenset Is. 20,1. Ier. 27.2 et 28,13. Ez. 4 cap. et 12 cap.; dein pergit : « huiusmodi alia innumera in s. Scriptura invenire licet, quorum scopum et propositum si quis ignoraverit, prophetica virtute haec indigna ducet; qui autem Dei studium et amorem in homines sciunt, utque omnia ad hominum salutem administrat, inde Deum laudandi occasiones arripiunt ac divinos prophetas omni ex parte Domino obedire studentes admirantur. Universorum enim Deus cum ad homines inveterato stuporis morbo laborantes verba faciens verbis non persuaderet, rebus quibusdam adumbrabat futura visorumque admirabilitate ad considerationem eos trahebat, qui pervicaci erant animo... qui Ezechielem omnia illa facientem viderant, factorum causam, ut par erat, sciscitabantur ».

Verum omnia haec in sola visione esse peracta censet *S. Hier.* (in Os.

1,8 et in comment. ad Ez. 4,13; *M.* 25,49. 827) qui ait ea non vere iuxta litteram esse perpetrata, neque rerum naturam talia pati, ut quisquam hominum per 390 dies in uno semper latere dormiat; idem censent *Pint. Mald. Clarius, Mar.* atque eam sententiam satis fuisse vulgatam etiam testatur *Malv.* dicens eam à plerisque teneri; ex recentioribus eam tuentur protestantes *Keil, Currey, Sm. C.* aliique. Rationes afferuntur ex rei difficultate; at haec non tanta est, ut omnia ad visionem et imaginationem sint ableganda. *Keil* censet, quia combustio capillorum durante obsidione solum in visione fieri potuerit, omnia esse ad imaginationem referenda; sed cur capillos radere et comburere non ipsa re potuerit propheta, certe non apparet. Neque ex eo quod mandatum acceperit in ecstasi videns visionem Dei 3,23, sequitur etiam in visione illud esse operi mandatum; ceterum ne certum quidem est mandatum hoc cap. 4 ei esse in ecstasi datum, cum eius rei in cap. 4 nulla fiat mentio neque 4,1 adeo arcte cohaereat cum 3,22. 23. Demume xistimat *Keil* 8,1 etc. non posse conciliari cum cubatione reipsa facta. Sed mira ratio. Nam 8,1 etc. propheta vere experitur ecstasin; cur autem eam in illa cubatione non potuerit experiri, nemo declaraverit. Immo ex illa ecstasi discimus quomodo Deus ex sua parte molestias cubationis illius mitigare et auferre potuerit mentis raptu prophetae concesso, quo exteriorum rerum oblitus corporis aegritudinem et labores iam non senserit. Deinde quomodo mente fingamus nobis qua ratione vates per 190 vel 390 et 40 dies in visione putaverit se cubare et pane illo vesci etc.? Unde quomodo haec visione et imaginatione gesta esse possint, equidem non intelligo. Potius censeo, si sententia de vera exsecutione esset derelinquenda, modum loquendi assumendum esse parabolicum, ita scil. ut propheta in modum *parabolae* exsulibus proponeret et narraret, quid tandem de Ierusalem futurum sit. Rem enim in visione geri et ad nihil utile est neque numerum dierum cubationis explicat, sed talem narrari parabolam qua prophetia contineatur, id saltem intelligi potest eiusque rei exemplum non absimile adest in omnibus parabolis quae ad doctrinam aliquam illustrandam vel commendandam inventae sunt.

Etiam quae a *Currey* praeterea afferuntur, facile diluuntur. Putat enim primo non sufficere tempus nisi mensis intercalaris assumatur; *Plumptre* e contra censet cubationem revera durasse per plus quam 570 dies, sed cum Hebraei numeris delectarentur *rotundis* et symbolicis durationem esse expressam numero 430 dierum. Ceterum si quis tempus brevius praefert, seligat lectionem textus graeci. Dein obiicit *Currey* 5,2 prophetam iuberi in medio Ierusalem comburere capillos; id autem cum esset in Babylonia re fieri non potuisse et capillos radere et dividere in varias partes esse rem nimis ridiculam et puerilem quam ut actu gesta esse censeri possit. At 5,2 fiunt in ea urbe de qua 4,1 fit mentio. Capilli et barba viri decus et robur designant; unde novacula radi praeter allusionem ad Is. 7,20 ornamentum et robur auferri dicit; neque eiusmodi symbola ex nostris moribus sunt diiudicanda, verum ex sententia veterum; de qua v. g. vide 2 Reg. 10,4 seq. Mich. 1,16.

2. *Prophetia verbis expressa* 5, 5-7, 27.

Arg. — Deus quem spreverunt iniquitates eorum palam puniet, sicut palam coram omnibus peccarunt, et ea severitate puniet, ut omnibus sint terrori et exemplo (5,5-17). Inter ea autem crimina principem locum obtinet idololatria; quare omnibus locis quae illi cultui erant sacra vastitas indicitur, ex qua castigatione fructus conversionis pro aliquibus exsistet, peccatoribus autem obduratis iram Dei et vindictam variis malorum generibus experiendam vates denuntiat (6,1-14). Demum carmine quodam lugubri hanc partem absolvit annuntians iudicii decretum, cuius exsecutio iamiam instat et quae gravissima erit omni spe praecisa (7,1-27).

a) **Deus quem spreverunt ultor exsistet 5, 5-17.**

In ipsa prophetia re et opere exhibita 4,1-5,4 continetur maxima quaedam poena pro urbe theocratica. Iam propheta id agit nomine Dei, ut ostendat poenam illam iuste omnino infligi et enormitate culpae commissae iure quodam exigi. Quare primo paucis tangit, in qua dignitate prae reliquis omnibus Ierusalem sit a Deo constituta, quo eius scelera et contemptus Dei maiori sint abominationi; v. 5 « *Haec dicit Dominus Deus : ista est Ierusalem, in medio gentium posui eam et in circuitu eius terras* »; — cum emphasi effertur dignitas Ierusalem collata, quasi dicat : en, haec est illa urbs, quam posui quasi centrum orbis terrarum, non utique ipso situ, sed dignitate et electione, qua factum est caput theocratiae habens sibi credita oracula et promissiones Dei. Posita est in medio gentium ut *Theod.* dicit, « ut illae ab hac utilitatem capiant et omnem pietatem et verum legis cultum discant ». Hoc sensu est, ut propheta 38,12 dicit, umbilicus terrae. Spectatur itaque illa celsitudo qua Deus regiam suam et solium ibi collocavit; unde aequum erat, ut urbs haec Domino esset honori et gloriae et omnibus gentibus vicinis exemplum praeberet sanctitatis, prout decebat populum sanctum et regnum sacerdotale. Atque sane adesse debebat ea pietas et morum integritas in populo, cui uni tum temporis revelatio supernaturalis erat commissa. Verum res plane in contrarium cessit. Quae magistra esse debebat veritatis et pietatis exemplar, facta est quasi dux impietatis v. 6 « *et contempsit iudicia mea, ut plus esset impia quam gentes et praecepta mea ultra quam terrae quae in circuitu eius sunt; iudicia enim mea proiecerunt et in praeceptis meis non ambulaverunt* »; — hebr. *et restitit* vel rebellis erat *nor-*

mis meis ad iniquitatem plus quam gentes et statutis meis plus quam terrae; Moyses dixerat : « haec est enim vestra sapientia et intellectus coram populis ut audientes universa praecepta haec dicant : en populus sapiens et intelligens, gens magna »; verum ab hac specie et forma praeclara adeo recesserunt, ut teste s. auctore 4 Reg. 21,9 et 2 Par. 33,9 tempore v. g. Manasse facerent malum super omnes gentes quas subverterat Dominus a facie filiorum Israel. Largioribus enim gratiis abusi sunt, meliore doctrina imbuti normam veri ac iusti noscebant; nihilominus « ne ea quidem fecistis quae gentes sine lege bene observant » (*Malv.*). Demum adverte genus dicendi pentateuchicum : *iudicia et statuta* frequentissime iuncta invenies v. g. Ex. 15,25. Lev. 18, 4. 5. 26; 19,37; 20,22; 25,18. Num. 9,3. Deut. 4,1. 5. 8. 14. 45; 5,1. 31 etc.; *in statutis ambulare* Lev. 18,3; 20,23; 26,3; iudicia reprobare (מָאַס) Lev. 26, 43.

Quare repetita accusatione indicitur iusta poena v. 7 « *idcirco haec dicit Dominus Deus : quia superastis gentes quae in circuitu vestro sunt et in praeceptis meis non ambulastis et iudicia mea non fecistis et iuxta iudicia gentium quae in circuitu vestro sunt, non estis operati,* v. 8 *ideo haec dicit Dominus Deus : ecce ego ad te et ipse ego faciam in medio tui iudicia in oculis gentium* v. 9 *et faciam in te quod non feci et quibus similia ultra non faciam propter omnes abominationes tuas* »; — uti iniquitas omnem limitem excessit, ita poena quoque eousque inaudita infligetur; ita ratio quaedam aequalitatis stabilietur. Illi non fecerunt iudicia Domini; non sine sarcasmo respondet Deus *se* facturum sua iudicia. Hebr. v. 7 *eo quod turbulentiores fuistis gentibus* scil. ferocia, strepitu, fastu, rebellione in Deum (cf. *Vat. Malv.*) et compara Ps. 2,1 : quare fremuerunt gentes — *C.* emendat : eo quod magis rebelles fuistis (המרותכם pro *mas.* המנכם). Et in qua re ista tumultuatio vel contumacia contra Deum contineatur, gradatione quadam proponitur : normas et mandata Dei non observarunt, immo ne ea quidem fecerunt « quae gentes naturali lege scripta in cordibus suis saepe fecerunt » (*S. Hier.* sim. *Pint. Men. Calm.*) vel « propter iniquitatis exsuperantiam impietate gentes ipsas vicistis a quibus eam didicistis » (*Theod.*); vel quod multi praeferunt : gentes suis idolis fideliter adhaerent, ea colunt, ritus a maioribus traditos religionemque avitam retinent et observant, vos autem hanc constantiam, fidelitatem, religionem minime estis imitati, prout similiter iis exprobratur Ier. 2, 10,11 (*Prad. Mald. Vat. Lap. Mar. Tir. Troch.*). Alia consideratione adhibita 11,12 dicuntur iuxta iudicia gentium operati esse, sed inde non sequitur etiam nostro loco *non* esse delendum (cum *Syro* et compluribus codd. hebr. apud *de Rossi*); accusatio sensu explicato evadit gra-

vior. Quare Deus etiam *in oculis gentium,* ita ut gentes testes sint ultionis divinae, iudicia eousque inaudita in populum rebellem exercebit palam coram gentibus manifestans qualibus demum suppliciis impietatem populi sui sit puniturus; *facere iudicia* iam dicebatur de plagis Aegyptiis inflictis Ex. 12,12. Num. 33,4.

Quaenam futura sint illa omni comparatione maiora, dicitur v. 10 « *ideo patres comedent filios in medio tui et filii comedent patres suos et faciam in te iudicia et ventilabo universas reliquias tuas in omnem ventum* »! — iam declaratur symbolum victus arcti 4,9 seq.; plaga famis horrendum in modum affligentur et hae minae verbis quoque pentateuchicis repetuntur : ut comedatis carnes filiorum vestrorum Lev. 26,29 et carnes filiorum in angustia et vastitate qua opprimet te hostis tuus Deut. 28,53. Et pro eo quod populo fideli erat promissum : ventilabit gentes usque ad terminos terrae (Deut. 33,17), ipse iam populus in omnem mundi plagam dispergetur (Deut. 30,4). Et quam firmo decreto Deus id apud se statuerit, iureiurando et iterata enumeratione scelerum confirmatur v. 11 « *idcirco vivo ego, dicit Dominus Deus : nisi pro eo quod sanctum meum violasti in omnibus offensionibus tuis et in cunctis abominationibus tuis, ego quoque confringam et non parcet oculus meus et non miserebor* »; — Deus iurat per vitam suam : sicuti verum est in eo esse vitae plenitudinem, ita verum erit quod iam minatur; vitae suae vim ac potentiam quasi pignus ponit ac documentum se exsecutioni mandaturum quae comminatus erat. Explica *nisi,* uti saepe oportet, iuramenti assertorii particulam : vere, profecto. Id commemorat quod quam maxime in Dei opprobrium fiebat, ut scil. ipsum Dei templum cultu idololatrico et spurcitiis foedaverint; de qua re vide 4 Reg. 21,4. 5. Ier. 7,30; 11,15; 23,11; 32, 34. Quare iudicium iam ingruet nulla misericordia temperatum, i. e. sicut minatus est, ita rem perficiet; quibus verbis indicatur in eiusmodi oraculo modum loquendi esse absolutum, minas iam non conditionate proferri (cf. Ier. 18,7. Ez. 3,18. 19; 33,14).

Versio v. 11 *confringam* videtur esse derivata ex versione Symmachi, quam *S. Hier.* haud raro adoptavit; refertur enim *Sym.* h. l. transtulisse συγκλάσω seu συνθλάσω σε (cf. *Field* ad h. l.) id quod hebr. אגדע supponit quam lectionem etiam codd. aliqui hebraei praebent et quam orientales Iudaei scribunt (cf. *de Rossi* ad h. l.). LXX habent ἀπώσομαί σε, sim. *Syrus* דחק reiicere, repudiare; *Chald.* קטף abripere, exscindere; quae versiones magis ad hebr. גדע accommodantur; cf. Deut. 7,5; 12,3. Iud. 21,6. 1 Sam. 2,31 etc. In textu *mas.* legitur אגרע *diminuam* quae vox invenitur Ex. 5,8. 11. 19; 21,10. Lev. 27,18. Num. 9,7. Plerumque explicant ex Iob 36,7 : avertam oculum meum ita ut non parcat. Sed post gravissimam illam accusationem certe dictio exspectatur vehementior; dein collocatio verborum non favet versioni

propositae. Quare alii vario modo textum emendare tentarunt; *Ewald* legit ex 24, 14 לא אפרע, non sinam, non negligam; *C.* emendat אתגרה irruam (cf. Ps. 39,11. Dan. 11,10). Sed veterum auctoritate illa commendatur lectio quam etiam aliqui codd. servarunt אגדע.

Quomodo eos confracturus sit, explicatur v. 12 « *tertia pars tui peste morietur et fame consumetur in medio tui et tertia pars tui in gladio cadet in circuitu tuo, tertiam vero partem tuam in omnem ventum dispergam et gladium evaginabo post eos* »; — vide ad 5,2. 3. Pestem, famem, gladium saepe minatur Ieremias 14,12; 21,9; 24,10; 27,13; 34,17 etc.; etiam eiectos et dispersos Dominus persequetur, ut in exsilio trucidentur; Lev. 26,33 eaedem minae rebellibus fiunt : vos dispergam in gentes et evaginabo post vos gladium. Iste gladius Domini porro describitur v. 13 « *et complebo furorem meum et requiescere faciam indignationem meam in eis et consolabor, et scient quia ego Dominus locutus sum in zelo meo, cum implevero indignationem meam in eis* »; — hebr. *et complebitur ira mea et sedabo indignationem meam in eis;* consolationem intellige de ultione capta haustam; quo loquendi modo declaratur, quantopere Deus pro sua iustitia quasi urgeatur ad punienda scelera; similiter Is. 1,24 : consolabor super hostibus meis et vindicabor de inimicis meis, et iam Deut. 28, 63 : sicut ante laetatus est Dominus super vos bene vobis faciens vosque multiplicans, sic laetabitur disperdens vos atque subvertens. Humano modo dicitur levamen capi ex ultione, cum in graviter offensis summa sit vindictae dulcedo et voluptas. Et ultione Domini *scient* i. e. revera et ipsis miseriis experientur Deum *in zelo* i. e. pro magno studio, fervore, aemulatione ad rem exsequendam et gloriam suam vindicandam esse locutum. Quod Deus in zelo loquitur vel se facturum in zelo spondet, certissime fiet; zelus enim eius pro pignore ponitur fore ut quaecumque eius voluntati opponantur funditus evertantur; vide v. g. ad Is. 9,7. Ioel 2,18. Zach. 1,14.

Et sicuti in medio gentium pessimis suis moribus Deo ignominiam intulerunt v. 5, ita gentes quoque testes erunt quomodo Deus scelera ulciscatur v. 14 « *et dabo te in desertum et in opprobrium gentibus quae in circuitu tuo sunt, in conspectu omnis praetereuntis* v. 15 *et eris opprobrium et blasphemia, exemplum et stupor in gentibus quae in circuitu tuo sunt, cum fecero in te iudicia in furore et in indignatione et in increpationibus irae* »; — in textu *mas.* v. 15 *et erit opprobrium,* sed cum veteribus erit legendum *et eris,* cum sensus sit efficacior et *secunda* persona in antecedenti et in subsequenti legatur. Magis declaratur v. 8. Minae petuntur fere iisdem verbis ex Lev. 26,

31. 33, et Deut. 29,23 seq. 28,37; vide quoque Ier. 24,9; 29,18. Ita scil. vult gentes discere Dominum non relinquere crimina impunita. Repetita asseveratione illa iudicia qualia futura sint recensentur v. 16 « *ego Dominus locutus sum, quando misero sagittas famis pessimas in eos, quae erunt mortiferae et quas mittam ut disperdam vos, et famem congregabo super vos et conteram in vobis baculum panis,* v. 17 *et immittam in vos famem et bestias pessimas usque ad internecionem, et pestilentia et sanguis transibunt per te et gladium inducam super te; ego Dominus locutus sum* »! — denuo recensentur tria illa : fames, pestis, gladius; additur quartum : bestiae pessimae, quas Deus se immissurum comminatus est Lev. 26,22 et Deut. 32,24. Ita quattuor iudicia habentur, uti 14,21 (Ier. 15,3), quo numero quaedam universalitas saepe designatur. Praecipue effertur fames, quae in quantum revera grassata sit lege Lament. 2,20 et 4,10. Bar. 2,3 idemque minatus est Ieremias 19,9. Ad *sagittas* famis vide Deut. 32,23; severae punitiones Domini sagittae dicuntur; vide Iob 6,4. Lament. 3,12. Alii explicant *sagittas* famis de iis ex quibus annonae caritas sequitur, de uredine, locustis, nimiis imbribus, grandine, rubigine (cf. *Prad. Pint. Mald. Lap. Men. Tir.*). De baculo panis vide 4,16. Adverte paronomasiam in וְדֶבֶר וָדָם; cum epitasi et copia quadam verborum omnia mala quae tempore belli exoriri solent ad vivum depinguntur. *Sanguis* iam a *S. Hier*. explicatur per gladium; et hunc belli terrorem bis enuntiari certe melius convenit, quam cum aliquibus intelligere de pestis genere quo ulcera sanguinea exoriantur.

b) Iudicium de idololatria 6, 1-14.

Crimen idololatriae quod 5,11 tetigerat iam pluribus insectatur propheta; est enim uti in se crimen maximum, ita praeprimis in populo Dei scelus foedissimum et violatio foederis initi turpissima. Sermo dirigitur ad ea loca, in quibus cultus ille praecipue exercebatur, ad excelsa, ad montes et v. 3 ad valles. Si autem regio vastationi traditur, etiam quae sit incolarum sors describitur. Unde propheta a comminatione urbis transit ad ruinam toti regioni denuntiandam (*Prad. Pint.*); v. 1 « *Et factus est sermo Domini ad me dicens :* v. 2 *fili hominis pone faciem tuam ad montes Israel et prophetabis ad eos* »! — ponere faciem vel vultum dirigere dicit aliquem vultu firmo, etiam irato, fronte libera et imperterrita aspicere; proinde h. l. libere et audacter loqui, firmiter et constanter reprehendere. Cum Ezechiel versetur in Babylonia, regione plana et campestri, montes Israel i. e. regio palaestinensis *montana* singulari ratione efferuntur. Ipsos mon-

tes et totam regionem compellare iubetur, quae compellatio magnum denotat affectum (cf. Deut. 32,1. Is. 1,2. Mich. 1,2) v. 3 « *et dices : montes Israel, audite verbum Domini Dei! haec dicit Dominus Deus montibus et collibus, rupibus et vallibus : ecce ego inducam super vos gladium et disperdam excelsa vestra* v. 4 *et demoliar aras vestras et confringentur simulacra vestra* » ; — cum in enumeratione praeter montes etiam colles et valles nominentur, *montes Israel* qui compellantur explica sensu generali de regione montana, de terra montibus insigni, qualis non erat Babylonia. Bene notat *Prad.* : « tragica exclamatio per prosopopoeiam facta indicat vaticinii pondus atque affectus vehementiam, irae scil. implacabilis furorem quo non solum hominibus et animantibus, sed etiam montibus et collibus extremam vastitatem denuntiat; ideoque provocat eos ut decretam contra se sententiam audiant, non solum eo exornationis genere quo solent rhetores, ut affectus permoveant, sed quoniam veraciter creaturae omnes conditori suo ad nutum obediunt ». Gladio vastatio hostilis, uti bello fieri solet, designatur. Haec inducenda dicitur locis et sedibus et instrumentis idololatriae i. e. montibus, vallibus torrente irriguis (hebr. אֲפִיקִים) et regioni campestri; dein excelsis i. e. sacellis vel sanctuariis erectis, praesertim in collibus, aris et simulacris i. e. statuis in honorem Baal positis vel columnis ad eius aras appositis quae dei erant symbola et soli sacra (cf. *Scholz,* Goetzendienst p. 156 seq.).

Simul cum signis et instrumentis idololatriae etiam cultores turpiter prosternentur : « *et deiiciam interfectos vestros ante idola vestra,* v. 5 *et dabo cadavera filiorum Israel ante faciem simulacrorum vestrorum et dispergam ossa vestra circum aras vestras* » ; — en merces cultus (*Mar.*)! ante idola cadunt, ut impotentia idolorum declaretur, cum dii neque sibi neque cultoribus opem ferre possint, et qui adeo perdite idola amabant et frequentabant, merito coram iis occiduntur ita, ut simul cum ruinis idolorum et ararum etiam ossa cultorum iaceant commista et ignominiose disiecta et dispersa. Idola vocantur גִּלּוּלִים quam vocem communiter explicant a גֵּל *stercus,* ergo stercorei, vel sordes, volutabra (*Lap. Keil, Sm.*), quo nomine Ezechiel frequenter utitur; eodem designantur dii Lev. 26,30. Deut. 29,16. Ier. 50,2 et aliquoties in 3 et 4 Reg.; ceterum minae hae iam proferebantur Lev. 26,30 : destruam excelsa vestra et simulacra confringam; et dabo cadavera vestra supra cadavera idolorum (hebr). Uti idololatria erat universam per regionem exercita, ita ruina quoque erit universalis v. 6 « *in omnibus habitationibus vestris urbes desertae erunt et excelsa demolientur et dissipabuntur et interibunt arae vestrae et confringentur et cessabunt idola vestra et conterentur delubra vestra et delebuntur opera vestra,* v. 7 *et cadet*

interfectus in medio vestri, et scietis quia ego sum Dominus »! — simul cum homine peccante affligitur creatura et regiones vastitate et desolatione plectuntur, sicuti iam Gen. 3,17 enuntiatur et deinceps in s. litteris fere continuo ostenditur; est enim, ut S. Paulus dicit, vanitati subiecta creatura, donec ipsa quoque liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei (Rom. 8,20. 21). Si autem omnia iacent destructa et idololatriae indicia dissipata et multi ex idololatris morte violenta sceleris poenas dederunt, tunc *scient* i. e. reipsa experiuntur Deum esse *Iahve*, eum scil. ut in se est *actus purissimus* et τὸ esse perfectissimum, aeternum, immutabile, omnem plenitudinem vitae et perfectionis in se concludens, ita quoque in minis suis esse Deum exsecutorem, fidelem, constantem; vide quae de notione Iahve notavi ad Os. 2,20 et 12,5. Ioel 2,32 et *Cornely,* Introd. II 2 p. 437. Minas similes lege Lev. 26,30-33.

Verum hae afflictiones non carebunt fructu; aliqui enim poenis eruditi sincere ad Deum convertentur v. 8 « *et relinquam in vobis eos qui fugerint gladium in gentibus, cum dispersero vos in terris* »; — hebr. explica : et relinquam vel superstites faciam eo quod sint vobis, vel ut sint vobis qui effugerint gladium, ut sint liberati a gladio in gentibus; v. 9 « *et recordabuntur mei liberati vestri in gentibus ad quas captivi ducti sunt, quia contrivi cor eorum fornicans et recedens a me et oculos eorum fornicantes post idola sua et displicebunt sibimet super malis quae fecerunt in universis abominationibus suis* »; — en fructus castigationum et consilium Dei quando afflictionibus animos conterit! Dolore et calamitatibus cor comminuitur et emollitur, malae concupiscentiae compescuntur et animus a Deo antea aversus et creaturis inhaerens et infixus salutari remedio eruditur et nauseam concipit de sua iniquitate. Tum pondere malorum pressus gustatis amaris peccatorum fructibus incipit denuo Dei recordari. Ita igitur malis immissis homo a peccatis avertitur et ad Deum convertitur. Nota veram illam poenitentiam describi, qua hominem taedeat et pudeat suiipsius et malitiae commissae. In parabola de filio prodigo habes ad vivum descriptum, quomodo cor fornicans conteratur malis, suae conditionis et iniquitatis taedium concipiat et Dei recordetur in terra aliena. Cor et oculi i. e. animus et sensus externi sunt avertendi ab illecebris peccatorum; et si animus est a malo sanatus etiam oculos cohibebit. In illis afflictionibus positi quam vere Deus locutus sit in se ipsis experientur v. 10 « *et scient quia ego Dominus non frustra locutus sum, ut facerem eis malum hoc* »; — potes etiam sententiam concipere duplicem : experientur me esse Iahve; non incassum locutus sum me adducturum illa mala (cf. *Malv. Schr. Keil*), et ita quoque intellexit *S. Hier.*,

cum scribat : « intelligentes verae fidei veritatem scient quia ipse sit Dominus, qui idcirco saepe infert tribulationem quae patientibus perniciosa videtur et pessima, ut ad poenitudinem convertantur ». Rem declarat *Theod.* : « ipsa experientia discent se neque iniuste neque sine utilitate huiuscemodi suppliciis a me affici ; impietas enim iustitiam ostendit, utilitatem poenitentia ».

In v. 8 illud *et relinquam* non legitur apud LXX ; cum sequatur בְּהִיּוֹת, constructio est satis difficilis. Quare non spernenda est coniectura a *C.* proposita והיה בהיות et erit cum sint ex vobis inter gentes... et recordabuntur mei. Reliqui tamen testes *Syrus*, *Theod. Chald.* praebent, sicut textus mas. et *S. Hier.* habent. In v. 9 hebr. נִשְׁבַּרְתִּי certe eget emendatione ; rite sensum expressit *S. Hier.* : contrivi cor eorum ; *Syrus* cum frangam ; *Aq. Theod.* συνέτριψα, *Sym.* συγκατέαξα ; sim. *Chald.* ; sed haec notio quae necessario requiritur in hebr. niphal nequit inesse, neque potest significare : ego mihi frango. Quare textus erit emendandus. Optime videtur id fieri secundum *Syrum*, ut omisso אשר scribatur בשברי *C.* ; LXX praebent : iuravi cordi eorum fornicanti, ergo legerunt נשבעתי ; « iuravit autem et decrevit se facturum esse quae opere monstravit », ut *S. Hier.* verba LXX exponit.

Denuo effertur, quam enormia sint peccata admissa, quam iusta igitur et necessaria ultio divina v. 11 « *haec dicit Dominus Deus : percute manum tuam et allide pedem tuum et dic : heu ad omnes abominationes malorum domus Israel, quia gladio, fame et peste ruituri sunt* » ! — i. e. manu plaude et pede terram percute (*Vat. Mald.*) ! quorsum, exponit *S. Hier.* : « magnitudinem peccatorum iubetur propheta manibus pedibusque ac sermone monstrare, ut gestu corporis et indignatione vocis habitum stupentis mirantisque ac plorantis ostendat ». Hebr. אָח, LXX εὖγε ab aliquibus non ut dolentis vel irascentis vocem sumi sed ut insultantis iam *Prad.* advertit ; ex recentioribus *Sm.* eodem modo rem concipit de irrisione et ludificatione, ad quam gestus illi referuntur 25,6 (et sim. 22,13 ; 21,9. 22. Num. 24,17. Iob 27,22). Sed communiter reliqui priorem adoptant acceptionem : heu vel vae super omnes abominationes. Quomodo triplici poena sint castigandi, exponitur v. 12 « *qui longe est, peste morietur ; qui autem prope, gladio corruet, et qui relictus fuerit et obsessus, fame morietur et complebo indignationem meam in eis* » ; — i. e. qui procul abest ab ipso hoste, ab urbe oppugnata, a loco pugnae, iste peste morietur, quae igitur regionem longe lateque devastans concipitur ; qui cum hostibus congrediuntur, gladio cadent ; et qui utrumque evasit, *qui relictus fuerit et servatus* (hebr.), fame peribit. *S. Hier.* non vertit *obsessum*, sed circumdatum, et explicat : « quem autem circumdederit hostilis exercitus, fame interibit et penuria », ita ut urbe

inclusos et oppugnatos intelligat; ita quoque נָצוּר concipiunt LXX, *Sym. Chald. Hitz. Sm. C.;* priorem interpretationem sequuntur *Mar. Troch. Schr. Keil;* de voce vide Is. 1,8 quae ibi adnotavi. Non omnes tamen morte esse abripiendos per se patet et statim quoque subditur : superstites enim ex ultione Deum agnoscent ultorem v. 13 « *et scietis quia ego Dominus, cum fuerint interfecti vestri in medio idolorum vestrorum, in circuitu ararum vestrarum, in omni collo excelso et in cunctis summitatibus montium et subtus omne lignum nemorosum et subtus universam quercum frondosam, locum ubi accenderunt thura redolentia universis idolis suis* »; — LXX et *S. Hier.* praebent eodem modo : idolorum *vestrorum;* ararum *vestrarum;* quae locutio et ad ipsam compellationem factam aptissima est et maiorem quoque reprehensionem continet; quare *C.* bene ita quoque textum hebr. emendat in quo idola *eorum* et arae *eorum* leguntur. Ad scelus idololatricum oculis subiiciendum longam illam affert enumerationem, quae haud absimili modo habetur Deut. 12,2. 3 Reg. 14,23. 4 Reg. 16,4. 2 Par. 28,4. Ier. 3,6 et praesertim Os. 4,6. Quantopere illa lues grassata sit in populo, accusationes tam graves et tam saepe repetitae testantur. Quia cum cultu Baal et Astartes variae quoque impudicitiae, ad quas illa natio semper erat proclivis, coniungebantur, cur tanto impetu se in idololatriam effuderit satis explicatur.

Quare Deus terram tot sceleribus pollutam desolatione et vastitate percutiet v. 14 « *et extendam manum meam super eos et faciam terram desolatam et destitutam a deserto Deblatha in omnibus habitationibus eorum, et scient quia ego Dominus* »! — olim extendit Deus manum suam ad hostes populi sui perimendos (Ex. 3,20; 7,5 etc.) i. e. suam potentiam singulari ratione exseruit, nunc eam iam convertit ad populum suum perimendum; quantopere igitur olim in beneficiis praestandis suam demonstravit potentiam, tantopere iam se illam adhibiturum minatur ad supplicia inferenda. Desertum Debletha plane ignotum est. Iam *S. Hier.* coniectavit « ob vicinam similitudinem *daleth* et *res* ד,ר, hebraicarum litterarum quae parvo apice distinguuntur » Reblatha posse appellari. Et ita esse legendum omnino probabile est; verte hebr. *a deserto usque ad Ribla;* Ribla vel Reblatha est in terra Hamath ad Orontem sita et iam *S. Hier.* refert multos putare de eodem loco hic esse sermonem, de quo Ier. 39,5. Unde dicit propheta integram terram palaestinensem a deserto, parte meridionali, usque ad Ribla vel Ribla versus, in septemtrione, esse redigendam in solitudinem et vastitatem. Totius ergo terrae tractus longitudinem et in eo tractu omnia eorum habitacula vastanda esse dicit. Ribla legendum esse (vel saltem Deblatha idem esse ac Reblatha et utroque appellari

nomine) censent *Prad.* qui Hieronymi modestiam laudat in sententia proponenda, quae est ipsa veritas, *Pint. Mald. Sa, Mar. Lap. Men. Vat. Tir.* et ex recentioribus *Sm. C.* quae lectio commodissima est. — Hac vastatione facta videbunt et quasi manibus palpabunt, Iahve esse pro nominis sui vi et notione Deum minarum exsecutorem, Deum vivum, fidelissimum verbi sui custodem.

c) **Quam grave futurum sit iudicium 7, 1-27.**

Idem oraculum alio et alio modo proponitur; praedicit enim nunc modo ad carminis rationem magis accommodato finem totius regni iudaici mox venturum eiusque excidii et vastitatis causas designat. Cum exsulum animi spe tenerentur fallaci, immo per pseudoprophetas quoque ad vanam illam exspectationem adducerentur (cf. Ier. 29,21), facile patet cur vates iterum iterumque eandem rem debuerit affirmare et inculcare. Quam tardi enim sunt homines ad ea credenda quae ingrata sunt! Quare Dominus non cessat efficere, ut nuntius ille durus continuo ad eorum aures perferatur v. 1 « *Et factus est sermo Domini ad me dicens :* v. 2 *et tu fili hominis, haec dicit Dominus Deus terrae Israel : finis venit, venit finis super quattuor plagas terrae* »! — LXX : et tu fili hominis, *dic :* haec dicit; item *Syrus;* quare ita quoque aliqui textum hebr. emendant inserentes אֱמֹר (*Ewald, Hitz. C.*); vide tamen 39,17; dein si verbum fit ad vatem id fieri ut ab eo aliis annuntietur, per se liquet. Nota terram dici *Israel* quamvis sermo fiat de regno iudaico. Id quod credere nolunt iamiam adesse finem regni iudaici, vide quanta asseveratione affirmetur! et ne quidquam deesse videatur vel desiderari posse ad sensum clarum, additur : finis venit super quattuor alas vel latera terrae, i. e. totum regnum iudaicum et omnes eius partes quotquot sunt cadent ruina et excidio, tota regio vastabitur, perdetur. Et finem prope adesse, ita ut omnis spes vel dilationis vel divini consilii ex misericordia mutati excludatur, graviter asseritur v. 3 « *nunc finis super te et immittam furorem meum in te et iudicabo te iuxta vias tuas et ponam contra te omnes abominationes tuas,* v. 4 *et non parcet oculus meus super te et non miserebor, sed vias tuas ponam super te et abominationes tuae in medio tui erunt; et scietis quia ego Dominus* »! — hisce habes totius oraculi summam et argumentum : excidium eiusque causas et effectum, ut scil. reipsa experiantur Deum esse foederis sui vindicem et verborum suorum exsecutorem fidelissimum. Quantopere recesserint a dignitate nominis *Israel* et ab exemplo et virtute eius qui eo nomine a Deo est insignitus (cf. Gen. 32,28 et ad Os. 12,4), satis declaratur eorum *abomina-*

tionibus, quas i. e. quarum sequelas et poenas in eorum caput dare constituit Dominus ita ut eae exsistant in medio eorum; declaratur quoque eorum *viis* i. e. tota agendi sentiendique ratione, qua pariter Dei iram provocant ad ultionem. Unde scelerum poenae inter eos modo valde conspicuo aderunt, quod iudicium iam non misericordia temperabitur; cf. 5, 11.

Hoc iudicium iam clarius describitur, scil. quam sit grave et quam prope instet v. 5 « *haec dicit Dominus Deus : afflictio una, afflictio ecce venit!* v. 6 *finis venit, venit finis, evigilavit adversum te, ecce venit!* v. 7 *venit contritio super te, qui habitas in terra, venit tempus, prope est dies occisionis et non gloriae montium* »! — modus loquendi per exclamationes fere incedens, brevibus membris concitatus, iteratis assertionibus et sententiis concisis distinctus omnino accommodatur ad animos pervicaces et reluctantes, quibus idem saepe, graviter, nervose, cum omni auctoritatis pondere ingeri debet. Dicitur afflictio *una* i. e. tam gravis, ut secunda ad regnum destruendum iam non opus sit, quam vocis notionem iam *Lap. Men.* rite petunt ex 1 Reg. 26,8 : nunc ergo perfodiam eum lancea in terra *semel* (פעם אחת) et secundo opus non erit; eodem modo *Sm.;* ad Nah. 1, 9 provocant *Prad. Calm.;* sensus erit idem qui 5,9 exprimitur, unde facile fluit notio afflictionis unicae, singularis, eximiae, incomparabilis (cf. *Mar. Malv. Men. Tir. Loch, Troch. Keil, Schr.*). « Et ne putes me rursum futura minitari, ostendo digito atque demonstro : ecce venit! finis venit! qui hucusque dormitare tibi videbatur et quiescere, evigilavit contra te repente et surrexit » (*S. Hier.*). Iam diu scil. meriti sunt excidium, quod cum eousque non veniret, dormire videbatur; nunc vero evigilat, cito veniet. Adesse in hebr. elegantem paronomasiam inter הקץ et הקיץ advertunt *Mald. Lap.;* ad evigilandi notionem haud abs re comparant Ier. 1,11. 12. Lament. 1,14 (*Mald. Lap.*). In v. 7 *S. Hier.* vertit : venit *contractio*, quam vocem videtur intelligere sicuti πλοκὴν (prout Theodotio vertit) de ordine contextuque malorum omnium. Prope est dies occisionis; hebr. vertere potes : *prope est dies tumultus bellici et non iubilationis in montibus* i. e. pro lasciva illa exsultatione in cultu idolorum in montibus et collibus instat clamor, strepitus et eiulatus, uti tempore belli et cladis fieri solet (*Pint.*); hebr. הד explicandum esse sicut הידד iam existimarunt *Prad. Mald. Mar. Lap. Men. Malv. Tir. Calm.* et eodem modo recentiores *Keil, C.* etc.; est celeusma vindemiantium et calcantium torcular; dein generatim exsultatio et iubilatio; vide ad Is. 16,10. Ier. 25,30. De tumultu in montibus cf. Ier. 3,23.

Et qualis dies proxime instet, fere ex v. 3 et 4 repetitur v. 8 « *nunc*

de propinquo effundam iram meam super te et complebo furorem meum in te et iudicabo te iuxta vias tuas et imponam tibi omnia scelera tua, v. 9 *et non parcet oculus meus nec miserebor, sed vias tuas imponam tibi et abominationes tuae in medio tui erunt et scietis quia ego sum Dominus percutiens* »! — « si a quinto anno transmigrationis regis Iechoniae usque ad nonum annum regni Sedeciae quando venit Nabuchodonosor et obsedit Ierusalem supputare voluerimus, tres anni erunt medii. Unde recte dicitur *nunc de propinquo...*; nequaquam tibi ventura praedicam, nec comminabor quae longe post futura sunt; nunc in te complebo furorem meum. Qui furor et ira nequaquam absque iudicio est, sed ut reddat vias tuas in caput tuum et omnes abominationes tuas sentire te faciat » (*S. Hier.*); « tunc me Deum esse cognoscetis, cum iustitiam meam fueritis experti » (*Pint.*).

In hac parte textus graecus multum ab hebr. recedit. Nam post v. 2 sequitur particula v. 6 venit finis (πέρας), dein ex v. 7 super te habitator terrae, venit tempus, prope est dies, οὐ μετὰ θορύβων οὐδὲ μετὰ ὠδίνων (legit igitur interpres non הד הרים sed parva mutatione הרהרים quod ad הרה retulit; *Schleusner*, Thes. V p. 571); dein sequuntur v. 8 et 9 et post eos demum v. 3 et 4; illud ex v. 5 quare haec dicit Dominus, praefigitur ante v. 10. Ita in editione LXX sixtina, a Tischendorf retractata. Secundum hunc textum *Cornill* fere restituit textum hebr. omissis v. 3 et 4 et maxima parte v. 5 et 6; sed in v. 7 uti patet cum hebr. tumultum bellicum et iubilationem in montibus retinet. Apud LXX v. 5 et 6 non adesse iam notat *S. Hier.* sed addita esse de translatione Theodotionis sub asteriscis. Ceterum de LXX ita h. l. scribit *S. Hier.* : « in hoc capitulo iuxta LXX interpretes ordo mutatus est atque confusus, ita ut prima novissima sint, et novissima vel prima vel media, ipsaque media nunc ad extrema nunc ad principia transferantur. Ex quo nos et ipsum hebraicum et ceteros secuti interpretes ordinem posuimus veritatis ». Adesse repetitiones in textu hebr. utique luce est clarius et rem posse omissionibus quibusdam simplicius efferri pariter in aperto est. Sed repetitio illa in v. 3 et 4,8 et 9 etiam adest apud LXX; totum igitur discrimen fere vertitur in v. 5 et 6. At textus hebr. satis retineri potest, si adverteris v. 2-4 esse breve totius cantici argumentum, quod in subsequentibus magis declaratur, ita ut facile quattuor possis strophas distinguere v. 5-9; 10-14; 15-22; 23-27, quibus argumentum illud alio et alio modo pertractatur. Quare in v. 5 et 6 bene initium capitur ab afflictione latius describenda. Ordo autem hic et symmetria stropharum plane interturbatur in textu graeco.

In v. 5 praebet *Syrus* : malum pro malo veniet; *Chald.* : malum post malum; unde fortasse non אחת sed אחר legerunt; *unam* effert *Theodotio* et legitur quoque apud Theodoretum. Obscura est vox צְפִירָה in v. 7 et 10. *S. Hier.* refert Aquilam interpretatum esse προσκόπησιν, Theodotionem πλο-

κήν; LXX vocem non exprimunt; *Syrus* vertit צפירא *hircum*, quem *S. Ephr.* vel de Nabuchodonosor vel de Nabuzardan exponit. *Chald.* hanc partem exprimit : revelatum est regnum; ergo vocem eo sensu accepit quo Is. 28,5 legitur. Quod *S. Hier.* vertit *contractio* fortasse referri debet ad alteram quae fertur Aquilae versionem συστολή, nisi cum alia editione *confractio* legi debet. Alii explicant vocem de orbe i. e de rerum fatique vicissitudine in orbem eunte (*Ges.* Thes. 1183), dein de sorte constituta, de fato vel calamitate decreta (*Keil*); rabbini quoque explicarunt de aurora (vide apud *Mald. Malv. Mar.*), quos sequitur *Haevernick* exponens de aurora diei nefasti. Notio coronae, cuius etiam mentio fit apud *Vat. Mald. Mar. Malv. Lap. Calm.*, hic retinetur a *Pint. Cornill* vario tamen modo. Ille *venit corona* intelligit regem Nabuchodonosor; hic vero v. 10. 7. 11 inter se commiscet et hunc textum efformat : v. 10 : ecce dies Iahve, ecce exorta est corona, floruit sceptrum, v. 7 : sed marcescet corona v. 11 : et arescet sceptrum, quid sunt et quae eorum pompa? Vocis notio ex Is. 28,5 satis constat; haec vero notio nostro loco adhiberi nequit neque ad v. 10 apta esse videtur, cum neutro loco prior regni Iudaeorum splendor et calamitas iam imminens clare inter se opponantur. Neque probabile est ex una notione v. g. circumeundi vel in orbem eundi significationem derivari coronae et casus fortunae vel fati determinati. Unde quid legendum sit, incertum manet.

Modo dictum est eos demum experturos esse Dominum percutientem v. 9. Iam declaratur, quomodo et quo effectu sit percussurus v. 10 « *ecce dies, ecce venit; egressa est contritio, floruit virga, germinavit superbia,* v. 11 *iniquitas surrexit in virga impietatis* »! — cum v. 9 de Domino percutiente sermo fuerit, virga non de sceptro iudaico quod floruerit (*C.*) sed de virga ultionis et poenae erit capienda, uti מַטֶּה Is. 9,3 et Mich. 6,9 hebr. et etiam Is. 10,5; 30,32. Pro contritione vertit *S. Hier.* : *contractio* egressa est, « contracta est dies et abbreviata, instatque vicina captivitas; floruit virga, quae multo vobis tempore minabatur et de flore fructum plagarum parturiit; superbia vestra germinavit quod merebamini, ut super virgam impietatis vestrae consurgat iniquitas ». Ita *S. Hier.* qui proinde *superbiam* de Iudaeis accipit, uti *Prad. Malv. Lap. Men. Tir. Gord. Loch* quoque accipiunt. Sed magis contextui convenire videtur altera acceptio, quam iam *Syrus* et *Chald.* exprimunt et quam *Pint. Mald. Sa, Keil* sequuntur; sicut scil. *virga floret* dicitur de acerba castigatione iam instante, ita *superbia germinat* pariter de hoste qui magna cum arrogantia et insolentia regnum iudaicum destruet. Accedit quod Chaldaei eodem vocabulo a Ieremia appellantur 50,31, quod iam *Mald.* monet. Virga dicitur florere, i. e. iam est parata, cito veniet, « quia postquam arbor floruit, statim fructum profert, fructus autem virgae est verberatio » (*Mald.*). Habet hostis vim et potentiam ad percutiendum i. e. *virgam*,

ea autem uti vult maxima insolentia et arrogantia, unde eius superbia germinare dicitur. Inde sequitur v. 11 *violentia surgit in virgam impietatis* i. e. violentia et oppressio quam hostis inferet apparebit in flagello quo impii Iudaei verberabuntur (*Pint.*); aliis verbis : Deus utetur hostibus crudelibus per quos impietatem Iudaeorum castigabit. Merito virgam, superbiam, violentiam de rege Babylonis dici asserunt *Pint.* et *Sa.* Si integram sententiam de hoste explicaveris, adest unitas sententiae, adest gradatio : *virgam insolenter* adhibet, ut exsistat *violentia*, qua impii Iudaei opprimuntur, et quod praemissum est : ecce dies, declaratur.

Quo autem effectu virga haec et insolentia et violentia grassatura sit in impios Iudaeos, exponitur : « *non ex eis et non ex populo neque ex sonitu eorum et non erit requies in eis* » ; — i. e. nemo ex eis abibit impunitus, nihil remanebit ex eorum multitudine vel ex eorum pompa, gloriatione, strepitu; « exaggerat Iudaeorun cladem et eversionem urbis et totius terrae vastationem » (*Pint.*); similiter verba et nexum concipiunt *Prad. Mald. Sa, Mar. Lap. Men. Calm. Loch, Keil, Sm.;* alii, uti *Tir. Gord. Schr.*, verba referunt ad hostes : haec poena non proveniet ex eis, neque ex eorum multitudine, neque ex eorum tumultu, sed a Deo. At talis oppositio debuit exprimi et postquam de virga, insolentia et violentia hostium dictum est, non potuit simpliciter addi : eam non esse ex eis. Ultimum membrum compendio quodam ruinam complectitur : *et non erit splendor in eis* (hebr.) nihil praeclari remanebit; ita *Theod. Sym.* vocem נֹהַּ interpretati sunt et hanc acceptionem commemorant vel sequuntur *Mald. Mar. Lap. Calm. Troch. Schr. Keil, Sm.;* alia fertur explicatio a rabbinis invecta : non erit lamentatio i. e. ne lamentari quidem licebit superstitibus; vel tanta est caesorum multitudo et viventium calamitas, ut vivi mortuos non lugere possint. *S. Hier.* videtur legisse נח, quia requiem vertit; « unde non erit eis requies, sed aeterna captivitas ».

Advertit *S. Hier.* : « locus difficilis et inter hebraicum et LXX multum discrepans, quibus pleraque de Theodotionis editione addita sunt, ut aliquam habere consequentiam viderentur »; ergo textum graecum iudicat incohaerentem. Fertur autem in hunc modum : v. 10 ecce finis (τὸ πέρας) venit, ecce dies Domini, si etiam virga floruit, insolentia surrexit, v. 11 et conteret fulcrum iniqui, et non cum perturbatione neque cum festinatione. In quibus verbis pleraque textus hebr. aliqua litterarum tamen mutatione facile deprehenduntur. Qualem textum sibi efformet *C.* iam supra indicavi. Sed notari oportet, quae ab eo et *Hitz.* tamquam glossema delentur (scil. germinavit superbia, iniquitas surrexit) partim tamen a LXX efferri. Ultima textus graeci verba : et non cum perturbatione... apud Theodoretum non

leguntur. Difficile quid sibi velint explicatur, sicut in ea parte textus quoque hebr. satis obscurus est. *Cornill* solum legit : quid ipsi et quid eorum pompa? reliqua delet. Ex *Syro, Theod. Sym. Chald.* patet eos eundem textum hebr. quem nunc habemus legisse. Fatetur *Houbig.* nihil lucis affulgere textui ex versionibus antiquis neque ab interpretibus quidquam afferri elucidationis; « alii simulant se intelligere quae non intelligant, alii difficultates saltu transsiliunt, alii verba dant lectoribus, ex quorum numero est David Kimchi, qui interpretatur : non relinquetur unus ex eis, qui non ducatur captivus vel non moriatur; mirum profecto est malle interpretes torquere paginam sacram et supplere non supplenda, quam confiteri errasse scribas ». Sed quod ipse emendat, ne uni quidem probabitur; vult pro רשע legi וישע et salus non erit ex eis; quo quid debilius dici poterat post v. 5-11?

Tanta erit tribulatio communis et publica, ut suae quisque privatae vel utilitatis vel tristitiae obliviscatur v. 12 « *venit tempus, appropinquavit dies; qui emit non laetetur et qui vendit non lugeat, quia ira super omnem populum eius*, v. 13 *quia qui vendit ad id quod vendidit non revertetur et adhuc in viventibus vita eorum, visio enim ad omnem multitudinem eius non regredietur et vir in iniquitate vitae suae non confortabitur* »; — « naturale est in possessionum emptione laetari. in venditione lugere; cum autem instet servitus atque captivitas, et gaudium et tristitia in utroque sunt vana » (*S. Hier.*). Venditionem intellige eam de qua Lev. 25,25 : si attenuatus frater tuus vendiderit possessiunculam suam etc.; talis enim venditio cum tristitia solet esse coniuncta. In v. 13 explicatur iram quae iamiam erit effundenda in populum satis diu permansuram esse, ita ut etsi venditor satis diu vivat, tamen non ad possessionem suam revertatur; exsilium igitur non mox finietur. Bene notat *S. Hier.* vatem loqui iuxta hebraicum morem, « omnis enim emptio ad venditorem revertebatur quinquagesimo anno remissionis qui apud illos vocatur iubilaeus ». Nempe etiam hic ob oculos habet leges Lev. 25,14 seq. 27. 28 promulgatas. Sed eam spem pro futuro illis adimit; anno iubilaei non poterit fieri restitutio et ratio affertur, quia *visio* i. e. prophetia ad omnem populum missa vel contra eum data non fiet irrita, non rescindetur neque retractabitur, sed rebus explebitur (*S. Hier. Pint. Mald. Prad. Lap. Sa, Mar. Calm.*), pro qua significatione לֹא יָשׁוּב iam *Prad. Mald.* allegant Is. 55,11 et vide quoque Is. 45,23; oracula enim re infecta non revertentur ceu nuntii qui imperata non perfecerunt (*Calm.*). Cui altera additur ratio ex norma iustitiae generali petita et lege morum, neque enim fieri potest ut quis *iniquitate sua vitam suam confortet sibi* vel fulciat (hebr.).

At quomodo oracula non possint fieri irrita, iam declarat dicens,

etsi ad hostes oppugnandos se parent, omnia fore in vanum v. 14 « *canite tuba, praeparentur omnes, et non est qui vadat ad proelium; ira enim mea super universum populum eius* »! — iubentur per ironiam (*S. Hier. Pint.*): nulla ergo erit in eorum viribus spes; Deus pro ira sua omnem resistendi conatum reddet inefficacem et irritum; nemo poterit ruinam avertere; « nemo audebit ad pugnam procedere, ego iniciam metum » (*Mald. Sa, Mar.*); quae minae facile colliguntur ex Lev. 26,17. Deut. 32,30. Cum LXX et *vulg.* forma imperativi est retinenda et etiam pro hebr. restituenda, quippe quae ad sensum multo est efficacior. LXX solum praebent partem versus priorem : canite tuba et iudicate omnia! verum sensum esse plane hiulcum nemo non sentiet.

Iram (v. 14) accuratius per singula prosequitur Dominum ostendens percutientem (v. 9) v. 15 « *gladius foris, et pestis et fames intrinsecus; qui in agro est gladio morietur, et qui in civitate pestilentia et fame devorabuntur* »; — en tria illa 5,12; modo loquendi iam obsidio urbis indicatur et miseriae cum ea coniunctae; repetita assertione vanam spem ac fiduciam iis adimere studet. Ii autem qui gladium effugerint et in montibus ac speluncis se abdiderint, vitam trahent pavore miseriisque refertam et obseptam v. 16. « *et salvabuntur qui fugerint ex eis et erunt in montibus quasi columbae convallium omnes trepidi, unusquisque in iniquitate sua;* v. 17 *omnes manus dissolventur et omnia genua fluent aquis*, v. 18 *et accingent se ciliciis et operiet eos formido et in omni facie confusio et in universis capitibus eorum calvitium* »; — hebr. v. 16 *et evadent evasores eorum et erunt...* i. e. si qui fuga se proripuerint, errabunt in montibus timidi ac pavidi, vel hebr. *omnes gementes* scil. more columbarum (*Mald. Mar.*), comparantur columbis natura trepidissimis, quae maximo terrore accipitrem fugiunt; en ad id recidit bellicus ille apparatus in v. 14! Suspiria trahunt pro sua quisque iniquitate. Nexum inter peccatum et poenam continuo effert vates, ut intelligant solam impietatem esse omnium malorum matrem fecundam, non furorem vel potentiam hostium. Et quanto pavore corripiantur, declaratur v. 17 : membra stupefient prae terrore; nihil poterunt aggredi et efficere, id quod in manibus flaccescentibus et tremore concussis bene depingitur; robur quoque genuum plane diffluet et evanescet aquae instar; ergo ne pedibus quidem insistere valebunt; eodem sensu dicitur Ios. 7,5 : pertimuitque cor populi et instar aquae liquefactum est et Ps. 21,15 : factum est cor meum tamquam cera liquescens, et de genibus : genua trementia confortasti Iob 4,4; genua mea infirmata sunt a ieiunio Ps. 108,24; genua debilia roborate Is. 35,3 etc.; unde patet corporis robur vel debilita-

tem in genibus manifestari et describi. Quare plerorumque explanatio (LXX, *S. Hier. Prad. Pint. Mald. Sa, Mar. Lap. Men. Tir. Gord. Calm.*) de vesica prae pavore soluta eo ipso repudiatur. Praeterea omnibus indiciis luctus et planctus miserrima eorum conditio depingitur : accinguntur veste lugentium, ex panno crasso et aspero, plerumque e pilis texto confecta; toto habitu terrorem ac pudorem prae se ferunt, caesaries, ornamentum capitis, prae luctu deposita est capillis prae dolore evulsis ac tonsis; vide ad Is. 15,2. Ier. 48,37. Am. 8, 10. Mich. 1,16.

Nulla igitur spes salutis ex bellica quam iactare solebant fortitudine. Neque ullum subsidium vel ad hostes placandos vel ad victum comparandum habebunt ex suis opibus v. 19 « *argentum eorum foras proiicietur et aurum eorum in sterquilinium erit; argentum eorum et aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris Domini; animam suam non saturabunt et ventres eorum non implebuntur, quia scandalum iniquitatis eorum factum est* » ; — hebr. *foras proiicient*, erit iis quasi sordes immundissimae (נִדָּה Lev. 12,2. 5; 15,19. 20,24 etc.); ita vates exhibet quam inutile iis futurum sit et quanta ipsi indignatione et furore corripiantur cernentes se turpiter deceptos sua spe et fiducia. Adeo igitur thesauri vilescent; nam non proderunt divitiae in die ultionis, iustitia autem liberat a morte (Prov. 10,2; 11,4. Eccli. 5,10. Soph. 1,18); « nulli autem dubium quin obsidionis et famis tempore aurum argentumque esurientes non liberet et illisi pretiosissimo metallo dentes instar durissimi lapidis retundantur » (*S. Hier.*). Poena iusta plectentur, nam opes illis fuerunt *scandalum* i. e. occasio, ansa, illecebrae scelerum et iniquitatis; incrassatus est dilectus et recalcitravit Deut. 32,15. Et quam abominabili modo adhibuerint opes a Deo concessas, ulterius reprehenditur v. 20 « *et ornamentum monilium suorum in superbiam posuerunt et imagines abominationum suarum et simulacrorum fecerunt ex eo; propter hoc dedi eis illud in immunditiam*, v. 21 *et dabo illud in manus alienorum ad diripiendum et impiis terrae in praedam et contaminabunt illud* » ; — « quae ego, inquit, dederam in ornamentum possidentium atque divitias, illi verterunt in superbiam, ut de quibus poterant per eleemosynas et bona opera suam animam liberare, ex illis haberent materiam arrogantiae; denique ex auro et argento fecerunt idola et mea munera in daemonum simulacra verterunt » (*S. Hier.*); quare Deus aurum et argentum eorum faciet iis in sordes, scil. ut sit iis plane inutile, ut prae taedio cum abominatione illud abiiciant. Dona Dei in cultum idolorum converti etiam Osee conqueritur 2,8; 8,4; 13,2. Quare opes eorum hostibus idololatris tradentur; ii autem contaminare eas dicuntur vel pro-

fanare, quia quae populus Dei possidet, proprie Deo sunt sacra et Dei possessionem constituunt; ita enim Deus vocat Israel suam hereditatem, Palaestinam suam terram, loquitur de suo frumento, suo vino (Os. 2,9; vide ad Is. 8,8; 14,25 et Ez. 16,10 seq.). Unde Deus suam in populum indignationem maxime ostendit tradens eius opes impiis profanandas.

Atque ita eveniet v. 22 « *et avertam faciem meam ab eis, et violabunt arcanum et introibunt in illud emissarii et contaminabunt illud* »; — iterum assignatur una ruinae causa, quia Deus favorem suum, lumen vultus sui, benevolentiam avertit; « nequaquam eos dignos meis oculis iudico » (*S. Hier.*); quare *violenti* vel dissipatores (hebr. *Vat.*) vel depraedatores (cf. Ier. 7,11. *Mald.*) profanabunt *abditum meum;* plerique intelligunt templum vel sanctum sanctorum (*S. Hier. Theod. Pint. Prad. Mald. Sa, Mar. Lap. Calm. Loch*); alii explicant *cimelium* de urbe Ierusalem (*Sm.*); alii *thesaurum* (*Troch. Keil*) de thesauro scil. in templo asservato; de voce צָפוּן vide ad Iob 20,26. Abd. 6. *Chald.* habet : et auferam maiestatem meam (schechina) ab eis eo quod violarunt terram domus maiestatis meae; LXX non exprimunt פָּרִיצִים, id sequitur *C.* referens integram sententiam ad Iudaeos, a quibus Deus avertat faciem, quia violaverint templum et illud ingressi sint, ut profanarent. Sed ad antecedentia et etiam ad v. 24 melius convenit textus hebr., qui simul ab aliis testibus suffragium habet, a *Syro, Aq. Theod. Sym. Chald.* qui omnes פָּרִיצִים reddunt quae vox fortasse etiam latet, ut *S. Hier.* iam opinatus est, in ἀφυλάκτως quod additur ad εἰςελεύσονται εἰς αὐτά.

Denuo ruina populi, captivitas, excidium sanctuarii annuntiatur v. 23 « *fac conclusionem, quoniam terra plena est iudicio sanguinum et civitas plena iniquitate* »! — hebr. *fac catenam;* ita iam *Chald. Vat. Mald. Mar. Malv. Calm.* et recentiores (excepto *C.* qui textum mutat), in signum scil. quod capientur et ligabuntur, uti Ier. 28,13 (*Lap.*); et ratio est quia iniustitia et oppressio in urbe dominatur. Committuntur scil. homicidia, sanguis innoxius effunditur et innocentes opprimuntur et spoliantur. Cum igitur iis criminibus admissis primas leges et Dei et ipsius naturae pedibus conculcent, Deus eos e terra eiiciet v. 24 « *et adducam pessimos de gentibus et possidebunt domos eorum et quiescere faciam superbiam potentium et possidebunt sanctuaria eorum* »; — cf. Deut. 28,50 : adducet Dominus super te gentem procacissimam quae non deferat seni nec misereatur parvuli; et quomodo superbiam eorum qui se potentes et fortes iactant sit contriturus, iam v. 14 seq. indicatum est. Frustra erit omnis conatus pro aris et focis; omnia in hostium cedent potestatem. Igitur totius theo-

cratiae casus et ruina clare praedicitur. Hebr. verte : *profanabuntur sanctuaria eorum;* plerique intelligunt templum, quod dicatur sanctuaria propter tres partes; alii templum et terram sanctam, quae tota est hereditas Dei. Deus ea iam non *sua* agnoscit; vocat sanctuaria *eorum*, in quibus scil. temere et frustra spem ac fiduciam collocarunt; vide Ier. 7,4. Mich. 3,11. Quam turpiter decipiantur tali praesumptione, paucis depingitur v. 25 « *angustia superveniente requirent pacem et non erit;* v. 26 *conturbatio super conturbationem veniet et auditus super auditum et quaerent visionem de propheta et lex peribit a sacerdote et consilium a senioribus*, v. 27 *rex lugebit et princeps induetur moerore et manus populi terrae conturbabuntur* » ; — alia ex alia eos occupabit et involvet calamitas et pernicies; accedunt alii ex aliis rumores et nuntii funesti undique allati. Omnes ordines sunt consilii expertes; prophetae frustra responsum Domini exquirunt; nam in poenam comminatus erat Dominus se subtracturum responsa; cf. Ps. 73, 9. Os. 3,4; 9,7. Am. 8,12. Lament. 2,9; omne enim fulcrum se ablaturum iam apud Is. 3,1-3 Deus praedixerat. Neque sacerdotes quorum est legem Dei explicare Mal. 2,7 quidquam auxilii vel solatii afferent; rex et principes i. e. principes tribuum, cognationum, familiarum, qui duces et consiliarii esse debebant, moestitia obruti et perturbatione perculsi ipsi nesciunt quo se vertant. Quare non mirum est, *manus* populi i. e. omnem vim et robur trepidatione et desperatione plane dissipari et interire.

Sequitur totius oraculi conclusio, qua iustitia poenae eiusque effectus indicatur : « *secundum viam eorum faciam eis et secundum iudicia eorum iudicabo eos et scient quia ego Dominus* » ; — secundum opera sua id quod meriti sunt eis retribuetur et prout ipsi ius normasque veri et recti observant vel negligunt et conculcant, iudicium fiet de iis. Ita factis discent Dominum verborum suorum esse exsecutorem.

Series altera 8, 1-11, 25.

Arg. — Propheta spiritu raptus in Ierusalem causam videt et radicem ruinae, videlicet abominationes idololatriae; nempe ostenditur ei idolum zeli in templo positum, idola in exedris depicta et seniores eis thurificantes cernit, videt mulieres Adonidem plangentes et sacerdotes solem adorantes (8,1-18). Horum scelerum poena annuntiatur et vati similiter in visione exhibetur. Etenim pii qui peccata populi lugent ab angelo signo tau signantur, reliqui ab angelis ultoribus occiduntur (9,1-11). Urbs autem Ierusalem Domino iubente ab angelo incendio traditur (10,1-22). Propheta vero ducibus et fautoribus sce-

lerum excidium vaticinari iubetur (11,1-12). Hanc ruinam dum secum perpendit atque ne plane populus Dei pereat apud Deum intercedit, Deus ei instaurationem fore promittit; interea autem gloria Dei ab urbe recedit (11,13-25).

Hisce igitur partim depingitur causa et ratio, cur Deus urbem et populum in hostium potestatem sit traditurus, partim quis futurus sit obsidionis antea adumbratae exitus describitur; unde hanc partem qua antecedentia et illustrantur magis et complentur apte adnecti per se innotescit.

a) **Scelera idololatriae 8, 1-18.**

Anno uno et duobus mensibus post vocationem ad munus propheticum Ezechiel in ecstasin raptus spiritu videt quaenam idololatriae scelera in urbe admittantur. Si in cap.4 numerum dierum secundum textum hebr. retinemus, haec ecstasis in ultimam partem dierum illorum 430 incidit. Habuit igitur propheta visionem hanc, dum adhuc obsidionem urbis situ suo repraesentabat. Neque id ullo pacto repugnat, prout aliqui censent (cf. *Keil*); immo si cui numerus ille 430 dierum retinendus esse videbitur, ea ratione facile explicabit, quomodo Deus rem difficillimam factu potuerit ita attemperare, ut vates eam sine maxima molestia perageret. Cernitur scil. in hoc raptu ecstatico exemplum Deo neutiquam deesse ea quibus rem molestissimam possit reddere tolerabilem; in raptu enim tali sensus externi ligantur neque corpus ullam percipit molestiam, sed rebus externis quasi mortuum sese exhibet. Id sanctorum experientia nobis confirmatum relinquitur; immo fieri posse, ut corpus reddatur expers omnis doloris inflicti sensus, etiam modis variis et remediis naturalibus constat. Prophetam autem ecstasi abreptum etiam seniores Iuda, i. e. nobiles inter exsules vident, ut eo aspectu et re insolita animi reddantur attenti et ad id suscipiendum praeparentur quod vates postea sit explanaturus. Propheta vero eam rem narrans ipsos illos nobiles rei narratae testes affert, per quos ecstasin locum habuisse constare potest v. 1 « *Et factum est in anno sexto, in sexto mense in quinta mensis, ego sedebam in domo mea et senes Iuda sedebant coram me et cecidit ibi super me manus Domini Dei* »; — domi se continet vates, uti 3,24 et 4,4 seq. indicatur; neque *sedere* ישב situm illum 4,4 seq. iniunctum excludit, cum generatim *morari*, alicubi esse locatum vel constitutum significet (cf. *Ges.* Thes. p. 636). Quare qui numerum 430 dierum retinere voluerit non opus habet recurrere ad annum intercalarem, mensibus tredecim lunaribus constantem (uti volunt *Prad. Lap. Mar.*

Hitz. aliique), neque dies 40 iam contineri in illis 390 opus est asserere, ut aliis placet. Ceterum in textu graeco legitur *quintus* mensis, quam lectionem *C.* adoptat, censens cum *Sm.* textum hebr. consulto esse mutatum, ut dies illi 390 iam effluxisse viderentur.

Corripitur vates *manu Dei;* cf. 1,3; 3,22; « divini spiritus efficaciam vocat manum Dei » (*Theod.*); quae in quonam constiterit, subditur v. 2 « *et vidi et ecce similitudo quasi aspectus ignis, ab aspectu lumborum eius et deorsum ignis, et a lumbis eius et sursum quasi aspectus splendoris, ut visio electri* »; — cernit coram se fulgentem hominis speciem ac figuram quae ut ignis splendet ita quidem, ut pars corporis a capite ad lumbos usque eminentiore ac praeclariore fulgore emineat; ceterum vide 1,27; de electro cf. 1,4. LXX praebent : et ecce similitudo viri, a lumbis eius et deorsum ignis; unde pro priore אֵשׁ textus *mas.* legerunt אִישׁ, quae lectio commendari videtur (cf. *Houbig.*), ne scil. quae species vel figura ei sit oblata, solum ex sequentibus colligi debeat et ut modus loquendi inconcinnus removeatur. Quam bene dixerit *manum* Domini cecidisse super se, etiam sequentibus illustratur v. 3 « *et emissa similitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei et elevavit me spiritus inter terram et coelum et adduxit me in Ierusalem in visione Dei iuxta ostium interius quod respiciebat ad aquilonem, ubi erat statutum idolum zeli ad provocandam aemulationem* »; — hebr. *et extendit formam manus;* « videturque manus, ut membrum humani corporis atque consueti nequaquam terreat eum qui assumitur atque comprehenditur » (*S. Hier.*). Spiritum intellige, uti 3,12, eo tamen discrimine, ut hoc loco sibi ita abripi solum videretur; nam, ut iam advertunt *S. Ephr. Hier. Theod.*, in visione Dei i. e. in spiritu, non in corpore fuit translatus in urbem neque oculis carnis contemplatus est, sed domi sedens inter seniores Iuda hanc expertus est visionem, dum singula aciei mentis eius repraesentabantur. Adducitur autem spiritu ad introitum portae atrii interioris quae respiciebat aquilonem, igitur in templum ad atrium interius. Cernit ibi idolum collocatum vel simulacrum zeli vel aemulationis, quod ita vocatur quia zelum et furorem Domini provocat; est enim Deus qui solus adorandus est zelotes (Ex. 20,5) et prout iam in cantico Moysis dicitur, provocatur ad iram et irritatur cultu idololatrico (Deut. 32,21); zelum autem et aemulationem commemorat, quia foedere inito plebs Deo sancta quasi sponsa Domini consideratur, quae fornicatur post idola cultu idolorum admisso; quare Dominus in modum mariti offensi in idololatras zelotypia accenditur; ceterum vide ad Is. 57,8. Os. 12,14. Simulacrum designari videtur Baal vel Astartes, quod Manasses in templo collocaverat (4 Reg. 21,7). Id quidem postea sane ab ipso Manasse

cum resipuisset remotum est, neque opus erit assumere cum aliquibus id Iosia mortuo fuisse restitutum; nam sicuti peccata Manasse saepius tamquam exsilii causa afferuntur (4 Reg. 24,3. Ier. 15,4), ita in hac visione vati causa ruinae in universum collecta offertur. Quo vividius apprehendat, quantopere templum Dei idolo posito fuerit profanatum et Deus ad ultionem provocatus, simul ei apparet in templo gloria Dei v. 4 « *et ecce ibi gloria Dei Israel secundum visionem quam videram in campo* »; — quae scil. cap. 1 descripta est. Idolum in templo positum et gloria Dei vati apparens exprimunt quod legitur 2 Par. 36,14 : polluerunt domum Domini quam sanctificaverat sibi in Ierusalem.

Prima species abominationis ei ostenditur v. 5 « *et dixit ad me : fili hominis, leva oculos tuos ad viam aquilonis! Et levavi oculos meos ad viam aquilonis et ecce ab aquilone portae altaris idolum zeli in ipso introitu* »! — vates igitur in interiore parte portae vel in exitu eius ad meridiem vergente consistit; porta altaris est porta aquilonaris interior. Cur porta altaris vocata sit, fortasse eo explicatur, quod per eam portam victimae introducebantur, quippe quae ad latus altaris quod respicit ad aquilonem erant immolandae ex Lev. 1,11. Idolum collocatum cernebatur in parte exteriore introitus portae, igitur prope atrium exterius; eo itaque in loco, ubi et a sacerdotibus et a populo facile videri poterat; unde maior sceleris occasio et impudentia pandebatur. Quam indigna sit ea res, Dominus aperit v. 6 « *et dixit ad me : fili hominis, putasne, vides tu quid isti faciunt, abominationes magnas, quas domus Israel facit hic, ut procul recedam a sanctuario meo? et adhuc conversus videbis abominationes maiores* »! — ita scil. vati ob oculos ponuntur ea crimina ob quae ruina regni iudaici iam non potest averti. Per ironiam dicuntur Israelitae ea perpetrasse, *ut Dominus recederet a templo*; ceterum ei qui sciens et volens peccat iure merito sequelae peccati necessariae quas ignorare non potuit imputantur. Propheta iam edocetur de eo quod postmodum visurus est 11,23 ; « ne me, inquit, putes iniuste templum deserere et subvertendam relinquere civitatem; aspice quae in templo faciant » (*S. Hier.*).

Altera species abominationis panditur v. 7 « *et introduxit me ad ostium atrii et vidi et ecce foramen unum in pariete;* v. 8 *et dixit ad me : fili hominis, fode parietem! et cum fodissem parietem, apparuit ostium unum* »; — i. e. perfode vel perrumpe parietem (hebr.); cum in v. 3 de atrio interiore mentio in hebr. facta sit, idem atrium erit hic intelligendum, in cuius introitu propheta sistitur et quidem in introitu, ut videtur, exteriore i. e. in ea portae parte quae atrio exteriori contermina est; proinde adducitur ad eum fére locum, in quo

simulacrum positum vidit v. 5. Alii tamen introitum aquilonarem ad atrium exterius intelligunt. Ceterum cum de visione agatur, haec controversia nullius est momenti. Etiam in subsequentibus res ita depinguntur, ut solum ideae exprimantur, non ea quae vere in aliquo templi cubiculo peracta sint. Bene enim advertit *Mald.* : « locus in pariete abditus significat Iudaeos extrinsecus quidem Deum colere, intrinsecus in occulto idola; demonstratur autem ei idololatria in templo, ut significetur cum cultu Dei eos idola miscuisse ». Ostium enim quod demum apparet pariete perfosso ostendit, quam sedulo in occulto coluerint idola tum quando non licuit publice v. g. sub Iosia rege. Et quam foedae idololatriae gens sancta operam det, narratur v. 9 « *et dixit ad me : ingredere et vide abominationes pessimas quas isti faciunt hic !* v. 10 *et ingressus vidi et ecce omnis similitudo reptilium et animalium, abominatio, et universa idola domus Israel depicta erant in pariete in circuitu per totum,* v. 11 *et septuaginta viri de senioribus domus Israel et Iezonias filius Saphan stabat in medio eorum stantium ante picturas et unusquisque habebat thuribulum in manu sua et vapor nebulae de thure consurgebat* »; — idololatria aegyptiaca h. l. praeprimis tangitur, cuius ii certe se participes reddebant qui a partibus Aegyptiorum stantes opem Aegyptiorum expetebant; contra hos saepius agit Ieremias; vide ad Ier. 2,18. 36. 37; 37,6 seq. Symbolice rem exhiberi, etiam eo patet quia ad portas templi certe non appositum erat cubiculum, cuius ostium non patebat nisi pariete perfosso. Numero illo de senioribus et ipsa seniorum dignitate et auctoritate adumbratur, in quantum apud nobiles et duces iniquitas invaluerit. Septuaginta seniores ex Ex. 24,1 et Num. 11,16. 24 etc. totum populum repraesentant et hac quoque ratione imago prophetae ostensa vim maximam habet. Etiam quod omnis generis cultus plurimorum idolorum uno in sanctuario exercetur, argumento est rem symbolis describi. De Iezonia nihil notum est; incertum quoque[1] num fuerit filius illius Saphan, de quo 4 Reg. 22,3 seq. Ier. 29,3; 36,10; 39,14.

Imago explicatur v. 12 « *et dixit ad me : certe vides fili hominis, quae seniores domus Israel faciunt in tenebris, unusquisque in abscondito cubiculi sui; dicunt enim : non videt Dominus nos, dereliquit Dominus terram* »; — hebr. *in penetralibus picturae suae* vel figurae, imaginis; nam מַשְׂכִּית ex Lev. 26,1 et Num. 33,52 ad idola refertur. Effertur quid in tenebris i. e. in abscondito fecerint, quo culpa appa-

---

1. Id certum censet *Plumptre*, Expositor l. c. : « the name is recorded in grief and horror at the apostasy of one whose family bad been conspicuous among the Godfearing patriots of the time ».

reat maior, quia dum publice non licuit v. g. propter Iosiae regis pii auctoritatem, occulte tamen impietati indulgebant. Prophetae enim eodem modo quo cap. 16 et 23 totius populi a longo tempore contractam culpam depingit, etiam hic integra totius nationis per plures generationes protracta iniquitas repraesentatur; ex tali enim exsurgit culpa nationalis qua totius gentis ruina affertur. Quibus animorum sensibus isti fuerint imbuti, duobus declarat: Iahve nescire, uti simili modo apud Isaiam 29,15 ii loquuntur qui contra Dei voluntatem foedus appetunt aegyptiacum; dein Dominum iam non terram suam tueri, quare opem quaeri oportere aliorum deorum. Ergo ex calamitatibus concludunt Dominum vel nolle vel non posse suam gentem tueri et aliarum gentium quae in prosperitate vivant deos esse potentiores ideoque colendos. Eodem modo de Achaz dicitur: immolavit diis Damasci victimas percussoribus suis et dixit: dii regum Syriae auxiliantur eis, quos ego placabo hostiis et aderunt mihi (2 Par. 28, 23). Ceterum vide Ps. 72,11. Iob 22,14, quibus locis patet impios sibi persuasisse Dominum res humanas ignorare vel potius iis non prospicere.

Tertia species idololatriae a mulieribus exercitae describitur; et quantopere mulieres quoque cultui illi inhiaverint, satis superque patet ex Ier. 7,18; 44,15. 19. Hic nobis exhibetur cultus genus lubricum a solis mulieribus obiri solitum; v. 13 « *et dixit ad me : adhuc conversus videbis abominationes maiores quas isti faciunt;* v. 14 *et introduxit me per ostium portae domus Domini quod respiciebat ad aquilonem et ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem* »; — intelligenda erit porta aquilonaris exterior, qua aditus patebat ab urbe in exteriorem domus Dei partem. Hebr. *et duxit me ad introitum portae...*; in interiore enim porta antea constiterat et in v. 16 iterum ducitur in atrium interius; unde hoc loco portam exteriorem oportet explicare. In hebr. plangunt mulieres *Tammuz,* sed bene interpretatus est *S. Hier.* Adonidem; eius enim est cultus; « hebraeus et syrus sermo *Thammuz* vocat, unde quia iuxta gentilem fabulam in mense iunio amasius Veneris et pulcherrimus iuvenis occisus et deinceps revixisse narratur, eundem iunium mensem eodem appellant nomine et anniversariam ei celebrant sollemnitatem, in qua plangitur a mulieribus quasi mortuus et postea reviviscens canitur atque laudatur » (*S. Hier.*). Cum voce Tammuz componunt assyriologi nomen mensis babylonicum *duzi,* quae vox primitus *dumuzi* pronuntiabatur et filius vitae explicatur (ita *Schrader,* Keilinschr. u. A. T. ad h. l.). De celebritate Adonidis vide *Movers,* Phoenizier I p. 195 seq., *Scholz,* Goetzendienst p. 223 seq., *Vigouroux,* la Bible et les déc. mod. III p. 266. Ipsum Adonidis nomen ex semitico אדון petitum est; cultus iste ac mythus

longe lateque per orientem erat sparsus, etiam in fragmentis mythologicis accadicis mentio fit Tammuz[1] amasii Istaris (cf. *Hommel,* Semitische Voelker I p. 323).

Quarta species iniquitatis ceteris maior vati ostenditur, dum monetur, ut visa bene perpendat eórumque indignitatem alte menti imprimat v. 15 « *et dixit ad me : certe vidisti fili hominis, adhuc conversus videbis abominationes maiores his;* v. 16 *et introduxit me in atrium domus Domini interius; et ecce in ostio templi Domini inter vestibulum et altare quasi viginti quinque viri dorsa habentes contra templum Domini et facies ad orientem et adorabant ad ortum solis* » ; — hebr. *et adorabant orientem versus solem* (cf. *Mar. Malv. Tir. Calm.*); adorationem solis quae est antiqua idololatriae species (Deut. 17,3. Iob 31,26. 4 Reg. 23,11) significari etiam *S. Hier.* vidit : « quae est maior abominatio superiorum trium scelerum? videlicet quarta... eo quod contempto Domino, id est Creatore, adorarent solem, id est Domini creaturam ». In atrio interiore i. e. in atrio sacerdotum inter vestibulum vel porticum quae erat ante sanctum (3 Reg. 6,3) et altare holocaustorum stabant viri 25 dorsa vertentes contra sanctum et sanctum sanctorum quod occidentem versus erat collocatum et adorantes solem. Templum strictiore sensu vocatur pars illa domus Domini quae sanctum et sanctissimum continebat. Ipso situ exprimitur et loci conditione quantopere Dominum contemnant; uti apud Ieremiam : verterunt ad me tergum et non faciem (2,27; 32,33). Olim eodem in loco, inter vestibulum et altare, plorabant sacerdotes ministri Domini dicentes : parce Domine (Ioel 2,17) et zelatus est Dominus terram suam et pepercit populo suo; verum res in contrarium mutatas cernit Ezechiel. Arcae Domini et ipsi Domino sedenti super cherubim terga dabant aversi et coram altari holocaustorum Domino sacro et ad iram Domini placandam consecrato Dominum ad iram provocabant. Scelera depingi sacerdotum recte censent *Prad. Mar. Calm. Troch. Schr. Keil, Plumptre;* id enim ipso iam loco suadetur; id numero quoque virorum 25 commendatur; nam viginti quattuor ordines sacerdotum exsistebant (1 Par. 24,4-18) quibus accedit summus sacerdos, ita ut in illo numero exhibeantur « universi principes sacerdotum qui praevaricati sunt inique iuxta universas abominationes gentium et polluerunt domum Domini » (2 Par. 36,14). Prorsus arbitrarie *Sm.* in quaestionem vocat exstiterintne ante exsilium 24 illi ordines; eius enim rei testimonium maxime explicitum habes 1 Par. 24,4-18. Quare satius quoque erit cum

1. In carmine de descensu Istaris eiusdem luctus mentio fit : vide *Schrader*, Cuneiform Inscriptions and the O. T. II p. 315.

Mald. Schr. Keil explicare non *circiter* 25 *viri*, sed כ per modum comparationis : vidi speciem oblatam *sicut* speciem 25 virorum (vide usum similem כ Iob 29,2). Iam *S. Hier.* advertit LXX posuisse *viginti* viros, in quibusdam exemplaribus *quinque* de Theodotione additos esse. Sequitur *C.* lectionem LXX putans in hebr. additamentum ex 11,1 factum esse et ad 25 qui non sit numerus rotundus non posse כ addi; sed explica כ altero modo! Ita in textu hebr. optime describitur ordines omnes : principes ducesque populi qui ipsum repraesentant populum, mulieres, sacerdotum familias omnes, impietati et idololatriae se dedisse; idque gradatione quadam proponitur.

In textu *mas.* legitur מִשְׁתַּחֲוִיתֶם quam formam, utpote hibridam, recentiores mendum habent pro מִשְׁתַּחֲוִים. *Chald.* paraphrasin habet, quasi duo legisset verba: scil. praeter adorare etiam verbum שׁחת : et ecce ipsi corrumpentes se (vel corrupti) adorantes orientem versus solem. Veteres illam formam explicarunt quasi mixtam ex participio et secunda persona pronominis plur. vel secunda persona praeteriti plur. (cf. *Malv.*). Nisi obstaret transitus ille repentinus ad secundam personam, qui utique post הֵמָּה nequit tolerari, posset fortasse in ea forma cerni aliquid simile quod in sermone aramaico haud raro usurpatur, ut scil. pronomina cum participio ita componantur et coniungantur, ut nova quasi verbi coniugatio exoriatur. Ad talem formam aramaicam punctis parumper mutatis etiam aliqua apud Ieremiam *scripta* 22,23 et 51, 13 revocari possent. Ceterum notari oportet nostro loco in sat multis codicibus hebr. formam regularem legi (cf. *de Rossi*).

Praeterea peccatis contra Deum addunt iniustitias et oppressiones aliorum v. 17 « *et dixit ad me : certe vidisti fili hominis, numquid leve est hoc domui Iuda, ut facerent abominationes istas quas fecerunt hic, quia replentes terram iniquitate conversi sunt ad irritandum me? et ecce applicant ramum ad nares suas* »! — i. e. estne parum domui Israel illas committere abominationes, quia etiam terram replent violentiis et oppressionibus meque iterum iterumque ad iram provocant? quasi sibi non possent satisfacere, impietati addunt iniurias aliis illatas et scelera sceleribus augent. Obscurum est membrum ultimum. Eo gestu significari adorationem idolorum iam *S. Hier.* censet. Recentiores monent de ritu simili qui apud Persas in usu fuit, qui solem adorantes fasciculum ex variarum arborum ramis contextum manu sinistra gerebant; simile quid narrant de Ssabiis. Sed tota similitudo demum ad ramum reducitur; magna autem remanet dissimilitudo : Iudaei ramum ad nares applicant, illi adorantes manu gestant. Modus loquendi, quo et indignatio exprimitur et gradatio quaedam continetur, magnam aliquam deformitatem denotat, sed qualem? ibi haeret aqua. LXX exprimunt irrisionem Deo impactam; ἰδοὺ αὐτοὶ ὡς μυκτερί-

ζοντες, id quod apprime convenire videtur. Isti acceptioni non est multum absimile quod habet *Syrus* : strepitum faciunt cum naribus; sim. *Sym.* ὡς ἀφιέντες εἰσὶν ἦχον ὡς ᾆσμα διὰ τῶν μυκτήρων αὐτῶν : quasi emittentes sonitum in similitudinem cantici per nares suas (*S. Hier.*); proinde non ramum זְמוֹרָה legerunt, quam vocem legit tamen Theodotio κλῆμα vertens, sed זִמְרָה cf. Am. 5,23. Is. 51,3.

Fasciculus ille quem Persae adorantes solem manu gestabant ***barezma*** appellabatur; quare *de Lagarde* proponit ut ברזם legatur vel זמורה tamquam vox accipiatur quam Semitae pro *barezma* selegerint vel in quam illam vocem transformaverint. Verum tota explanatio de ramo gestato mihi hoc loco languescere videtur; nihil enim addit ad scelus idololatriae augendum, vel cur ea in re peculiare momentum poneretur quod adorantes ramum manu tenent vel ad nasum applicant forte odoris percipiendi causa? Quod alii afferunt de more veterum qui coronis redimiti ad idola accedere solebant (***Prad. Lap. Mar. Tir.***), etiam parum ad rem est. Alii alia excogitarunt : ecce, emittunt *canticum* lugubre (de Adonide scil.) ad iram suam i. e. ut ira et ultio in eo eos irruat (***Haevernick***); verum inepte infertur hoc loco Adonis; vel : *falcem* mittunt ad nares suas (***Hitz.***) i. e. sibi ipsi damnum inferunt, dum me offendunt; vel : *palmitem* admovent ad iram suam i. e. domum Israel quae est vinea faciunt appropinquare ad ultionem sibi debitam. Vides quomodo ingenia interpretum ad varia excogitanda fertilia sint. Alii prudentiores modum loquendi proverbialem qui nondum exploratus sit adesse profitentur. Si ad ea animum advertimus quae Ezechiel in cap. 16 et 23 stilo satis crudo et a nostris moribus alieno describit, non plane incredibilis videtur interpretatio quam ex rabbinis afferunt ***Prad. Mald. Mar. Malv. Lap.***; refertur enim locus ad correctionem scribarum; olim enim lectum esse אפי ad nares meas sensumque fuisse emittentes *foetorem* ad nares *meas*; quod cum scribis (sopherim; vide *Cornely,* Introd. I p. 253) non decere videretur, ab iis mutatum esse in אפם. Idem affertur apud *Galatinum*, de arcanis cath. veritatis lib. 1 cap. 8 p. 30 (Basileae 1550); mutatio illa a massorethis ad Esdram refertur; vide *Frensdorff,* Ochlah w'ochlah p. 113 (Hannover 1864). Sensum eum ***Mald.*** approbat. Alii interpretationem rabbinicam ita emolliunt, ut Iudaei foetore idololatriae delectari dicantur (***Pint.***). — Quod *Chald.* habet, non uno modo vertitur ab omnibus; ***C.*** explicat : et isti quasi anhelantes naribus suis; sed proprie verba chaldaica sonant : isti afferentes confusionem ad nares suas; id quod *Levy* (Chald. Woerterb. I p. 85) pariter de foetore explicat.

Unde Dominus v. 18 « *ergo et ego faciam in furore; non parcet oculus meus nec miserebor et cum clamaverint ad aures meas voce magna, non exaudiam eos* »; — cf. 5,11; 7,4. 9; « *non exaudiam*, ut malis coacti intelligant quid fecerint » (*S. Hier.*); « neque enim misericordia est illis parcere; siquidem medicum decet illius qui secetur neque

lacrimas neque verba attendere, sed artis legem observare » (*Theod.*). Hoc versu apte fit transitus ad sequentia quibus ipsum iudicium quod infligetur iam describitur.

b) **Iudicium in populum adumbratur 9, 1-11.**

Dominus **8,18** sententiam tulit, quae quomodo exsecutioni mandanda sit, iam exhibetur vati v. **1** « *Et clamavit in auribus meis voce magna dicens : appropinquaverunt visitationes urbis et unusquisque vas interfectionis habet in manu sua* » ; — vocis contentio index est bilis effervescentis atque indignationis, qualem motum et affectum Deus hic exprimit humano more (*Prad.*); simul voce magna magnitudo rei declaratur (*Pint.*). Asserit igitur Deus iamiam adesse et quasi pro foribus stare castigationes urbi infligendas, et cum s. Scripturae usitatum sit angelos exhibere ultores et exsecutores iudiciorum (cf. Is. 37,36) et angeli Dei throno assistentes in ministerium parati concipiantur, etiam facile patet membrum alterum. Angeli enim ea locutione vati repraesentantur iam Deo adstantes et armati ad excidium infligendum. Dein quid ea voce significetur, statim in v. 2 vates fieri videt.

Versio *appropinquaverunt* cum LXX, *Sym. S. Hier.* est retinenda et forma hebr. 3 pers. perf. qal concipienda; ita quoque ex recentioribus *Hengstenberg, Schr. C.;* alii קָרְבוּ explicant imper. piel, uti iam *Malv.* meminit, et sequuntur *Troch. Keil, Sm.;* alii legunt קִרְבוּ (*Hitz.*) : appropinquate. Etiam פְּקֻדּוֹת varie concipiunt : castigationes vel vigiles seu custodes. Ultimam notionem commendant ex Is. 60,17 et Ier. 52,11 et Ez. 44,11 aliisque locis praesertim 2 Reg. 11,18 hebr. et ex Chron. Verum est numerum pluralem vocis alias semper adhiberi in ea significatione custodiarum vel praefecturarum. Sensus exsistit : adesse iam et adstare custodias urbis; at nonne istae *semper* adesse debent? Quodsi in ea notione imperativum legeris, sensum erues aptum et eodem modo membrum alterum explicari oportebit : unusquisque afferat vel proferat instrumentum perditionis. Hoc membrum *C.* delet tamquam prolepsin ex v. 2 quae tolerari nequeat. Miram opinionem! finge enim tibi rem agi in scena : adest rex, coram quo scelerati milites et ignavi consistunt; rex sententiam fert : adest ultionis tempus; iam parati sunt qui vindictam capiunt; quibus verbis prolatis lictores prodeunt in scenam — quid insolitum vel intolerabile in re eiusmodi? Insuper idem membrum adest quoque in textu graeco; quare nulla suspicionis ratio relinquitur.

Uti ad visionem adaptatum est, audita voce Domini in scenam prodeunt sententiae exsecutores v. 2 « *et ecce sex viri veniebant de via*

portae superioris quae respicit ad aquilonem et uniuscuiusque vas interitus in manu eius; vir quoque unus in medio eorum vestitus erat lineis et atramentarium scriptoris ad renes eius, et ingressi sunt et steterunt iuxta altare aereum »; — porta superior aquilonaris est porta illa aquilonem versus sita qua ex atrio exteriore ascendebatur gradibus in atrium interius; vide ad 8,3. 5. Fortasse non abs re est quod veniunt ab aquilone; nam ab aquilone pandetur omne malum super omnes habitatores terrae (Ier. 1,14. *Prad.*). Cum quisque manu teneat vas vel instrumentum exitii, quem in finem appropinquent satis declaratur. Inter sex illos apparet septimus habitu candido, qui est angelorum habitus Apoc. 15,6. Cur apparatum scribae habeat, declaratur subsequentibus in v. 4; cum apparatum gerere videtur eo modo, quo apud orientales in more positum esse et iam in antiquis sculpturis Ninives exhiberi narrant. Unde visio ad rei consuetudinem adaptata conspicitur. Cur sex prodeant, commode explicabis ex v. 6, ex quo sex ordines hominum percutiendos esse haud operose colligitur : viros scil. ante faciem templi i. e. illos viginti quinque sacerdotes (8,16), dein quinque laicorum ordines : senes, iuvenes, virgines, parvulos, mulieres. Ad altare aereum i. e. ad altare holocaustorum consistunt, ut scil. inde ultio proficiscatur ob cultum Dei neglectum, ubi remedium expiationis erat repositum. Ita significatur, ipsa Dei beneficia et salutis remedia iis fore ruinae occasionem et ex ipso sanctuario angelos egredi ultores sanctuarii neglecti et contempti. Septem hos viros esse angelos humana specie, ut assolet, repraesentatos, communiter et iure censent; septimum tamen veste alba indutum aliqui ipsum Christum putabant (vide apud *S. Hier.*); ceterum ne obliviscaris agi de re in visione solum vati oblata.

Prout iudicio condemnationis in templum et urbem lato convenit, gloria Domini sese retrahere et recipere a templo et urbe incipit v. 3 « *et gloria Domini Israel assumpta est de cherub quae erat super eum ad limen domus et vocavit virum qui indutus erat lineis et atramentarium scriptoris habebat in lumbis suis* »; — i. e. gloria Domini sublata est vel recessit (*Chald.*) de cherub super quem erat et ex interiore sanctuarii adyto ad limen progredi cernitur quasi iam moliens profectionem a templo et consistens in limine i. e. iamiam abitura e templo. Iudicium quod instat describitur; sed primo quibus sit parcendum aperitur v. 4 « *et dixit Dominus ad eum : transi per mediam civitatem in medio Ierusalem et signa thau super frontes virorum gementium et dolentium super cunctis abominationibus quae fiunt in medio eius* »! — id negotii ei demandatur qui *lineis* est vestitus, qui igitur habitum gerit sacerdotalem (*S. Hier. Theod. Prad. Pint.*), et apte in ea digni-

tate apparet, « neque enim ex iis erat qui puniret sed qui redimeret salute dignos » (*Theod.*), qui esset veniae minister et in morem sacerdotis e reliqua multitudine secerneret eos qui Deo adhaererent. Sacerdotis quippe est sanctificare populum, id quod hoc loco in eo consistit, ut e medio iniquorum separentur pii. Tamquam tales autem describuntur ii qui gemunt et dolent de aliorum iniquitate, qui intime persentiscunt quam indigna sit res in theocratia, in urbe sancta tot committi scelera et impietatem tanta grassari licentia. Sunt itaque ii quorum pietas vera ac solida comprobatur eo quod Dei honor et causa iis cordi est et qui de ruina civium animos gerunt sollicitos. Hi nempe sunt lugentes in Sion quibus salutem annuntiat Isaias (61,3) quos in Dei familia servari Sophonias quoque praedixerat (3,18 hebr.). Illis parcetur qui sensus psalmistae in se exprimunt : exitus aquarum deduxerunt oculi mei quia non custodierunt legem tuam (Ps. 118,136. 139). Ea iussione simul edocemur etiam de illa temporum conditione quam adeo perditam et corruptam vates descripserat valere simile ei quod olim Deus Eliae conquerenti dixerat : reliqui mihi septem millia virorum qui non curvaverunt genua ante Baal (3 Reg. 19,18; cf. Rom. 11,4). Neque minus elucet quam acceptus gratusque Deo sit sanctus ille animi pii dolor de tot iniuriis Deo illatis et de impietate qua ipsi illi inquinantur qui a Deo in lumen suum admirabile vocati sunt.

Vir ille habitu sacerdotali indutus *thau* frontibus piorum imprimere iubetur. Generatim quidem תָּו *signum* dicit, uti habes similem vocis notionem Iob 31,35 hebr. et uti LXX σημεῖον et *Syrus* nostro loco vertunt atque eadem ratione etiam chaldaicum תְּוָא explicant (cf. *Levy*, Chald. Woerterb. II p. 531). *Aq.* et *Theod.* retinuerunt θαῦ. Atque in ea littera praeterea peculiare aliquid notari interpretes fere omnes advertunt. Iam *Origenes* a se Iudaeos esse interrogatos refert, num paterna traditione documentum aliquod de ea littera afferre possent; cui unus quidem respondit ea littera utpote ultima significari perfectionem — ergo תָּם; — alius litteram esse symbolum *legis* observatae, cum lex תּוֹרָה ab eo elemento inchoetur; tertius vero qui Christo nomen dederat « aiebat vetera elementa sic litteram exhibere ut figuram crucis referat esseque vaticinium illius signi quod apud Christianos in fronte effingitur quodque fideles omnes faciunt quidquid operis aggrediantur ac maxime vel precum vel sacrarum lectionum initio ». Similia *S. Hier.* refert. Quibus alii addunt, denotari תחיה *vives;* sed longe plerique mysterium crucis tamquam signi salutis innui censent. Atque revera antiqua litterae forma apud Phoenices, priscos Hebraeos, etiam apud Aethiopes, Graecos, Romanos et aliquo modo quoque apud

Aramaeos et Samaritanos crucem vel etiam crucem decussatam exhibet. Quare redemptione per crucem facta, cum crux iam sit signum Salvatoris atque cuncta forma crucis consecrari soleant, merito inferimus Deum suorum sibi consiliorum ab aeterno conscium hoc signum consulto selegisse quo *salvandi* signentur, sicut altissimo mysterio postes Israelitarum in Aegypto sanguine agni paschalis lini iussit, ut illo sanguine viso angelus exterminator transiret (Ex. 12,13). Simili modo in Apoc. 7,3 et 14,1 servi Dei signantur. Quam apposite crucis signum eligatur, inde quoque coniicere licet quia prior haec destructio urbis et templi combustio considerari potest tamquam praesagium et typus excidii et reprobationis alterius sub Tito, a quo totius gentis naufragio solum salvabantur qui crucis signo muniti erant reliquis vel occisis vel in gentes dispersis. Vel ad rem nostram illud S. Pauli documentum applica veterem legem institutionemque esse umbram, corpus autem Christi (Col. 2,17); cuius iam rei umbra erit signum illud crucis frontibus impressum eorum qui non solum malis non consenserunt operibus sed etiam aliena planxerunt peccata (*S. Hier.*) ideoque in die furoris Domini ab interitu eximentur?

Sex vero illis ultoribus praecipitur v. 5 « *et illis dixit audiente me : transite per civitatem sequentes eum et percutite; non parcat oculus vester neque misereamini!* v. 6 *senem, adolescentulum et virginem, parvulum et mulieres interficite usque ad internecionem; omnem autem super quem videritis thau ne occidatis et a sanctuario meo incipite! Coeperunt ergo a viris senioribus qui erant ante faciem domus* »; — iudicium sine misericordia describitur. Sacerdotes qui primi erant in crimine 8,16, etiam primi erunt in poena; quare etiam profano nomine appellantur *viri senes,* utpote dignitate sua theocratica iam spoliati et quibus ipse locus sacer iam non est refugio. Et quomodo Deus sanctuarium suum profanationi traditurus sit, caedibus illis in ipso templo mandatis declaratur; nam *ante faciem domus* idem est quod 8,16 legitur. Ergo iudicium incipit a domo Dei (cf. 1 Petr. 4,17), quo quis enim Deo propior est, eo maiore poena dignus habebitur, si contempto Deo ad iniquitatem deflexerit. Hac visione simul falsum illud subruitur fiduciae fulcrum quod in templo collocare solebant; vide ad Ier. 7,4; idque gravissime fit verbis sequentibus, quibus ut templum sanguine et caedibus profanent admonentur. Et cum iam coeperint viros illos trucidare, hac repetita admonitione bene depingitur quanta sit Dei indignatio v. 7 « *et dixit ad eos : contaminate domum et implete atria interfectis! egredimini! et egressi sunt et percutiebant eos qui erant in civitate* »; — « iam domum meam non reputo sacram quam tot idolorum sordibus polluerunt; contaminatam idolorum spurcitiis

contaminate cruore et cadaveribus » (*Prad.*); cadaveris enim attactu et homines et utensilia et domus polluuntur; cf. Num. 19,14-22.

Hac visione caedis ac cladis vates perterrefactus Dei misericordiam implorat eumque foederis et promissionum admonet precatus, ne reliquiae Israel deleantur v. 8 « *et caede completa remansi ego ruique super faciem meam et clamans aio : heu, heu, heu, Domine Deus! ergone disperdes omnes reliquias Israel effundens furorem tuum super Ierusalem* »? — cum in templo non adessent nisi idololatrae (8,7-17) et ii omnes essent occisi v. 6, unus iam adstat in visione vates inter scelestorum cadavera. Quantopere eo spectaculo propheta commotus fuerit, hoc versu describitur, atque profecto si prophetae extraneis gentibus interitum annuntiantes commiseratione commoti sunt (cf. Is. 15,5; 16,9. Ier. 48,31. 32 etc.), multo magis de suae gentis miseriis dolore affici decuit. Unde vates Dominum interpellat ex eo quaerens num ipsas reliquias Israel quas semper se servaturum spopondisset e medio tollere in animo sit; ea scil. admonitione a Domino efficaciter efflagitat, ut iudicium temperet miseratione; ita vates praeclare fungitur munere suo, ut scil. opponat murum pro domo Israel et stet in proelio in die Domini (13,5). Hic est verus amor populi et patriae et illa indoles quam in mediatore inter Deum et hominem requirit apostolus, ut scil. possit condolere (Hebr. 5,2).

« Videns Dominus prophetam suum flere pro populo et admirari indignationis magnitudinem, reddit causas meritae iustaeque sententiae » (*S. Hier.*) v. 9 « *et dixit ad me : iniquitas domus Israel et Iuda magna est nimis valde et repleta est terra sanguinibus et civitas repleta est aversione; dixerunt enim : dereliquit Dominus terram et Dominus non videt;* v. 10 *igitur et meus non parcet oculus neque miserebor; viam eorum super caput eorum reddam* »! — fore reliquias Israel et apud alios prophetas (Is. 6,13; 10,21 etc.) iam promissum erat et ipsi Ezechieli quoque patefactum 5,3. 4; quare eo omisso id Deus effert quod vatem popularibus annuntiare maxime vult, iniquitatem quae iam omnem excedat mensuram et oppressionem iuris atque iustitiae (hebr.) severissimis poenis esse ulciscendam; quem in finem quid blaspheme apud se statuerint repetitur; vide ad 8,12. Quare *vias* i. e. agendi sentiendique modos iis iusta retributione rependet, ut auctores malorum poenis illis coerceantur quae iusto iudicio malis eorum studiis pro divina iustitia debentur.

Dum vates Deum interpellat divinumque accipit responsum, angeli mandatum exsecuti sunt v. 11 « *et ecce vir qui erat indutus lineis qui habebat atramentarium in dorso suo respondit verbum dicens : feci sicut praecepisti mihi* »; — hebr. *cuius atramentarium erat ad lumbos*

eius. Ita iudicium in populum exercendum vati in visione est ostensum. Alterum in urbem et templum sequitur.

c) **Iudicium in urbem et templum adumbratur 10, 1-22.**

Gloria Domini quae in limine domus i. e. templi consistens mandatum exterminii dederat 9,3, mandato angelis communicato ad thronum suum reverterat; ibique consistens nuntium de re exsecutioni mandata recipit; id indicatur, dum propheta Dominum in solio suo residentem denuo describit v. 1 « *Et vidi et ecce in firmamento quod erat super caput cherubim quasi lapis sapphirus, quasi species similitudinis solii apparuit super ea* »; — vide ad 1,26; Dei apparitio eodem modo describitur quo antea; eam autem vocibus humanis non posse describi nisi imperfecte valde et inadaequate, repetitis verbis *quasi* satis indicatur. Si iam talis est sensibilis Dei apparitio quae symbolis humanis menti vel sensibus vatis offertur, quid erit ipsa Dei uti est in se visio et aspectus? Unde eo loquendi modo propheta nobis praeclaram de Dei maiestate ineffabili notionem ingerit. Ita horrorem iudicii ostensa Dei maiestate excelsa suaviter temperat et qualis sit remunerator bonorum illa sublimitate patefacit. Quare versum in contextum quadrare non una solum ratione constat et perperam cum cui LXX quoque testimonium ferunt a *C*. eiici manifestum redditur.

Deus in throno considens sententiam fert in urbem apostatam v. 2 « *et dixit ad virum qui indutus erat lineis et ait : ingredere in medio rotarum quae sunt subtus cherubim et imple manum tuam prunis ignis quae sunt inter cherubim et effunde super civitatem! ingressusque est in conspectu meo* »; — iubetur ingredi inter rotas subter cherubim et implere volas carbonibus de medio cherubim (hebr.) illosque in urbem spargere et effundere. Ea repraesentatione urbis excidium ex altissimis causis repetitur. Habuit scil. urbs intra se commorantem in templo gloriam Dei; verum cum haec gloriae Dei manifestatio contemptui haberetur ab incolis, thronus gloriae fit sedes iudicis et splendor ille quo divina maiestas cingitur subministrat ignem ad urbis exustionem; Deus enim sicut lucem inhabitat inaccessam, ita ignis est consumens. Deum in templo sese manifestantem spreverunt, quare ipsa illa manifestatio iis cedet in ruinam. Deus enim qui in se est immutabilis pro hominum conditione mutata ex iisdem quae largitus est beneficiis vindictam exercet; est splendor et ignis; iam quod unusquisque ab eo sit percepturus, utrum illustrationem gloriae vel combustionem, ab accedente eiusque ad Deum habitudine dependet. Actione illa qua carbones ex igne divino deprompti in urbis combustionem

adhibentur quam optime significatur quomodo Iudaei divina beneficia sibi in maledictionem et causam ruinae converterint. Inde quoque ratio peti potest, cur ille qui habitu sacerdotali est indutus ignem accipere et in urbem effundere iubeatur. Sacerdotium enim populo datum erat, ut reconciliatio cum Deo efficeretur. Unde hoc quoque beneficium illorum culpa illis cedit in ruinam. Ille autem sacerdos, uti piis erat in salvationem 9,4, ita impiis est in ruinam, eius utique gerens figuram qui verus sacerdos futurus erat pariter in ruinam et resurrectionem multorum in Israel.

Iam ex eo quod virum videt ingredi inter rotas ad ignem capiendum (cf. 1,4) ipsam gloriae apparitionem accuratius depingit v. 3 « *cherubim autem stabant a dextris domus cum ingrederetur vir et nubes implevit atrium interius* »; — *a dextris* i. e. stabant in parte meridionali a sanctuario; unde gloria Dei iam cernitur in eo esse, ut templum relinquat, cum e sancto sanctorum iam excesserit. Nubes quae implet locum manifestationis gloriae Domini ad apparitionis maiestatem et ad reverentiam incutiendam pertinet. Qui modus rem exhibendi plane adaptatus est ad pentateuchum; vide Ex. 16,10; 19,9. 16; 24,18; 33,9; 34,5; 40,32. Lev. 16,2. 13. Num. 9,15 seq. 11,25; 12,5 etc.; idem pariter cernebatur in dedicatione templi 3 Reg. 8,10-12 et in visione quae Isaiae obtigit 6,4. Cum gloria Domini accederet ad limen domus, ipsum quoque sanctuarium pariter cum atrio sublimem gloriae manifestationem prae se tulit v. 4 « *et elevata est gloria Domini desuper cherub ad limen domus, et repleta est domus nube et atrium repletum est splendore gloriae Domini* »; — cf. 9,3; denuo gloria Domini relinquit cherubim et sese confert ad limen; cherubim autem alis concrepant sententiae iudicis iustissimae applaudentes, sicut antea 3,12 electioni prophetae suum significarunt applausum v. 5 « *et sonitus alarum cherubim audiebatur usque ad atrium exterius quasi vox Dei omnipotentis loquentis* »; — similiter in Ps. 28,9, dum Dei maiestas in terra manifestatur v. 3-9, filii Dei, angeli, in templo coelesti ei dicunt gloriam.

Iam specie gloriae Dei descripta redit vates ad id persequendum quod in v. 2 inceptum est v. 6 « *cumque praecepisset viro qui indutus erat lineis dicens : sume ignem de medio rotarum quae sunt inter cherubim, ingressus ille stetit iuxta rotam,* v. 7 *et extendit cherub manum de medio cherubim ad ignem qui erat inter cherubim et sumpsit et dedit in manus eius qui indutus erat lineis; qui accipiens egressus est* »; — hebr. *sume ignem de medio rotarum, de medio cherubim.* Ipsi quoque cherubim qui ad propitiatorium collocati potius gratiae administri esse censentur ad sententiae iudicis exsecutionem ignem

suppeditant; ita quaecumque Iudaeis in gratiam erant concessa, iam eorum malitia in interitum vertuntur. Et cherubim hoc loco munere fungi videntur haud absimili illi quo hominem lapsum a reditu in paradisum arcebant, ministri scil. iustae ultionis Dei. Cum manus cherub mentio facta sit, additur quomodo ea vati in visione sit conspecta v. 8 « *et apparuit in cherubim similitudo manus hominis subtus pennas eorum* »; — vide 1, 8. Monet *S. Hier.* ut attendatur, in firmamento et in throno et in manu hominis non veritatem, sed similitudinem dici; neque enim facie ad faciem cerni gloriam Dei, verum solum in similitudine et imagine.

Ceterum tota haec iudicii descriptio 9,1-10,8 digna est quae bene perpendatur. Ex ea enim utilissimum colligitur documentum quo discamus qua ratione de prophetica alicuius rei descriptione iudicium sit ferendum. Hoc enim loco eventus ille, qui in libris historicis nobis refertur prout gestus est, eo modo exhibetur quo in visione prophetica symbolice repraesentatur. Unde facile est inter utramque eiusdem rei exhibitionem instituere comparationem et quid adsit discriminis et quid propheticae descriptioni sit peculiare pervidere. In narratione historica 4 Reg. 25,1 seq. 2 Par. 36,12 seq. Ier. 39,1 seq. 52,1 Sedecias rex sua rebellione et defectione efficit, ut Nabuchodonosor urbem obsidione cingat, quae obsidio per longius tempus durat; Aegyptiorum exercitus opem ferre frustra tentat; demum fame in urbe iam praevalente Chaldaei victores moenia perrumpunt urbemque expugnant. Rex et principes noctu fugiunt, at capiuntur, milites comites diffugiunt. Sedecias adducitur ad regem Chaldaeorum, videt filios suos occidi; ipsi oculi effodiuntur et onustus catenis Babylonem adducitur. Post mensem venit Nabuzardan « et succendit domum Domini et domum regis et domos Ierusalem omnemque domum combussit igni et muros Ierusalem in circuitu destruxit » (4 Reg. 25, 9. 10); varia occasione et tempore per Nabuchodonosor abducti sunt Babylonem captivi quattuor millia sexcenti (Ier. 52,30), pauperes relicti sunt in terra iisque agri et vineae sunt attributa. Multi ex principibus et militibus in regiones vicinas diffugerant urbe capta. Talis est rei eventus in s. libris narratus, talis ultima urbis catastrophe. Quae autem humano modo fiunt, ex norma divina et altissimis causis repraesentantur in visione. Angeli apparent exsecutores iudicii per quos idololatrae trucidantur; ignis quo urbs comburitur de medio cherubim ex ipsa gloriae Dei manifestatione depromitur. Dum pii signaculo impresso eripiuntur interitui, impii occiduntur. Vita igitur pietati, sceleri mors attribuitur. Sed quis dixerit in obsidione urbis eiusque expugnatione vel omnes impios occubuisse vel neminem pium esse interemptum? Ergo de vita et morte

in alio rerum ordine cogitandum erit. In ipso eventu vates Deum rei effectorem non solum primarium, sed unicum effert qui igne divino per angelum urbem comburit; causas secundas humanas legimus in narratione. Quam diverso modo igitur unus idemque eventus repraesentatus cernitur apud vatem et apud sacrum narratorem! Ille rem quasi e coelo spectat, non ordinem respicit temporis neque loci dispositionem exquirit, sed nexum causarum qui divinitus adest unice considerat; hic rem effert prout in terra agitur et conspicitur, temporis intervalla et seriem rerum distinguit, suo quaeque loco adscribit et quibus causis humanis eventus sit adductus narrat. Unde tali comparatione instituta disce quomodo visiones et symbola prophetica sint interpretanda.

Mens prophetae denuo defigitur in contemplationem apparitionis cherubim, et antequam gloriam Domini describat recedentem a templo et urbe, denuo modum nobis exhibet quo illam aspexit. Pleraque cum cap. 1 consonant. Unde symbolica haec Dei apparitio non ad unam prophetae vocationem pertinet, sed, ut supra monui, latius est explicanda. Hoc loco cum de egressu gloriae Dei mox narratio instituatur, ipse motus currus gloriae accuratius delineatur v. 9 « *et vidi et ecce quattuor rotae iuxta cherubim, rota una iuxta cherub unum et rota alia iuxta cherub unum; species autem rotarum erat quasi visio lapidis chrysolithi* »; — vide ad 1,16; v. 10 « *et aspectus earum similitudo una quattuor, quasi sit rota in medio rotae* »; — i. e. quattuor rotis una eademque inerat forma. Etiam in motu summa cernebatur consensio v. 11 « *cumque ambularent, in quattuor partes gradiebantur et non revertebantur ambulantes, sed ad locum, ad quem ire declinabat quae prima erat, sequebantur et ceterae nec convertebantur* »; — i. e. sine ulla sui conversione in quamlibet partem cursum dirigere poterant et rotae anterioris motum et viam reliquae eadem ratione sequebantur. Dein accuratius quam supra cherubim describuntur v. 12 « *et omne corpus earum et colla et manus et pennae et circuli plena erant oculis in circuitu quattuor rotarum* »; — sententiam hanc *S. Hier.* ad rotas refert: « rotae autem istae non solum carnes habent vel corpus aut membra, sed et colla et manus et pennas, ut efficientias rerum in singulis, non membrorum imagines sentiamus; circulos autem rotarum cantos ferreos appellavit, quibus lignorum rotunditas arctatur et stringitur ». Verum pauci eam sequuntur explicationem (*Vat. Sa, Tir.*), quae sane dura est, dum eiusmodi membra rotis adscribuntur; quare plerique de cherubim haec dici malunt (*Prad. Mald. Mar. Malv. Lap. Men. Calm. Loch, Troch.*) idque textu hebr. omnino exigitur, quia in altero membro legitur *et rotae plenae oculis in circuitu;* unde in

priore membro non de rotis est sermo. Ceterum *oculos* intellige sicut ad 1,18 dictum est. Etiam textus graecus de cherubim intelligendus est, uti *Theod.* intellexit. Aliqui mirantur quod subito de cherubim mentio inferatur et versum censent expungendum (*Hitz. Sm.*); at ex v. 9 non subito sermonem fieri neque inexspectato dici potest; dein cum cherubim in visione adeo emineant, facile concipitur etiam descriptionem ad eos deflecti, sicuti habes a v. 14 et deinceps.

Dum speciem oblatam eo modo contemplatur audit rotis acclamari, ut moveantur : *et rotis acclamatum est* הַגַּלְגַּל *audiente me* i. e. ut *Theod.* bene explicat : imperatum fuit ipsis ut volverentur et commoverentur (sim. *Vat. Sa, Mar. Troch. Keil*); voce enim res volubilis vel etiam turbo significatur. Eodem modo accipe versionem *vulg.* v. 13 « *et rotas istas vocavit volubiles audiente me* »; — i. e. vocat nomen, ut re ipsa nomen sibi convenire ostendant vel ut nomen re exprimant. Motus ille narratur v. 15 et seq.; interseritur descriptio cherubim v. 14 « *quattuor autem facies habebat unum : facies una facies cherub, et facies secunda facies hominis, et in tertio facies leonis et in quarto facies aquilae* »; — hebr. *et tertia facies leonis et quarta facies aquilae;* versum hunc apud LXX non legi sed de hebraico additum esse iam *S. Hier.* notat. Neque caret difficultate : *facies primi facies cherub* (hebr.); verum nonne omnes quattuor ad cherub pertinent et facies sunt cherub? omittitur facies bovis. Quare mendum adesse omnino videtur. Quod enim alii explicant figuram bovinam maxime eminuisse in cherubim ideoque eam formam simpliciter cherub vocari, subtilius dicitur; neque הַכְּרוּב commode referri potest ad v. 7, ut scil. vates dicat illum qui extenderit manum ad ignem capiendum sibi e regione proxime adstitisse. Dein offensioni est quod dicitur hebr. *facies primi, facies secundi*, cum tamen quattuor unicuique facies fuerint. Quare versum merito tamquam glossam male appictam deleveris. De faciebus vide ad 1,10.

Iam fit quod v. 13 mandatum est v. 15 « *et elevata sunt cherubim; ipsum est animal quod videram iuxta fluvium Chobar;* v. 16 *cumque ambularent cherubim, ibant pariter et rotae iuxta ea, et cum elevarent cherubim alas suas ut exaltarentur de terra, non residebant rotae, sed et ipsae iuxta erant;* v. 17 *stantibus illis stabant et cum elevatis elevabantur; spiritus enim vitae erat in eis* »; — cf. 1,19-21. Vates id quod in visione repetito videt iterata quoque descriptione ob oculos ponit; v. 18 « *et egressa est gloria Domini a limine templi et stetit super cherubim* v. 19 *et elevantia cherubim alas suas exaltata sunt a terra coram me et illis egredientibus rotae quoque subsecutae sunt et stetit in introitu portae domus Domini orientalis et gloria Dei Israel erat*

super ea »; — dum iudicium exerceretur, gloria Domini in limine sanctuarii constitit v. 4; iam magis magisque a sanctuario contaminato recedit sese recipiens ad portam orientalem et in eius introitu consistens, ut scil. antequam templi aedificium plane relinquat, aliud adhuc iudicium exsecutioni mandetur 11,1 seq. Cum sanctum sanctorum ad partem templi occidentalem respiceret, porta orientalis e regione sanctuarii erat; ex 11,1 et 23 autem consequitur intelligendam esse portam atrii exterioris orientalem, qua aditus in totum templi aedificium patebat. Ita « paulatim protectio Dei reliquit Israel; primum fuit in templo, dein stetit in limine templi; rursum ipsa gloria sedit super cherubim et illis statim avolantibus et ad exteriora abeuntibus secutae sunt rotae » (*S. Hier.*). Dum autem gloriam Domini cernit a templo recedentem, denuo monet eandem gloriam a se visam in regione exsilii; qua re efficaciter docet Deum fideliter nihilominus stare foedere inito neque abiicere populum semel electum, sed exsulibus gratiam largiri ac benevolentiam (cf. Ier. 24,5 seq.) v. 20 « *ipsum est animal quod vidi subter Deum Israel iuxta fluvium Chobar et intellexi quia cherubim essent;* v. 21 *quattuor vultus uni et quattuor alae uni et similitudo manus hominis sub alis eorum,* v. 22 *et similitudo vultuum eorum ipsi vultus quos videram iuxta fluvium Chobar et intuitus eorum et impetus singulorum ante faciem suam ingredi* »; — i. e. quod attinet effigiem vel formam facierum, facies erant eaedem quas antea vidit *aspectu et se ipsis* (hebr.) i. e. in apparentia et tota indole vel natura sua eaedem esse cognoscebantur; vide 1,12.

Adesse in hoc capite complures repetitiones ex cap. 1 et aliqua etiam magis accurate delineari vel determinari quam in cap. 1, legenti statim patet. Ita 10,1 fere refertur quod legimus 1,22. 26; 10,8 refertur ad 1,8; 10,9 ad 1,15; 10,10 ad 1,16; 10,11 magis accurate describitur idem quod legitur 1,17 etc. etc. Has igitur repetitiones plane otiose textui esse insertas *C.* censet; glossatorem scil. ex v. 20-22 occasionem arripuisse inserendi accuratam cherubim etc. descriptionem. Quare illos versus omnes delet et cap. 10 hisce solum constare vult : v. 2. 3. 4. 6. 7. 18-22. Sed cum versus hi (excepto v. 14) legantur etiam in versione graeca, cum insuper ratio reddi possit repetitionis et cum etiam in nonnullis aliquid novi vel magis determinati addatur ad caput 1, illa critica est magis audax quam solida. Atque de 10,1 ratio facile reddi potest; neque enim versus hic plane otiosus est. Rationem visionis ob oculos haberi oportet. A 9,4 et deinceps mentis acies prophetae tota erat in contemplanda re quae ibi describitur vel potius coram eo fit. Cum 9,11 vir ille rediret nuntians rem imperatam esse opere completam, mentis attentio necessario iterum dirigitur ad eum qui mandatum dedit et qui alterum est iniuncturus; haec autem nova scena in *visione et repraesentatione* aliter exprimi nequit quam ut vates mentis acie iterum

conspiciat thronum cui Dominus insidere concipitur et ex quo mandata dat. Quod igitur in statu ordinario et simplici mentis operatione dici potest de cogitatione vel mentis attentione in rem aliquam directa et defixa, id cum agitur de visione refer ad eiusdem rei iteratam apparitionem et exhibitionem mentalem. Praeterea perpende in subsequentibus ea proferri quae figuram cherubim adstare coram oculis prophetae omnino ostendunt. Quid igitur mirum erit, si in v. 1 eam a se formam denuo esse conspectam monet propheta, *visionem* scil. describens? Ex 9,3 si confertur cum 10,1. 4, etiam colligitur gloriam Domini mandato pronuntiato reversam esse ad sedem suam super cherubim ibique nuntium de re confecta accepisse et alterum dedisse mandatum (10,1. 2) et tum iterum ad limen domus revertisse.

Immerito quoque *C.* in v. 5 contradictionem adesse censet cum 1,24; nam quod ibi dicitur : cumque starent demittebantur pennae eorum, nullo modo ita in universum intelligi debet, quasi cherubini stantes nunquam potuissent vel debuissent sonitum edere alarum. Sonitus ille festivus h. l. apte infertur, sive ut gloriae Domini ad limen domus reversio quasi pompa quadam celebretur, sive ut angeli mandato divino applaudere concipiantur, sive ut utrumque exprimatur. Neque ineptum est dici sonitum auditum esse usque ad atrium exterius; ex hoc loquendi modo conclude vatem nunc ibi constitisse et ex eo loco singula et vidisse et audivisse. Cum de visione agatur, ne dixeris id fieri non potuisse. Quid porro incredibile in eo cernitur, quod propheta, cum v. 4 atrium interius splendore gloriae Domini repleretur, sese in atrium exterius prae reverentia vel prae nimio fulgore receperit? Igitur plane arbitrarium est versum qui etiam apud LXX legitur eliminare. Ex ratione visionis etiam declarantur repetitiones illae a v. 9 obviae; insuper vates efferre vult eandem visionem quam antea sibi fuisse oblatam; quid autem hoc sibi velit, iam supra dictum est. Dein non obliviscendum est aliqua *addi* ad cap. 1; ita in v. 11. 12. Sed praesumendum est glossatorem si censuisset descriptionem ex cap. 1 huc esse inserendam potius cauturum fuisse, ne quid mutaretur. Praeterea totus ille locus v. 9-17 non est mera descriptio, sed v. 13. 15a inseritur narratio qua discessus gloriae Domini praeparatur.

Neque tamen negari potest unam alteramve sententiam posse et debere ab aliqua corruptione purgari et in meliorem redigi formam. Ita quod v. 9 additur אֶבֶן (cf. 1,16), inutile videtur. In v. 12 mendum adesse maxime probabile est; cum enim v. 10. 11 de rotis esset sermo, et pariter v. 13, subito tamen, prout ex corpore (quam vocem LXX non habent) ex dorsis et manibus et pennis patet et a contrario ex rotis explicite nominatis, mentio cherubim ingeritur. Ergo vox cherubim erat exprimenda, quae tamen in nullo textu legitur. Dici in v. 12 : et rotae plenae oculis in circuitu *quattuor illis rotae eorum* sensu caret in hebr.; quare duo illa verba erunt delenda. Perperam demum in textu gr. v. 21 et contra 1,6 *octo* alae unicuique attribuuntur.

c) **Iudicium in duces 11, 1-12.**

Propheta (ab atrio exteriore 10,5) transfertur in eundem locum quo se 10,19 gloria Domini contulerat, ad introitum scil. exteriorem portae orientalis, per quem ex urbe aditus patebat in atrium templi exterius; v. 1 « *Et elevavit me spiritus et introduxit me ad portam domus Domini orientalem quae respicit ad solis ortum; et ecce in introitu portae viginti quinque viri, et vidi in medio eorum Iezoniam filium Azur et Pheltiam filium Banaiae, principes populi* »; — de spiritu vide 3,12; 8,3. In visione non est expetendus ordo temporis, sed quae cap. 10 communi quodam emblemate et symbolo proposita sunt, iam speciali quadam ratione illustrantur vel ex imagine universali antea exhibita unum alterumve particulare decerpitur quod specialiori modo adumbretur. Cum illi duo principes populi vocentur, reliqui quoque duces ac magnates censentur. Non esse eosdem de quibus 8,16 iam ex loci diversitate patet. Cur 25 vel ex graeco *quasi, circiter* 25 dicantur, non plane liquet. *Prad.* ait ex Hebraeorum scriptis accipi urbem Ierusalem fuisse divisam in 24 regiones, quarum unaquaeque ducem habuerit, qui omnes cum eorum praeside ad consulendum eum in locum convenerint (sim. *Lap. Men. Tir.*); in cubiculis enim ad introitum portarum eiusmodi comitia habita esse etiam ex Ier. 26,10 consequitur. Sed valde dubium est num illa rabbinorum opinio non sit merum commentum, ex hoc loco enatum. Unde alii rem et numerum ex 1 Par. 27 explicare conantes principes intelligunt duodecim tribuum et duodecim magistratus vel praesides regios simul cum rege (*Keil*), dum alii numero certo illo duces populi generatim comprehendi malunt (*Loch, Troch.*). De Iezonia et Pheltia nobis nihil innotuit; exsulibus ad quos vaticinia diriguntur sane noti erant tamquam praecipui fautores et suasores eorum consiliorum, quae divinitus improbabantur.

Id quippe liquet ex v. 2 « *dixitque ad me : fili hominis, hi sunt viri qui cogitant iniquitatem et tractant consilium pessimum in urbe ista* v. 3 *dicentes : nonne dudum aedificatae sunt domus? haec est lebes, nos autem carnes* »! — ex v. 7 et ex iis quae apud Ieremiam legimus, principes verbis propheticis de urbis ruina nullam adhibentes fidem sibi in urbe securitatem promittunt. Huic optime congruus est modus quo prior sententia v. 3 in *vulg.* et apud LXX legitur : οὐχὶ προσφάτως ᾠκοδόμηνται αἱ οἰκίαι; et sim. *Syrus*. Dicunt ergo : damna prioribus expeditionibus Chaldaeorum sub Iechonia v. g. illata (4 Reg. 24,11) iam dudum reparata sunt; « non est quod nobis timeamus a Babylonio, firmissimis et recens structis muniti praesidiis » (*Prad.* sim. *Sa, Tir.*

Loch), a qua sententia non longe abest aliorum explicatio : nonne domus iam dudum aedificatae manent, quamquam prophetae urbem evertendam praedixerunt (cf. *Mald. Pint. Calm. Troch.*). Eandem securitatem et fiduciam locutione proverbiali prae se ferunt, qua cum irrisione ad effatum Ieremiae 1,13 alludi videtur; nihil nocebit, si olla illa fervens in urbem effunditur; urbs est lebes, nos carnes in eius medio; iis igne et coctione nihil infertur damni, carnes in lebete servantur usque ad decoctionem tutae a concrematione, neque inde extrahuntur, donec satis coctae sunt; « ita et nos non abducemur ex urbe in captivitatem, donec confecto naturali vitae cursu moriamur » (*Mald. Pint. Lap.* et sim. iam *Theod.*). Lebes enim tuetur et contegit carnes atque ex materia solidissima conflatur, quare merito usurpari poterat in signum munitionis urbis firmissimae, ita ut ea metaphora ad amussim respondeat verbis antecedentibus (*Prad.*). Talis autem fiducia, praesumptio, obstinatio est consilium illud pessimum in v. 2; Deus enim per Ieremiam continuo colla eos subdere iubet iugo Chaldaeorum (Ier. 21,8 seq. 25,9; 27,6-16; 28,14 etc.).

Secundum textum graecum et *vulg.* etiam textum hebr. emendandum esse rite censet *C.*; textus *mas.* v. 3 ad verbum fert: *non in propinquo aedificare domus*; quae verba in contextum non conveniunt. *Keil* quidem cum aliis vult illis alludi ad Ier. 29,5 et ad consilium quod Ieremias dederit exsulibus aedificandi domos; sed mirum esset, si principum hierosolymitanorum cura praecipua et maxime perniciosa esset in eo collocanda, ut in urbe dicerent non adesse tempus neque necessitatem domos aedificandi in regione babylonica; immo ex v. 15 videntur omnino aequo animo ferre, vel potius exoptare ut sibi solis terra palaestinensis relinquatur, ceteri autem alienam incolant terram. Quid verbis istis *debeat* exprimi, bene senserunt rabbini, quamvis eorum interpretatio admitti nequeat; sententiam enim in has distinguunt duas : *non prope est* urbis eversio, *aedificare domos* i. e. potius domos aedificate (cf. *Vat. Mald. Pagninus, Pint. Mar. Lap. Men.*, *Plumptre* idem censet); sed inf. בְּנוֹת, ut alia taceam, non potest vices supplere imperativi; esset בָּנֹה inf. absol. scribendum. Aliter *Houbig.* censet esse emendandum : non proxime eveniet nobis domos fore ollas accensas, nos vero carnes. Sed textum restitui oportet secundum testes antiquos quibus sensus aptissimus funditur.

Verum eius temeritatis poenas dabunt v. 4 « *idcirco vaticinare de eis, vaticinare, fili hominis!* v. 5 *et irruit in me spiritus Domini et dixit ad me : loquere : haec dicit Dominus : sic locuti estis domus Israel et cogitationes cordis vestri ego novi;* v. 6 *plurimos occidistis in urbe hac et implestis vias eius interfectis!* v. 7 *propterea haec dicit Dominus Deus : interfecti vestri quos posuistis in medio eius, hi sunt car-*

nes et haec est lebes; et educam vos de medio eius »! — nota, quomodo in ipsa visione prophetans de spiritu Domini quo inspiratus loquitur mentionem ingerat. Deus tamquam iudex primum statuit se nosse iniquitatem Israel verbis et cogitationibus patratam. Unum genus commemorat instar omnium, caedes iniustas, de quibus multum prophetae magistratus populi accusant (cf. Is. 1,15; 59,3. Ier. 2,30. Mich. 3,3. 10 etc.). Acerba ironia iis reddit proverbium, sed alia prorsus explanatione addita : ii soli quos iam occidistis manebunt in urbe, quiescent securi in sepulcris; vos vero extrahemini ab hoc vestro quod putatis munimento et receptaculo! Ita responsio fit ad illam v. 3 iactantiam. Minus convenit quod quibusdam placet : vos lebetem fecistis urbem cadaveribus eam complentes; idcirco trademini hostibus (*Theod. Prad. Malv.*); merito plerique priorem explanationem amplectuntur. Minime igitur eos tuto conditum iri in urbe dicit, sed eductum ex illo quasi latibulo et refugio et traditum gladio hostili, quem se abhorrere illa ipsa temeritate significaverunt v. 8 « *gladium metuistis et gladium inducam super vos, ait Dominus Deus,* v. 9 *et eiiciam vos de medio eius daboque vos in manu hostium et faciam in vobis iudicia,* v. 10 *gladio cadetis, in finibus Israel iudicabo vos et scietis quia ego Dominus* »! — caedes admiserunt, suo igitur sanguine sanguinem innocentem compensabunt. Ita Dominus summus iustitiae vindex suo iudicio ordinem iuris laesum restituet. Cadent, iudicabuntur in finibus Israel; atque revera legimus Ier. 39,6 in Reblatha quae est in terra Emath omnes nobiles Iuda occisos esse a rege Babylonis urbe Ierusalem expugnata (cf. Ier. 52,27. 4 Reg. 25,21; *Pint. Prad. Mald. Sa, Mar. Lap. Malv. Men. Tir. Calm. Loch, Troch.*). Tunc experientia discent et cognoscent Dominum esse *Iahve* qui scil. quae dixit opere complet, foederis sui ultor et impietatis vindex.

Et quam perperam putent urbe se tutos reddi, denuo inculcat v. 11 *haec non erit vobis in lebetem et vos non eritis in medio eius in carnes; in finibus Israel iudicabo vos,* v. 12 *et scietis quia ego Dominus, quia in praeceptis meis non ambulastis et iudicia mea non fecistis, sed iuxta iudicia gentium quae in circuitu vestro sunt estis operati* »; — vide v. 3; primo eiicientur ex hereditate Domini, ut ipsa hac expulsione foedus esse violatum omnibus palam fiat; neque hac poena Deus sibi satisfactum putat; etiam inter gentes eos prosequetur. Ad v. 12 vide 5,7; statuta Dei et iura spreverunt, sed gentium i. e. idololatriae varii generis statuta et placita sedulo amplexabantur. Quare qui se gentibus consociarunt, in terra gentilium iuremerito debitas poenas exsolvent.

d) **Vatem moerentem Deus solatur 11, 13-25.**

Vaticinio edito statim subditur confirmatio. Principes scil. illos qui pessima volvunt consilia iri interfectum uno quasi symbolo vati ostenditur v. 13 « *Et factum est cum prophetarem, Pheltias filius Banaiae mortuus est; et cecidi in faciem meam clamans voce magna et dixi : heu, heu, heu, Domine Deus, consummationem tu facis reliquiarum Israel* »? — mortem unius symbolum esse et pignus interitus reliquorum et ita eam conceptam esse a vate, eius verbis ostenditur quibus magno animi affectu et pectore dolore oppleto Dominum interpellat conquerens quod Israel penitus delere velle videatur, contra promissa toties data antea et ipsi quoque Ieremiae saepius repetita (Ier. 4,27; 5,18; 30,11) et vide supra 9,8. Monet *Theod.* vatem prae animi moerore oblitum esse multos accepisse incolumitatis signa. Verbis prophetae quosdam codices latinos addere interrogandi signum, alios secus; hebraice et graece simpliciter enuntiari advertit *Prad.* qui bene subdit : « ceterum idem sensus ex utraque pronuntiatione colligitur ». Estne Pheltias eo tempore quo Ezechiel hanc visionem habuit in regione babylonica, revera mortuus in Ierusalem? id aliqui affirmant (*Pint. Calm. Sm.*); sed ratione visionis minime exigitur; haec enim cum *Prad.* ita concipi potest : « cum per visum Deum mihi loquentem audirem eiusque verba principibus Iuda repetere mihi viderer, unum ex eis mortuum esse videre mihi visus sum », et si alii dicunt eum esse occisum per sex illos viros quos Deus percutere iusserit 9,5 (*Lap. Tir.*), eo ipso rem non esse peractam in urbe ostendunt, cum caedes illae atque urbis combustio ad tempus visionis minime referri possint. Quare sufficit in illa morte cernere sigillum prophetiae (*Malv.*) et praedictionem certam fore ut princeps ille poenam mortis subeat in tumultu chaldaico.

Solatur Deus prophetam docens ubinam sint et quae sint reliquiae quas servaturus sit; qui enim in urbe degunt atque Chaldaeis se tradere nolunt eos iri abiectum Deus iam per Ieremiam pronuntiavit (Ier. 24,8) simul promittens se cogniturum transmigrationem Iuda in terra Chaldaeorum in bonum et positurum oculos suos super eos ad placandum (l. c. 5. 6). Idem hoc loco Ezechieli aperitur; unde discat pro quibus sit intercedendum apud Dominum; v. 14 « *et factum est verbum Domini ad me dicens :* v. 15 *fili hominis, fratres tui, fratres tui, viri propinqui tui et omnis domus Israel, universi quibus dixerunt habitatores Ierusalem : longe recedite a Domino, nobis data est terra in possessionem* »! — i. e. non cives Ierusalem sunt reliquiae illae, sed fratres

tui, fratres tui, inquam, qui tecum in Babyloniam descenderunt; hi simul sunt viri, pro quibus munere propinqui tu fungi debes i. e. munere advocati, intercessoris et quasi redemptoris. Vocabatur enim *goel* proximus ille consanguineus, cui ius competebat redimendi id quod cognatus pauperie pressus vendiderat (Lev. 25,25) et cui etiam officium incumbebat iura cognati tueri et vindicare (cf. Num. 35,19. Deut. 19, 12. Ios. 20,3). Ceterum vide de *goel* quae notata sunt ad Iob 19,25. Is. 41,14. Ier. 32,7 et ad Ruth 3,7. 12. Cum igitur ex officio goel optimus exoriatur sensus ad studium vatis pro suis excitandum, vox hebr. גְּאֻלָּה (cf. Lev. 25,24. 26. Ier. 32,7. Ruth 4,6) est retinenda, neque opus est cum LXX, *Syro* et aliquibus recentioribus (*Houbig. Sm. C.*) eam mutare in גּוֹלָה, ut viri transmigrationis, exsules designentur. Mentio fit *omnis domus Israel,* quia Deus, foederis fidelissimus sponsor, neminem a salute oblata excludit. Et quam falso iudicent cives hierosolymitani, ultimo membro declaratur : insultant scil. exsulibus quod se dedentes Babylonio Dei hereditate cesserint et sese abdicaverint omni iure filiorum Israel, quo ipsi soli in posterum sint potituri (*Prad.*), « vos scil. Dominus a se procul esse voluit, sed nobis promissionis terram distribuit ! — sed omnia contra fient, inquit, vos neci tradam, illorum autem curam habebo » (*Theod.*). Ita v. 16 « *propterea haec dicit Dominus Deus : quia longe feci eos in gentibus et quia dispersi eos in terris, ero eis in sanctificationem modicam in terris ad quas venerunt* » ; — hebr. כִּי (ante orationem directam) vertere potes : *utique,* procul eos abegi inter gentes et dispersi per terras; at non eos ideo esse abiectos significat, sed vult esse iis pro modico tempore *sanctuarium* in terris alienis. Tale sanctuarium iam inter eos condidit eo quod gloria Domini apparet vati inter eos in terra aliena commoranti. Tempus *modicum* vocat exsilii tempus ratione habita totius periodi theocratiae et possessionis terrae palaestinensis (cf. *Mald. Sa, Mar. Malv. Tir. Troch. Schr. Keil*). Cum ea promissione intime nectitur quod *S. Hier.* explicat, fore scil. ut exsules idololatriae colla non submittant, sed memores sint mandatorum Dei; quare hoc loco iam enuntiatur qualis fructus exsilii sit futurus.

Hebr. מִקְדָּשׁ notione sanctuarii vel templi retineatur oportet; nam ut *Prad.* iam monet, ea notione vates usus est voce 9,6 et eo sensu vox fere in omnibus locis adhibetur; ita speciatim de tabernaculo sacro Ex. 25,8. Lev. 12,4; 21, 12. Num. 10,21; 18,1; de templo 1 Par. 22,19. 2 Par. 29,21. Is. 60,13 et apud Ezechielem haud raro a cap. 44 et deinceps. Quare ea notio adeo communis et frequens hoc quoque loco cum plerisque retinenda est. Aliqui pro nostro loco significationem *asyli* adstruunt (*Ges.* Thes. p. 1199; *Sm.*);

sed notio protectionis vel asyli non est primaria neque praecipua neque voci per se inest, facile tamen et necessario sequitur ex notione sanctuarii in quo Deus, utique non otiosus, habitat. Longius a vero recedit *Hitz.* explicans Dominum ab exsulibus parum esse in veneratione habitum, parum cultu honoratum, quia sacrificia non sint oblata. Sed cultum illum externum Deus non respicit; morum spectat emendationem et hanc prophetae exsilio iri effectum iuremerito sperant. Vox altera מְעַט *modicum* dicit vel de tempore vel de modo et mensura. Unde utra notio sit seligenda, contextu determinari oportet. Temporis autem significatio h. l. iam propterea est praeferenda. quia Deum *promittentem et consolantem* sane non decet dicere se solum exili quadam et exigua ratione et gratia populo adfuturum.

Haec Dei inter exsules praesentia pignus est atque signum instaurationis felicioris atque sanctioris v. 17 « *propterea loquere : haec dicit Dominus Deus : congregabos vos de populis et adunabo de terris in quibus dispersi estis daboque vobis humum Israel* v. 18 *et ingredientur illuc et auferent omnes offensiones cunctasque abominationes eius de illa* »; — en, redibit populus ex dispersione v. 17, sed redibit populus sanctus, moribus emendatis, ita ut abominationes pristinas et quasi vestigia scelerum antiquorum magna cum indignatione removere et eiicere e terra dicantur v. 18. Repetitur magna illa reditus et instaurationis promissio, quam Deus iam per Moysen dedit (Deut. 30,3), quam simul cum exsilii denuntiatione a priscis prophetis declarandam curavit (cf. Os. 2,14; 3,5. Am. 9,9. Is. 40,1. Ier. 3,14 etc.). Iam quaenam futura sit instaurationis indoles sancta et quibus subsidiis efficienda sit, uberius exponitur v. 19 « *et dabo eis cor unum et spiritum novum tribuam in visceribus eorum et auferam cor lapideum de carne eorum et dabo eis cor carneum* »; — Deus est auctor instaurationis quam efficere dicitur spiritu suo in corda eorum effuso, quo quasi nova creatione plane immutentur atque in conditionem statui pristino a contrario oppositam transferantur. Haec est promissionis summa. Ad singula descendamus. Cor dabit *unum;* antea enim divisi erant multipliciter : regnum Israel odio et inimicitiis separabatur a regno Iuda et domo davidica, quod dissidium plurimorum malorum scelerumque causa erat; multi claudicabunt in utramque partem habentes cor divisum inter Deum et idola, inter legem Dei et mores gentilium, inter amorem theocratiae et imitationem aemulationemque pompae regnorum mundi. Hanc divisionem Deus tollet; *dabo,* quis enim alius animos immutare et quasi alios creare posset? Haec vero unitas efficitur eo quod unus spiritus, spiritus Dei, animis omnium infunditur tamquam radix et fons uberrimus novae vitae. Spiritus dicitur *novus,* prout scil. novo foederi, de quo iam Ieremias 31,31 vaticinatus est, consentaneus est;

qua voce simul nova quaedam natura in eis efficienda designatur statusque mentis priore multo perfectior. Et quid Deus spiritus novi communicatione sit in eis effecturus, ultimo membro explicatur. Cor lapideum est secundum *Theod.* cor quod renuit obedire atque est inexorabile neque vult Deo cedere, est secundum *S. Hier.* cor durum secundum illud : dura cervice et incircumcisis cordibus, quale erat cor populi foedifragi. Hanc mentis duritiem et rebellionem Deus aufert et spiritus novi infusione efficit cor carneum i. e. molle, tenerum, pium, quod Deo obediat ac cedat. Proinde ea quae in novo foedere de vera regeneratione ex Spiritu docentur, iam hic praeclaro quodam modo innuuntur et praeparantur; praeterea vide ad Is. 4,4; 44,3; 66,9. Ier. 31,33. Ez. 36,26. Ioel 2,28.

Hac vero immutatione efficietur, ut praeclara illa omnium virtutum forma in lege expressa etiam in vita exprimatur et foederis ratio perfecte adimpleatur v. 20 « *ut in praeceptis meis ambulent et iudicia mea custodiant faciantque ea et sint mihi in populum et ego sim eis in Deum* »; — verba transsumpta sunt ex Ex. 6,7. Lev. 25,18; 26,12. Deut. 4,5. 6; ergo norma in lege proposita, sed quae in vetere foedere in opus minime deducebatur, iam exsecutioni mandabitur. Habes idem quod S. Paulus Rom. 8,3. 4 exponit. Sanctitas igitur quae sit novi foederis et instaurationis nota peculiaris describitur; haec autem fluit ex spiritu novo et cordis immutatione, ergo ex gratia abundantiore. Atque ita ratio foederis, ut sit scil. populus Deo sacer et Deus populi protector, remunerator omniumque bonorum largitor, perfecte habebitur. Verum simul cum hac innovatione iudicium exercetur in reluctantes ac rebelles, eo scil. modo, quo Isaias quoque instaurationis descriptionem haud semel concludit : non est pax impiis (cf. Is. 1,28; 34,2; 48,22; 50,11; 56,9; 57,21; 66,15 etc.) v. 21 « *quorum cor post offendicula et abominationes suas ambulat, horum viam in capite suo ponam, dicit Dominus Deus* »; — cf. 9,10; res autem abominandas et exsecrandas idola dicit (iis enim nominibus haud raro appellantur) et flagitia cum idololatria connexa. Erit igitur Dominus ea quoque periodo in resurrectionem et in ruinam multorum ex Israel.

Uti saepe fit apud prophetas (vide v. g. quae notavi ad Os. 11,11. Soph. 3,20. Zach. 2,4; 10,10. Ier. 3,15; 30,8 etc.), instauratio qua talis describitur et uno quasi conspectu proponitur. Quare si de impletione quaesieris, dicendum erit cum *S. Hier. Prad. Mar. Lap. Tir. Gord.* eiusmodi promissiones ex parte et inchoatione quadam et praeparatione imperfecta spectare ad reduces ex exsilio, a quibus instauratio theocratiae pariter est inchoata, plene vero et perfecte eas pertinere ad regnum messianicum, in quo ipsa theocratiae instauratio modo

absoluto et universali habetur. Instaurationem in reducibus esse coeptam, tum aliis, tum eo patet, quod « post reditum e Babylone aliam mentem induerunt et alios mores, cumque primum fuissent idololatriae ita dediti, ut nullis vel pollicitationibus vel minis aut suppliciis ab idolorum sordibus divelli potuissent, postquam igne Babylonis excocti sunt, tam exosum habuerunt idolorum cultum, ut pro unius Dei religione et lege usque ad sanguinem decertaverint, ut Machabaeórum nos docet historia. Nihilominus tam grandia sunt haec promissa ut non nisi Spiritus sancti effusione in Ecclesiam Christi exhauriri potuerint » (*Prad.*). Quare amplitudine verborum prohibemur, quominus cum *Theod. Calm.* de solo reditu explicemus, sed contextu pariter impedimur, ne cum *Pint. Malv.* immediate ad Ecclesiam Christi transeamus; via quaedam media est tenenda, ita scil. ut instauratio theocratiae uno quodam complexu proponatur.

Itaque Deus vati providentiae suae consilium exposuit, declaravit iudicium et fructus qui enasci debebunt ex iudicio in egregia instaurationis descriptione ei ostendit. Tempora futura pandens de praesenti vel instanti calamitate ac ruina eum consolatus est. Iterum explicata est norma illa : Sion in iudicio redimetur (Is. 1,27). Ea consolatione data iam ultima iudicii pars vati ostenditur : gloria Domini templum et urbem relinquit; ergo templum et urbs ruinae tradentur ad tempus; v. 22 « *et elevaverunt cherubim alas suas et rotae cum eis et gloria Dei Israel erat super ea,* v. 23 *et ascendit gloria Domini de medio civitatis stetitque super montem qui est ad orientem urbis* » ; — antequam gloria Domini templi atrium exterius urbemque relinqueret, editum est edictum gratiae v. 15-19, quo sollemni modo promulgatur Dominum nihilominus gratiam suam et foedus non esse a populo ablaturum. Sed in signum excidii templo urbique ingruentis egreditur gloria Domini in montem Oliveti (*S. Hier. Theod.*), qui est ad orientem urbis et ex quo aspectus in urbem late patet. Eodem loco apud Zachariam 14,4 Dominus consistere cernitur. Ibi gloria Domini residens urbis templique eversionem spectat; exinde demum in templum novum ingreditur 43,3. 4; « stabat gloria Domini super montem Oliveti in signum resurrectionis et luminis, ut inde perituram arsuramque cerneret Ierusalem » (*S. Hier.*). Si consideraveris in Christo Domino revera gloriam Domini nobis apparuisse et inhabitasse inter nos (Ioan. 1,14 ἐσκήνωσεν; cf. *schechina*), mysterio non carere facile tibi persuaseris quod Christus eo in monte sedens interitum eiusdem urbis populique infidelis annuntiat (Matth. 24,3. Marc. 13,3) et quod ex eo quoque monte urbe infideli relicta in coelum ascendit iudicium in eam exerciturus (Luc. 24,50. Act. 1,17). Unde merito ait *Theod.* :

« figura futurorum ea quoque erant quae prophetae ostensa sunt »; similiter *Pint. Prad. Mald. Malv. Lap. Calm. Troch.* aliique. Neque abs re erit commemorare etiam ex rabbinorum opinione fore ut eo in loco Messias plurimum versetur; refert *Lightfoot* ex quodam midrasch : rabbi Ianna dixit : per tres annos et dimidium stetit שכינה divina maiestas in monte Oliveti et praedicavit dicens : quaerite Dominum, dum ille est inveniendo, invocate eum dum prope est (*Lightfooti* opera omnia vol. 2 p. 201; Ultraiecti 1699).

Demum visione finita vates qui erat in ecstasin raptus iterum ad se revertitur v. 24 « *et spiritus levavit me adduxitque in Chaldaeam ad transmigrationem in visione in spiritu Dei et sublata est a me visio quam videram* »; — eodem modo reducitur ad mentis conditionem solitam, quo 8,1 in spiritu abductus fuerat; « mirum in modum sedentibus his qui ad se venerant visitandum, visiones mysticas propheta cernebat et absens erat ab his qui coram se sederant, absque spiritu, praesens corpore » (*S. Hier.*). Conditione eius ecstatica praesentium attentio certe est excitata; quare magna aviditate verba vatis suscepisse merito censebuntur v. 25 « *et locutus sum ad transmigrationem omnia verba Domini quae ostenderat mihi* »; — cf. 3,27: « verba autem in Scripturis sanctis pro rebus dici saepe admonuimus » (*S. Hier.*).

Series tertia 12, 1-19, 14.

Arg. — Iubetur vates actione symbolica futuram Sedeciae regis fugam, captivitatem, effossionem oculorum portendere et populo significationem portenti declarare (12,1-16); altera actione ipsius populi calamitatem et vastationem terrae futuram adumbrat simul docens illam ruinam iam prope adesse (12,17-28). Dein ad horum malorum auctores qui scil. mores populi corrumpunt convertit sermonem; atque primo quidem pseudoprophetas mendaciorum et promissionum arguit vanarum, quibus populum seducant (13,1-16); eiusdemque criminis reas agit quoque mulieres pseudoprophetides, turpi lucro inhiantes; utrisque debitas castigationes denuntiat (13,17-23). Dein seniores Israel idololatriae occulte deditos reprehendit; ei enim crimini Deus maxime est infensus, ut exemplo vindictae alii resipiscant (14,1-11); quare fame, gladio, peste terram idololatrarum puniet nulla intercessione ad poenam mitigandam admissa (14,12-23). Sicuti duces populi, ita populus quoque moribus est corruptus; unde denuo iudicii necessitas colligitur. Quam corruptionem primo illustrat parabola ligni vitis, qua adagium illud declaratur : corruptio optimi pessima (15, 1-8); tum longiore parabola declarat, quomodo virgo Israel e summa

miseria a Deo fuerit erepta, in Domini sponsam electa et praeclaris ornamentis a Deo donata (16,1-14); verum quomodo his sit abusa ad libidines explendas et ad idololatriam (16,15-34); quare merito poenis gravissimis obruetur cum Deum sceleribus suis ad iram provocaverit (16,35-52), qui tamen foederis sui memor sponsam infidelem non plane abiiciet (16,53-63).

Uti idololatriam impuram parabola declaravit, ita simili modo exponit, quomodo in ratione quoque et ordine civili a Dei mandatis recesserint. Colla enim Babyloniis subiicere iussi erant; sed ut Chaldaeorum imperium excuterent, ab Aegyptiis opem flagitabant. Quam rem parabola pariter explicat de duabus aquilis et vite, quae ab una plantata ad alteram sese convertit ideoque destruitur (17,1-10); parabolam dein ipse exponit (17, 11-21); verum in communi ruina domus davidica servabitur ita ut cedro sublimi succisa ramus tener a Domino conservetur, qui in arborem maximam excrescet (17,22-24). Porro ne sibi falso blandiantur se maiorum poenas luere et ea demum sustinere quae fatali necessitate ex sceleribus temporis anteacti et ex iniqua gubernandi ratione consequantur, vates Dei normam explanat qua sua quisque debeat scelera expiare, ita tamen, ut peccatori qui sincere ad Deum redeat venia concedatur, ei autem qui a pristina iustitia defecerit, ruina et interitus ingruat (18,1-32). Demum hanc seriem vates absolvit carmine parabolico et lugubri, quo et duorum regum et populi calamitatem deflet (19,1-14).

a) **Sors regis populique portenditur 12, 1-28.**

Supra cap. 4 vates obsidionem urbis, cap. 5 ruinam et dispersionem actione symbolica, dein verbis (5,5-7,27) declaravit; in visione cap. 8-11 oblata prospicit et excidii causam et ipsius iudicii exsecutionem. Iam quo animi duri vividius percellantur, id quod cap. 5 ratione quadam generali portendit nunc adumbrare iubetur specialius ad particularia descendens. Quare cubatione illa cap. 4 finita qua urbis obsidio et expugnatio repraesentabatur, apte illa adnectuntur quae expugnationem subsequentur. Ex quibus iuremerito primo loco sors regis ponitur. Quare aptissimus adesse cernitur nexus cum antecedentibus. Cur autem sors regis futura non solum verbis, sed actione sit annuntianda, ratio repetitur ex animorum duritie eorum ad quos propheta mittitur v. 1 « *Et factus est sermo Domini ad me dicens :* v. **2** *fili hominis, in medio domus exasperantis tu habitas; qui oculos habent ad videndum et non vident, et aures ad audiendum et non audiunt, quia domus exasperans est* »; — rebelles sunt et contumaces; cf. **2,5.**

6; 3,26 etc.; quare omnia subsidia adhibenda sunt, quibus iis ea fore persuaderi possit quae verbis prophetae credere renuunt. Exsules enim spem quoque fovebant eamque pseudoprophetae promovebant fore ut res iudaicae mox restituantur; vide ad Ier. 29,20 seq. Hanc spem quae sincerae ad Deum conversionis magnum quoddam impedimentum erat, omni modo destruere debet propheta; unde « doce eos per imaginem et picturam et schematibus ostende corporeis, ut venturam captivitatem non solum auditu sed et oculis recognoscant » (*S. Hier.*). Visa enim altius animis haerent.

Quare v. 3 « *tu ergo, fili hominis, fac tibi vasa transmigrationis et transmigrabis per diem coram eis; transmigrabis autem de loco tuo ad locum alterum in conspectu eorum, si forte aspiciant, quia domus exasperans est* »; — iubetur vates se ad iter suscipiendum accingere, colligere sarcinulas, supellectilem migrantis propriam assumere, utpote galerum, baculum, calceos, peram, penulam et secundum rabbinos calicem et scutellam et ollam ad carnem coquendam (*Prad.*). Cum enim Deus miserari vult et illuminare caecum atque obduratum et sponte surdum sanare, loquitur exemplis, quae sunt voces penetrabiliores omni sono et iubar luce solis illustrius et efficacius (*Prad.*). Nota quoque qua ratione sicut 4,12 actio describatur revera coram eis peragenda; prorsus aliter 8,3 et 11,24. Cum ex v. 4 ipsam transmigrationem *vespere* peragere debeat, textus cum LXX legendus erit: *fac tibi vasa transmigrationis per diem coram eis* omisso verbo *et transmigrabis*, durius enim est verbum transmigrandi explicare quasi diceretur denuo: praepara te ad migrationem. Quomodo migrationem debeat praeparare et exsequi, iniungitur v. 4 « *et efferes foras vasa tua quasi vasa transmigrantis per diem in conspectu eorum; tu autem egredieris vespere coram eis sicut egreditur migrans* »! — interdiu igitur debet sarcinas suas videntibus illis colligere et foras efferre extra domum in viam publicam; « et postquam viderint quae facturus es, egredieris vespere in similitudinem transmigrantis » (*S. Hier.*).

Modus autem quo migrare debeat hic est v. 5 « *ante oculos eorum perfode tibi parietem et egredieris per eum,* v. 6 *in conspectu eorum in humeris portaberis, in caligine effereris, faciem tuam velabis et non videbis terram, quia portentum dedi te domui Israel* »; — vertit *S. Hier.* *in humeris portabis, in caligine effugies;* illud *portaberis* depromptum est ex LXX; hebr. verte: *in humeris portabis, in caligine efferes;* unde sensus planus est: iis videntibus propheta domo sua debet egredi non per ianuam, sed foramine in pariete facto; dein sarcinas illas quas ante domum collocavit assumere debet in humeros easque efferre; si-

mul vultum sibi obvelare et ita noctu fugam arripere. Haec autem peragens in signum est et figuram eorum quae eventura sunt. *S. Hier.* in commentario rite habet : « *in humeris portabis*, subauditur sarcinas tuas et quidquid ad viae solatium fugientes portare consueverunt » ; similiter hebr. explicant *Pint. Mar. Vat.* et recentiores. Lectio *portaberis* assumpta esse videtur, quia velata facie fugere iubetur et quia v. 12 ipse etiam *S. Hier.* legit *portabitur* et regem fugientem sarcinas portare haud credibile videbatur. Sed vide ad v. 12. Vates imperata facit v. 7 « *feci ergo sicut praeceperat mihi Dominus; vasa mea protuli quasi vasa transmigrantis per diem; et vespere perfodi mihi parietem manu et in caligine egressus sum, in humeris portatus in conspectu eorum* » ; — etiam hic *S. Hier.* vertit : *et humeris portavi in conspectu eorum* et ita ex hebr. res est intelligenda. In membro priore bene legitur apud LXX, *Syrum, S. Hier.* : in caligine *egressus sum*, et ita quoque textus hebr. erit emendandus, ut singula rite inter se subsequantur : perfodere parietem, per foramen egredi, vasa iam antea foris collocata in humeros assumere. Haec peragens erit *portentum* : vide ad Is. 8,18.

Quid actio haec symbolica sibi velit, populo interroganti explicare iubetur v. 8 « *et factus est sermo Domini mane ad me dicens* : v. 9 *fili hominis, numquid non dixerunt ad te domus Israel, domus exasperans : quid tu facis* »? — modo illo agendi insolito id evenit quod desiderabatur, ut scil. ad attentionem et interrogationem excitarentur. Unde v. 10 « *dic ad eos : haec dicit Dominus Deus : super ducem onus istud qui est in Ierusalem et super omnem domum Israel quae est in medio eorum* »! — *onus* oraculum dicit plenum minis et infaustum : vide ad Nah. 1,1 ; triste ergo hoc oraculum quod vates re expressit ad regem in Ierusalem spectat et ad cives urbis regiae. In hebr. adest paronomasia : הַנָּשִׂיא הַמַּשָּׂא, uti *Prad. Lap.* monent ; eam ita auribus latinis accommodare student : super principem qui quasi baiulus onera reipublicae ferre debet quique ex tyrannide gravia onera ei imposuit, hanc impone onerosam sententiam quam meruit onerando iniuste rempublicam, q. d. Sedeciae canitur haec cantio. Melius etymo vocis consulueris explicans : honoratus est onus hoc ; ei scil. id portenditur, is ea re repraesentatur. Retineri debet cum plerisque *onus* in notione oraculi tristis, quae significatio et frequens est alibi et hic plane e re esse cernitur. Nam quod alii volunt : princeps, molestia haec in Ierusalem i. e. pestis illa vel homo perniciosus, vel : principi vel *elato* haec mea *elevandi actio*, aut nimis contemptum sapit aut ad actionem symbolicam parum consentaneum est, quippe quae minime in elevanda re consistat. Ultimam versus partem aliqui vertunt : in quorum medio

isti sunt, vel ad quos (scil. ad domum Israel) isti pertinent i. e. exsules; sed cum in sequentibus (v. 14. 19. 22) de civibus hierosolymitanis et incolis palaestinensibus sermo sit, haec explicatio admitti nequit. Unde ad contextum solum consentaneum est, ut legatur et explicetur : in medio *eius* i. e. urbis; nam quod actione symbolica vates repraesentavit, non sortem exsulum, sed populi in Palaestina commorantis conditionem tangit. Idem demonstratur v. 11, cum ibi demum exsules alloquatur, at nullo modo ita, ut eorum sortem praefiguret, sed solum, ut eos de sorte aliorum reddat certiores v. 11 « *dic : ego portentum vestrum; quomodo feci, sic fiet illis : in transmigrationem et in captivitatem ibunt* »; — portentum est exsulibus, quia illa actione et doctrina eos a vana spe et fiducia removere debet.

Quod quo magis persuadeat, accuratius actionem symbolicam declarat v. 12 « *et dux qui est in medio eorum in humeris portabitur, in caligine egredietur; parietem perfodient ut educant eum; facies eius operietur ut non videat oculo terram* »; — hebr. *in humero portabit;* non opus est ut ipse rex quae ad fugam capiendam assumpta sunt suis portet humeris; scena tota vere repraesentatur eum in modum, si in regio comitatu ea fiunt. Sedecias capta urbe noctu fugit per portam quae erat inter duos muros (Ier. 39,4; 52,7. 4 Reg. 25,4) vel per viam portae. Haec fuga adumbratur pariete perfosso; neque enim opus erit assumere revera murum illum debuisse perrumpi, ut exitus pateret. In qua fuga *faciem suam operiet* (hebr.) i. e. dissimulabit se quam diligentissime ne agnoscatur tamquam rex (*Malv.*). Membro ultimo sermonem ita attemperat vates, ut regem oculis iri privatum iam innuat. Id quod clarius in sequenti indicatur v. 13 « *et extendam rete meum super eum et capietur in sagena mea, et adducam eum in Babylonem in terram Chaldaeorum et ipsam non videbit ibique morietur* »; — i. e. frustra fugam ea via tentabit, qua se posse effugere sperat insidias Chaldaeorum; capietur; adducetur in Babylonem et cum eius oculi effossi sint non eam videbit, neque inde revertetur. Quae omnia ad amussim opere completa sunt. Eum loquendi modum propheta adoptat, quo Deo disponente et iudicante haec omnia fieri ostendat; cf. 17,11. Sedeciam Babylone in carcere esse mortuum, vide Ier. 52,11.

Simul cum rege etiam milites et populus excidio implicabuntur v. 14 « *et omnes qui circa eum sunt, praesidium eius et agmina eius dispergam in omnem ventum et gladium evaginabo post eos* v. 15 *et scient quia ego Dominus, quando dispersero illos in gentibus et disseminavero eos in terris* »; — cf. 5,2; et rem impletam lege Ier. 40,7. 12; 52,8. Tum demum, cum oracula viderint impleta, « intelligent quod ego sim Dominus et mea cuncta voluntate sint facta » (*S. Hier.*); vide 6,10. 13.

14. Et quia moniti a prophetis et iussi a Domino noluerunt effugere cladem illam hierosolymitanam, etiam pauci vitam servabunt v. 16 « *et relinquam ex eis viros paucos a gladio et fame et pestilentia, ut enarrent omnia scelera eorum in gentibus ad quas ingredientur et scient quia ego Dominus* »; — relinquentur igitur et dispergentur tamquam testes iustitiae divinae, quod scil. Deus non propter infirmitatem vel crudelitatem populum suum hostibus tradiderit, sed ut sint « accusatores propriae impietatis et iniquitatis docentes eas gentes apud quas degent se poenas eorum dare quae in me deliquerint » (*Theod.*), narrantes videlicet, ut *S. Hier.* dicit, omnia scelera sua vel sermone vel exemplo; vide ad 14,22. Ier. 22,8. 9 et iam Deut. 29,24.

Altera actione symbolica calamitatem et angustias exprimere iubetur quibus cives hierosolymitani tempore obsidionis et expugnationis affligentur v. 17 « *et factus est sermo Domini ad me dicens :* v. 18 *fili hominis, panem tuum in conturbatione comede, sed et aquam tuam in festinatione et moerore bibe* »! — ipso habitu externo, tremens et horrens et moerens quid futurum sit in se depingere iubetur; festinationem דְּאָגָה intellige trepidationem, formidinem, tremorem. Quod cum vates fecisset, rem declarare iubetur v. 19 « *et dices ad populum terrae : haec dicit Dominus Deus ad eos qui habitant in Ierusalem in terra Israel : panem suum in sollicitudine comedent et aquam suam in desolatione bibent, ut desoletur terra a multitudine sua propter iniquitatem omnium qui habitant in ea* v. 20 *et civitates quae nunc habitantur desolatae erunt terraque deserta et scietis quia ego Dominus* »; — cf. 4,10. 16. Exsulibus falsa illa spes est eripienda fore ut respublica iudaica non intereat. Angustias immittet Deus eo fine et effectu, *ut* terra reddatur vasta et spolietur *plênitudine sua* (hebr.) iis scil. quibus repleta est et quibus regionis ubertas et fertilitas, opes, divitiae continentur. « Et ne putent sibi hoc evenire sine causa, dic, inquit, eis quod propter scelera eorum et impietates omnes urbes Iudaeae ad solitudinem redigendae sint et universa terrae cultura dispereat, ut cognoscant Deum saevientem quem miserantem cognoscere noluerunt » (*S. Hier.*). Formula *et scietis* etc. etiam exprimi iuremerito dicemus fore, ut multi rebus adversis edocti resipiscant et ad Deum revertantur.

Demum vim et veritatem oraculorum ab incredulorum irrisione vindicat; alii enim vaticinia prophetarum impletum iri omnino negabant, alii impletionem saltem longe abesse asserebant. Contra utrosque vates agit. Et prius quidem contra illos. Unde sat multos eo iam tempore adfuisse discimus qui prophetis fidem negabant. Id quod propterea quoque notandum est, quia recentiores quidam protestantes (cf. *Sm.*) etiam Ezechielem vaticinia de urbe et rege post eventum ita

clare et determinate conscripsisse volunt neque ea antea adeo distincte protulisse. Talem autem agendi rationem nullo pacto admitti posse, tum ex aliis patet, tum etiam ex eo quod semper multi exstiterint adversarii prophetarum et increduli inter ipsos aequales vatis, qui utique summopere prohibuissent ne prophetae oraculis ad eventum conformatis sibi auctoritatem conciliarent; quis praeterea opinabitur voluisse aliquem prophetarum astuto illo agendi modo qui tamen aequales latere diu non potuit suis inimicis contra seipsum arma subministrare? Cum iam a longo tempore, a diebus scil. Osee (2,14; 3,4), Isaiae (6,11; 39,6), Michaeae (3,12) exsilium et ruina reipublicae esset praedicta, erat cur increduli vaticinia iam dudum edita, sed nondum impleta contemnerent. Quare magna vi asseritur nunc omnem moram revera abrumpi; v. 21 « *et factus est sermo Domini ad me dicens :* v. 22 *fili hominis, quod est proverbium istud vobis in terra Israel dicentium : in longum differentur dies et peribit omnis visio* »? — cum irrisione dicunt : tempus diutissime protrahitur et visio non impletur, sed cadit et in nihilum dissolvitur. Similia loquuntur impii apud Isaiam 5,19, apud Ieremiam 17,15 et similia in rei christianae primordiis : ubi est promissio aut adventus eius? ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseverant ab initio creaturae (2 Petr. 3,4).

Sed ei irrisioni finis imponetur v. 23 « *ideo dic ad eos : haec dicit Dominus Deus : quiescere faciam proverbium istud neque vulgo dicetur ultra in Israel, et loquere ad eos quod appropinquaverint dies et sermo omnis visionis;* v. 24 *non enim erit ultra omnis visio cassa neque divinatio ambigua in medio filiorum Israel,* v. 25 *quia ego Dominus loquar et quodcumque locutus fuero verbum fiet et non prolongabitur amplius; sed in diebus vestris domus exasperans loquar verbum et faciam illud, dicit Dominus Deus* »! — dies prope esse in quibus omne verbum propheticum opere compleatur, vates annuntiare debet. Nam apud Deum duo iam statuta sunt, prius : omnem divinationem falsam et mendacem vel assentatoriam, qua pseudovates aures hominum demulcent (LXX τὰ πρὸς χάριν) iri ablatum; alterum : id quod Dominus loquatur iam non differri, verum mox impleri ita ut ipsi testes sint. Pseudoprophetae scil. conticescent qui populo blandiuntur et assentantur, cum ipso eventu et ruina urbis iis silentium imponatur eorumque fraudes omnibus innotescant. De iis enim sermonem esse, iam voce *divinationis* ambiguae vel lubricae vel blandientis מִקְסַם חָלָק ostenditur; ita quoque LXX οὐκ ἔσται μαντευόμενος τὰ πρὸς χάριν; ita *Mar. Malv. Troch.;* neque enim talia de Dei oraculis dici possunt, quae neque ambigua sunt neque populo blandiuntur. In hebr. eadem particula כִּי v. 24 et 25 ponitur, quare in utroque versu ratio affertur assertionis

in v. 23 enuntiatae. Eo autem quod falsae et mendacis prophetiae mentio fit hoc loco quo de incredulis agitur, illud confirmatur quod omnium temporum experientia constat, homines qui Deo eiusque legatis non adhibent fidem facillime fraudibus et fallaciis et superstitionibus se tradere et fraudatoribus animum offerre credulum.

Alii credebant quidem prophetis, at se consolabantur dicentes impletionem longe abesse neque se iri implicitum malis illis; quae opinio utique aliqua venia digna erat; v. 26 « *et factus est sermo Domini ad me dicens* : v. 27 *fili hominis, ecce domus Israel dicentium : visio quam hic videt, in dies multos, et in tempora longa iste prophetat;* v. 28 *propterea dic ad eos : haec dicit Dominus Deus : non prolongabitur ultra omnis sermo meus; verbum quod locutus fuero complebitur, dicit Dominus Deus* »; — oracula illa minis plena de urbe et republica iam non differentur, adest tempus ut impleantur; haec prophetia non spectat ad tempus incertum; « sed nunc vivente te qui loqueris et his qui audiunt verbum complebitur » (*S. Hier.*).

b) Contra pseudoprophetas 13, 1-16.

Actionibus et verbis vates demonstravit prope adesse ruinam reipublicae nullamque evadendi spem relinqui. Quid igitur restat? Reliquum est, ut vates pro munere suo populum ad eum emendationis fructum erudiat quem Deus ex castigatione illa enasci vult. Quare praeprimis opus est ut omnes intime persuasum habeant calamitatem illam iustam esse scelerum poenam et iustissime infligi. Unde quam late serpat per omnes ordines iniquitas, describatur oportet. Ea enim descriptione et ulteriores afferuntur causae cur Deus puniat et populus quid sit vitandum vel qua ratione vita sit instituenda utiliter eruditur. Primus enim ad emendationem gressus est agnoscere te peccasse. Praeterea illa quae cap. 8-11 in visione exhibita sunt magis magisque declarantur. Inter eos autem qui fatali quadam auctoritate miseram plebem decipiebant et prophetis maxime obsistentes omnium iniquitatum fautores erant, principem locum obtinebant pseudoprophetae. Hi enim populo blandiebantur, ea vaticinabantur quae omnes optabant et libenter audiebant, vana spe et fiducia plebem imbuebant. Ceterum quales fuerint, ipse vates in hoc capite egregie describit. Inter exsules quoque tales exstitisse, certum est ex Ier. 29,21 et ex hac Ezechielis reprehensione. Ut populares ab eorum mendaciis, blanditiis, auctoritate retraheret, multo opus erat conatu; quare illorum fraudes, malitiam, damna quae inferunt, sermone gravi exponit.

Primo loco effertur quod nullatenus a Deo missi sua solum somnia

et mendacia venditant v. 1 « *Et factus est sermo Domini ad me dicens :* v. 2 *fili hominis, vaticinare ad prophetas Israel qui prophetant et dices prophetantibus de corde suo : audite verbum Domini!* v. 3 *haec dicit Dominus Deus : vae prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum et nihil vident* »! — primum ac praecipuum in propheta est ut a Deo mittatur et ut Deus verba sua ponat in ore prophetae (Deut. 18,18) et ut propheta solum ea et omnia ea loquatur quae Deus ei praeceperit. Haec ex ipsa institutione et indole muneris prophetici colliguntur. Iis quam maxime opponitur *prophetare de corde suo* i. e. sine electione et missione a Deo nomine Dei ea proferre quae quis ex propriae mentis ac sensus penu depromit. Ea voce vates optime describit quantus sit ea in re iniquitatis et impietatis cumulus. Vocantur *prophetae prophetantes,* ut vocum accumulatione iniqua illa vaticinandi sedulitas et assiduitas notetur; « nec quemquam moveat quod prophetae appellantur; hanc enim habet sancta Scriptura consuetudinem, ut unumquemque vaticinationis suae et sermonis prophetam nuncupet, sicut prophetae appellantur Baal et prophetae idolorum et prophetae confusionis » (*S. Hier.*). Vocantur *insipientes* הַנְּבָלִים quae vox eum designat ex usu Scripturae qui et perditis moribus est et simul omni religione destituitur; v. g. Ps. 13,1 : dixit insipiens in corde suo : non est Deus. Dein illud *de corde* magis declaratur : *suum sequuntur spiritum et id quod non viderunt* (hebr.); veri prophetae spiritum Dei et ea sequuntur quae ipsis a Deo in visione, in symbolis ostenduntur; hi autem suas cogitationes, appetitus, concupiscentias sequuntur et mentiuntur se habere visiones.

Quanta autem damna saluti communi inferant, breviter sed efficaciter declaratur v. 4 « *quasi vulpes in desertis prophetae tui Israel erant* »; — quasi vulpes in ruinis, in ruderibus, i. e. occulte ac dolose vastant, subruunt aedificium cuniculis actis et muros suffodiunt, ut demum domus vel murus concidat. Ita reipublicae statum everterunt (cf. *Lap.*). Hac aedificii suffossione reliqua omnia quae ex comparatione colligi possunt continentur : modus agendi dolosus (*Sa*), vastatio vineae (Cantic. 2,15.*Mar.*), furta (*S. Hier. Pint. Calm.*). Et quam longe absint ab officio prophetae, praesertim tempore calamitatum cernitur v. 5 « *non ascendistis ex adverso neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in proelio in die Domini* »! — hebr. *non ascendistis in rupturas* muri scil. ut obsisteretis hostibus, *neque sepem obsepsistis* circa domum Israel. Si murus hostium machinis iam perfossus est et irruptio paratur, tunc cum non vacat aggerem construere et vallo claudere rupturam, praesidium totum urbis situm est in robore ducum qui sese opponentes in fractura impetum hostilem retardant

et frangunt (*Prad.*). Qua metaphora quale sit munus propheticum egregie adumbratur. Illa enim damna quibus ruina singulorum et reipublicae paratur debent resarcire, igitur mores corruptos emendare, arguere impietatem, scelera impedire, promovere pietatem. Virtutibus enim quasi muro fortissimo cingitur atque defenditur civitas. Sed pseudoprophetae vitiis blandiebantur; unde quae aderant propugnacula vel quae a veris prophetis erigebantur, ipsi destruebant neque apud Deum causam populi agebant neque sua intercessione eius iram avertebant; quare in die Domini, quo scil. Deus ultionem et vindictam capit, nullo modo tamquam propugnatores populi stant in proelio, ut pro populo precibus dimicent et resistant obsecrationibus sententiae Dei (*S. Hier.*). Quid sit murum opponere pro domo Israel, exemplis declarat *S. Hier.* Aaronis qui adversum ignem populum devorantem occurrerit, Ieremiae, cui dicitur ne occurrat Domino neque stet contra iram eius orationis perseverantia, Moysis, cui enim dicitur *dimitte me et delebo populum istum*, ostenditur quod tenendi habeat facultatem: cf. Ex. 32,11. Num. 16,48. Ier. 7,16. Murus quoque opponitur, cum populus sana doctrina et commonitione eruditur.

Sed quantopere illi somniis suis populum deceperint, exponitur v. 6 « *vident vana et divinant mendacium dicentes : ait Dominus, cum Dominus non miserit eos, et perseveraverunt confirmare sermonem* »: — hebr. *et speraverunt*. Habitu et modo loquendi prophetas imitantur, sollemnem formulam נְאֻם יהוה usurpant, quamvis maxime sibi conscii sint se non mitti a Domino, sed solum inania quaedam sibi fingere et effutire auguria mendacia; attamen somnia sua et mendacia quasi certo implenda venditant omnique conatu student miserae plebi illa persuadere; i. e. *et speraverunt statuere sermonem* (hebr.). Ex Ps. 119,49 verbum hebr. יִחֵלוּ etiam vertere poteris : *et spem fecerunt*, alios sperare faciunt fore ut sermo compleatur (cf. *Prad. Malv.* et ex recentioribus *Ges.* Thes. p. 590. *Sm.*); alii sententiam ab antecedente repetunt : non misit eos Dominus ita ut sperare possint (*Keil*). Si ipsi dicuntur *sperare*, certe non est sensus eos *bona fide* suis ipsorum divinationibus fidem adhibuisse, sed propheta effert quam stulte egerint et quantae fuerit insaniae, si ullam foverint spem suas coniecturas eventu iri comprobatum. *Houbig.* aliam tentat versionem a verbo חלה; et laborant ut confirment verbum (?). Propheta quod asseruerat vehementi indignatione repetit, ut sceleratorum animorum conscientiam pungat v. 7 « *numquid non visionem cassam vidistis et divinationem mendacem locuti estis? et dicitis : ait Dominus, cum ego non sim locutus* »? — ipsos appellat testes qui negare non possunt vatem vere dicere vana esse et ficta quae vidisse se iactent. Vatem divina loqui auctori-

tate et mandato Dei, ultimo membro indicatur. Id apud LXX non habetur; at ex v. 6 haec pars peculiari vi effertur, et arrogantia et temeritas pseudoprophetarum eo potissimum declaratur quod nomine Domini loqui praesumunt.

Eius autem iniquitatis poenae non deerunt v. 8 « *propterea haec dicit Dominus Deus : quia locuti estis vana et vidistis mendacium, ideo ecce ego ad vos, dicit Dominus Deus* v. 9 *et erit manus mea super prophetas qui vident vana et divinant mendacium ; in consilio populi mei non erunt et in scriptura domus Israel non scribentur nec in terram Israel ingredientur, et scietis quia ego Dominus Deus* » ; — *ecce ego ad vos;* cf. 5,8; aposiopesis qualis illa *:* quos ego (*Prad.*). Ita poena in universum denuntiatur, eaque gravissima, quae *manu* Domini exprimitur; fit manus Domini super veros prophetas, sed alio prorsus effectu fiet in eos qui manu se duci et erudiri mentiuntur. Dein speciatim denuntiantur aliqua poenarum genera : « fraudem illorum ita detegam ut ipsorum verbis se decipi populus deinceps non patiatur, neque illos intra coetus admittat, ubi de rebus publicis deliberatur » (*Calm.*), ergo omni auctoritate destituentur (sim. *Prad. Lap.*), dein nomina eorum ex catalogo populi Dei delebuntur, iam non populo Dei accensebuntur; vide v. g. Is. 4,3 omnis qui scriptus est in vita in Ierusalem; ergo e populo Dei eradicabuntur neque populi Dei iuribus et beneficiis coram Deo fruentur. In cuius rei signum patriam regionem iam non ingredientur, non redibunt, quamvis reditum mox fore pseudoprophetae sedulo promitterent (cf. Ier. 29,28); simili comminatione contra eos usus est Ieremias : non erit ei vir sedens in medio populi huius et non videbit bonum quod ego faciam populo meo (29,32).

Ratio ulterior redditur cur iuste puniantur simulque eorum agendi modus et populo assentandi studium perstringitur v. 10 « *eo quod deceperint populum meum dicentes : pax, et non est pax, et ipse aedificabat parietem, illi autem liniebant eum luto absque paleis* » ; — in *populo meo* cernitur Dei miseratio conquerentis et quasi dolentis de misera plebe seducta et indignantis de seductoribus, qui falsis suis promissis populum reddebant securum et a morum emendatione retrahebant. Eadem accusatio fertur Ier. 6,14 ; 8,11 et sim. Mich. 3,11 : numquid non Dominus in medio nostrum? non venient super nos mala. Assentandi autem et populo blandiendi studium describitur ultima sententia : si populus aedificabat parietem, *illi obducebant eum tectorio* (hebr.) i. e. quidquid populus agebat, isti adiuvabant, assentabantur, approbabant, laudibus exornabant. Modus loquendi proverbialis esse videtur; designatur eos non inquisivisse sitne rectum necne. Dum S. *Hier.* vertit *luto absque paleis*, statim exprimere voluit nihil robo-

ris posse praeberi parieti, purum enim lutum quod paleis non stringitur et firmatur, ut ipse dicit, nihil praebet fortitudinis. Rem ita explicat *Theod.* : « populus, inquit, murum aedificat debilem propter improbitatem et impietatem; isti vero bonas praedictiones et pollicitationes veluti quoddam linimentum et unctionem muro adhibent, cum opus esset debilem aedificationem dissolvere et operam dare, ut solida fieret ». Alii in pariete aedificando studium populi cernunt procurandi sibi subsidia humana, auxilium v. g. Aegyptiorum, quem conatum prophetae mendacibus promissis commendaverint et promoverint (cf. *Prad. Lap. Mar. Tir.*) vel generatim in pariete cerni securitatem quam populus sibi promiserit (*Mald.*), vel pessimum designari vitae institutum (*Calm.*).

Verum studium illud assentandi et populo placendi pessimum habebit exitum, v. 11 « *dic ad eos qui liniunt absque temperatura, quod casurus sit; erit enim imber inundans et dabo lapides praegrandes desuper irruentes et ventum procellae dissipantem* »; — hebr. *dic obducentibus tectorium, cadet* scil. murus vel paries v. 10; nota paronomasiam in hebr. inter תָּפֵל tectorium et verbum נָפַל cadere; quod supra vertit *S. Hier.* linere luto absque paleis, nunc exprimit linere absque temperatura, prout Symmachum interpretatum esse dicit. Imbribus, grandine, vento parietem illum evertendum esse dicit, comparationibus innuens venturos esse hostes saevissimos (*S. Hier.*) et varia calamitatum genera quibus respublica funditus evertatur.

Secundum textum *mas.* verti oportet : *et cadet, erit imber inundans et vos, lapides grandinis, cadite et ventus procellarum disrumpet.* At sane durum est compellari lapides grandinis; quare cum LXX, *Syro, S. Hier.* legendum erit non אַתֵּנָה sed אֶתְּנָה dabo et omisso verbo היה sententia modo hoc erit legenda : imbrem inundantem dabo et lapides grandinis (vel glaciei) cadent et ventus procellosus irruet (lege niphal תִּבָּקַע pro mas. תְּבַקֵּעַ). Similiter habet *Syrus* : ecce ego dabo imbrem abripientem. LXX et *S. Hier.* autem : erit imber inundans et dabo lapides; תִּפֹּלְנָה *S. Hier.* expressit (*desuper*) *irruentes*, LXX καὶ πεσοῦνται.

Tempestate autem in rempublicam irruente illi laudatores contemptui habebuntur v. 12 « *siquidem ecce cecidit paries! numquid non dicetur vobis : ubi est litura quam linistis* »? — hebr. *et ecce, cadit paries* i. e. si ceciderit paries, nonne dicetur etc. « ubi est quod polliciti estis auxilium » (*S. Hier.*)? quid profuit laudare et approbare ea quae populo placuerunt? Interitus hic iam definito Dei consilio denuntiatur tamquam vindicta Dei offensi quem pseudoprophetae ludibrio habebant v. 13 « *propterea haec dicit Dominus Deus : et erumpere*

faciam spiritum tempestatum in indignatione mea et imber inundans in furore meo erit et lapides grandes in ira in consumptionem v. 14 *et destruam parietem quem linistis absque temperamento et adaequabo eum terrae et revelabitur fundamentum eius et cadet et consumetur in medio eius, et scietis quia ego sum Dominus* »; — simili metaphora Christus explicat ruinam viri stulti qui verba Christi audit quidem neque tamen facit et ideo similis est ei qui aedificat domum suam super arenam : et descendit pluvia et flaverunt venti et irruerunt in domum illam et cecidit (Matth. 7,26. 27). Ter Deus irae et indignationis suae mentionem inserit; en adeo detestatur illam prophetarum fraudem; eversionem reipublicae maxima illa destructione parietis, quem ad terram prosternet ita ut eius fundamentum nudetur, designari patet ex hebr. cum ibi dicatur *et consumemini in medio eius,* conficiemini in medio civitatis, ipsis eius ruinis scil. obruemini (*Mald. Mar. Lap. Men. Loch, Troch.*). Quaecumque populus et pseudoprophetae contra Deum eiusque consilia machinantur, misere cadent Deo ultore v. 15 « *et complebo indignationem meam in pariete et in his qui liniunt eum absque temperamento, dicamque vobis : non est paries et non sunt qui liniunt eum* »; — populus et prophetae iram Domini experientur; *non est paries* i. e. actum est de eo, eversus est, occisi sunt qui eum obduxerunt tectorio : « irrisio est et insultatio Dei contra eum populum » (*Mar.*). Demum qui populo male consulunt, denuo designantur et qua re populi urbisque interitum adducant exponitur v. 16 « *prophetae Israel qui prophetant ad Ierusalem et vident ei visionem pacis, et non est pax, ait Dominus Deus* »; — prophetare de Ierusalem vel de rebus ad eam spectantibus etiam pseudoprophetae in Babylonia poterant sicut illi qui erant in ipsa urbe; quare non opus erit verba ad alterum solum ordinem restringere. Ad totum hoc oraculum monet *S. Hier.* omnia rite referri posse ad haereticos; nam ii quoque minime a Deo mittuntur, loquuntur animorum suorum figmenta, ea tamquam Dei verbum proponunt; opera eorum etiam Dei ultore interibunt! Quot enim exstiterunt haereses et haeretici, de quibus vix nomen usque ad nostra tempora perlatum est!

c) **Contra falsas fatidicas 13, 17-23.**

Uti iam Isaias (3,16; 32,9) et Amos (4,1) contra mulieres quae multum valent ad mores corrumpendos oracula et minas proferebant, ita Ezechiel quoque illas castigare iubetur quae magna impudentia se prophetides esse mentiebantur. Cum enim ne mulieres quidem a munere prophetico excluderentur — exstiterant prophetides Maria, soror

Moysis, Debbora, Holda, Ex. 15,20. Iud. 4,4. 4 Reg. 22,14 — quae est mulierum procacia fiebat, ut quemadmodum viri impii veros imitabantur prophetas, ita mulieres quoque astutae imponerent plebeculae superstitiosae. Quam pestem propheta iam aggredi iubetur v. 17 « *Et tu fili hominis, pone faciem tuam contra filias populi tui quae prophetant de corde suo et vaticinare super eas* »! — ponere faciem i. e. loqui vultu obfirmato et minaci (*Prad.*); cf. 6,2; 21,2; item loqui libere et audacter ea quae consilio firmo decreta sunt; v. 18 « *et dic : haec dicit Dominus Deus : vae quae consuunt pulvillos sub omni cubito manus et faciunt cervicalia sub capite universae aetatis ad capiendas animas et cum caperent animas populi mei, vivificabant animas eorum* »! — consuere pulvillos pro omni cubito manus vel fasciolas vel tegumenta, et cervicalia vel velamina, LXX ἐπιβόλαια, *Sym. Theod.* ἐπαυχένια super caput vel *pro capite cuiusvis staturae* (hebr.) i. e. pro capite et parvi et magni, pro uniuscuiusque statura adaptare dicuntur prophetides eodem sensu quo antea viri prophetae parietem obducere dicebantur. Sicut illud non sensu proprio erat intelligendum, ita hoc quoque metaphorice dictum esse existimandum est; « apposite viris tribuit parietem incrustare, mulieribus vero pulvillos et cervicalia suere; hoc enim est feminarum, illud virorum » (*Lap.* sim. *Mald. Mar.*). Unde sensus quoque idem erit exquirendus : effata sua ita efformant, ut quae quisque exoptat et desiderat ea quoque audiat, ut hominibus adulentur (*Pint. Men. Tir.*), ut suavia, mollia, dulcia omnibus vaticinentur, quibus quasi secure ac quiete possint indormire (sim. *Orig. S. Hier. Calm.*). Unde *Theod.* : « molliores ac mitiores hisce verbis innuit sermones; cervicalia enim et pulvinaria (ὑπαγκώνια) requietem quandam et solatium afferunt membris quibus supponuntur et molliora verba cum falsa sint ad tempus quidem aures titillant, sed omnis generis eversiones animis afferunt ». Et qualem perniciem afferant, explicatur sequentibus *ad capiendas animas* insidiis scil. et iniqua quasi venatione, uti Prov. 6,26 de scorto dicitur : mulier viri pretiosam animam capit. Atque dum illas capiunt, perdunt, quia falsis promissis eas reddunt securas et vitiis blandiuntur, tamen *vivificabant* eas i. e. vitam et salutem iis promittunt (*Mald. Sa, Mar. Lap.*). Hebr. verte : *numquid animas venabimini (capietis) de populo meo et animas vobis vivificabitis* (*Prad. Mald. Mar. Calm.*)? i. e. num impune vobis fore arbitramini, cum populi mei animas aucupio capitis, vosque tranquillam vitam esse acturas (*Calm.*)? Scelus scil. illud morte iis erit luendum.

Pulvillos illos vel προσκεφάλαια LXX, *Sym.* ὑποστρώματα, vel ὑπαγκώνια —

utraque enim vox affertur — vel ut alii verterunt, φυλακτήρια, fasciolas et cervicalia vel velamina iam *S. Ephr.* exposuit de amuletis vel signis magicis quae gestassent brachiis circumligata, quorum ope oracula dabant interrogantibus, ut mos sit hariolorum. Eandem explicationem sequuntur *Prad. Plumptre, Currey, Sm.*, apparatum ergo intelligi quo se ad vaticinandum induebant. Quod si cui placuerit, poterit *velamina* eodem modo intelligere quo dicitur apud Zachariam (13,4) de pseudovatibus: nec operientur pallio saccino, ut mentiantur. Sed cum velamina illa adaptata esse dicantur cuiusque staturae, alii volunt eos qui oracula peterent iis fuisse coopertos; proinde describi ritus quosdam quibus oracula sua maioris sollemnitatis causa exornarint. Alii rem ex usu temporis posterioris declarant: in manu enim sinistra Iudaei orantes gestant circumligata תְּפִלִּין, caput autem טַלִּית obvolutum habebant (*Hitz.*); sunt autem tephillin « lorum coriaceum duplex quod precaturi sibi alligant, unum circa caput, alterum brachio sinistro »; tallith autem vocant « velum ex tenui lana sive pilis factum, quod circa caput et collum circumvolvunt tempore precum et aliorum sacrorum » (*Buxtorf*, Lexicon chald. p. 877. 1744). Simile quid *Delitzsch* opinatur, qui in specimine glossarii ezechielico-babylonici (*Baer* l. c. p. XIII) scribit: « quod rem spectat, applicatio fasciarum illarum atque laciniarum ad artes magicas referenda est, sicut una de incantationibus babylonicis ait: linteum album firme (?) implicatum alliga ad lectum eius, ad latus et locum capitis; linteum nigrum firme (?) implicatum alliga sinistro aegroti lateri ». Sed non est par ratio, cum hic evidenter de morbo pellendo vel de aliquo fascino avertendo, non autem de oraculo edendo agatur.

Quae explicationes immerito proferuntur. Iure enim iis opponi potest quod iam *Mald.* monet ita scribens: « fabulatur hoc loco rabbi David solitas fuisse mulieres illas fatidicas iis qui se de rebus futuris consulebant revera pulvillos sub cubitum assuere et cervicalia capiti supponere, quasi ea ratione idonei redderentur ad percipienda vaticinia. Hoc ego rabbinicum commentum esse arbitror. Quis enim non videt idem nunc de feminis dici quod paulo ante de viris dictum est? quemadmodum ergo viri non liniebant re ipsa parietem quem populus aedificabat, ita feminae non consuebant revera pulvinaria, sed metaphorice consuere dicuntur, quia blanda iucundaque populo vaticinabantur. Utraque igitur metaphora idem significat, sed ideo variatur ut ad personas accommodetur; aedificare enim et parietes incrustare non feminarum, sed virorum est; ideo non mulieres, sed viros parietem incrustare dixit. Contra vero pulvillos et cervicalia suere non virorum sed feminarum est; quare non viros, sed feminas hoc dicit facere ». Quae aeque clare ac praeclare dicta esse videntur ad illam explicationem excludendam.

In textu hebr. v. 18 scribitur יָדָי; unde verti oportet: super omnes iuncturas *manuum mearum;* quare *Keil* explicat manus Dei obvolvi ne eas extendat ad puniendum i. e. mendaciis suis ultricem Dei iustitiam hominibus obtegunt. Verum illud *mearum* nullibi legitur; LXX, *Syrus*, *Sym. S. Hier.*

Chald. solum praebent vel *manum* vel *manus* (sing. vel plur.); quare merito recentiores יד esse scribendum censent ידי in mendorum censum referentes (*Sm. C.*); sunt codices qui ידים habent (cf. *de Rossi*), alii adnotant jod redundare. *Ewald* formam ידי ad numerum dualem apocopatum refert (Lehrbuch § 117 a); sed merito alii talem formam apocopatam non admittunt.

Ultimam sententiam alii ita vertunt et explicant : animas populi mei capitis (et perditis) vestras ipsorum animas servatis i. e. aliis vitam auferunt, suae autem vitae consulunt, sibi lucrum ac mercedem ex oraculis acquirunt (*Hitz. Keil*). Ita *Theod.* quoque textum graecum concipit : « falsae vates populo animae exitium, sibi ipsis pecuniarum lucrum comparabant ea prophetantes quae videntur utilia. Hoc enim innuit cum dixit : animas populi mei pervertebant et animas servabant (περιεποιοῦντο) ». Alii retenta interrogatione verba iam referunt ad eum sensum qui in subsequentibus habetur: vultisne animas venari de populo meo et alias vobis in vita servare (*Sm.*)? *C.* hoc iam loco legi vult *animas occidere* propter membrum parallelum : animas vitae servare ; id tamen non est opus, cum animas venari vel capere etiam de interitu intelligi debeat.

Earum impietatem, studium lucri, fraudes, mendacia porro describit v. 19 « *et violabant me ad populum meum propter pugillum hordei et fragmen panis, ut interficerent animas quae non moriuntur, et vivificarent animas quae non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis* »; — Deum dicuntur *profanare*, contaminare (*S. Hier.*), contumelia afficere eumque vilem reddere et contemptibilem apud populum, quia pro re vili oracula Dei vendere, Dei nomine prolato scelestis blandiri, vitiosis prospera promittere audent. Quae enim maior ignominia quam Deum quasi socium et participem flagitiorum ostendere? Ea annuntiant quae veris Dei oraculis plane contraria sunt; praedicunt scil. fore ut qui se regi Babylonis dedant vel eius imperio acquiescant morte puniantur, quibus Deus tamen vitam et prosperitatem promisit, dum eos qui regi Babylonis obsistant salvos fore mentiuntur. Hoc nempe est *animas occidere*, morti adiudicare quae ex Dei decreto non morientur, et alias *vivificare*, vitam praedicere et promittere iis quae sua in Deum contumacia mortem oppetere debebunt. Ad quam rem vide Ier. 29,7 seq. ex quo loco patet, quomodo pseudoprophetae exsules in contrariam sententiam pertrahere conati sint; simile habes pro ipsa urbe Ier. 21,9 seq. — Quam grave ac molestum atque odiosum fuerit Iudaeis iugo Babyloniorum colla subiicere, ex eodem Ieremia videmus; quare facile explicatur quam avide populus fallacibus promissis aures mentesque aperuerit, quem amorem mendaciorum ultimo membro breviter describit.

Deus autem suorum curam geret sedulam. Fraudes et machinationes earum destruet, perniciem quam populo inferre student avertet.

Modus loquendi adaptatur sicut in parte priore v. 11 ad metaphoram qua mala earum sedulitas et adulatio descripta fuit v. 20 « *propter hoc haec dicit Dominus Deus : ecce ego ad pulvillos vestros quibus vos capitis animas volantes et dirumpam eos de brachiis vestris et dimittam animas quas vos capitis, animas ad volandum* »; — pulvillos vel fasciolas tamquam rete considerat quo animas capiunt, seducunt, perdunt, *volantes* i. e. quasi aves (*Prad. Lap. Men. Tir. Loch, Troch.*) et eodem modo hebr. לְפֹרְחוֹת etiam aliqui recentiores explicant (instar avium *Ges.* Thes. p. 1126, *Ewald, Sm.* aliique), dum alii vocem referunt ad *ecce ego ad pulvillos vestros* i. e. ego destruam retia vestra, ut animae possint avolare. Vocem eam h. l. LXX et *Syrus* non habent; atque si eam cum *C.* deleveris, sententia melius ac facilius currit. In ultimo membro vocem eam etiam veteres testes omnes legunt. Ex eo quod dicitur : dirumpam fascias vel tegumenta *de brachiis vestris* non sequitur, revera eiusmodi ab iis esse gesta, ut aliqui volunt; sed locutio similis est ei quam supra habemus v. g. ubi est litura quam linistis? porro cum fasciis illis animas capere existimentur, fascias manu tenere censetur; unde Deus eas e manibus vel brachiis eripere et dirumpere apte dicitur et animas quas ceperint dimittere liberas. Relicta metaphora promittit Deus se artificia et fraudes earum destructurum et quos deceperint dedocturum et ab earum insidiis liberaturum. Id magnam partem Deus praestitisse iure censetur eo quod veros mittebat prophetas, qui eas fraudis et mendacii convincerent et quod in pseudovates severe animadvertebat, cuius rei exempla habes Ier. 28,16; 29,21.

In ultimo membro hebr. legitur forma pluralis נְפָשִׁים quae nullibi occurrit et hoc loco eo magis offensioni est, cum immediate antea saepius legatur modo consueto נְפָשׁוֹת. LXX legunt ψυχὰς αὐτῶν; quare aliqui emendant נַפְשֹׁתָם (*Fürst*, *Hitz. Sm.*). *Syrus* eo loco vocem non legisse videtur, cum solum efferat : avolare faciam illas. *C.* emendat ita ut pro mas. את נפשים scribat אתן חפשים i. e. animas quas vos cepistis, eas liberas emittam; cf. Ier. 34,9. 10. *Delitzsch* l. c. p. XII asserit לפרחות ex usu sermonis assyriaci intelligi posse : ut eas (animas) praedam suam faciant.

Dein accommodate ad v. 18 idem dicitur de altero genere v. 21 « *et dirumpam cervicalia vestra et liberabo populum meum de manu vestra neque erunt ultra in manibus vestris ad praedandum et scietis quia ego Dominus* »; — i. e. non erunt ultra vobis in venationem, in praedam. Ipsa urbis et reipublicae ruina funditus evertentur fallacia earum vaticinia. Eo eventu dedoceri possunt qui antea iis fidem adhibuerunt. Unde *Theod.* : « liberabo eos a vestro mendacio persuadens ipsis per

mala quae sustinebunt haud amplius verbis vestris esse attendendum, sed me esse agnoscendum pro Domino atque hero ». Iahve se praebebit, verba sua in opus deducens. Demum se finem impositurum esse ait oraculis illis ac divinationibus adeo divinae voluntati contrariis v. 22 « *pro eo quod moerere fecistis cor iusti mendaciter quem ego non contristavi et confortastis manus impii ut non reverteretur a via sua mala et viveret*, v. 23 *propterea vana non videbitis et divinationes non divinabitis amplius et eruam populum meum de manu vestra, et scietis quia ego Dominus* »! — in v. 22 simul declaratur id magna ex parte quod v. 19 habetur. Iustos affligunt, quibus scil. poenam et interitum denuntiant, quia consilia sua ab eis contemni vident, dum Deo obsecuti iugum Chaldaeorum esse subeundum docent. Alia afflictionum genera in iis cernuntur quibus v. g. pseudovates Ieremiam vexaverunt vel quibus pii dolent, cum populum pessimorum hominum artibus ac mendaciis captum et seductum advertunt (*Calm.*). Notat *Prad.* : « observa quam pretiosa sit in conspectu Domini non solum mors, sed et lacrimae, gemitus vel moeror sanctorum eius, quanti ea faciat, quam severe rationem exigat non dico de occiso iusto, sed de tristitia qua affectus est sine causa ». Suis autem vaticiniis impios reddebant audaciores, pacem et bona promittentes impediebant, quominus illis de emendatione morum in mentem veniret; quare malos bono animo esse iubentes se reas faciebant interitus eorum. Quare Deus ut populi misere decepti misereatur se ablaturum esse minatur divinationes earum. Auferet autem, dum prophetides morte de medio tollet; unde comminatio mortis in verbis illis haud obscure habetur (cf. *Theod. Prad. Mar. Malv. Lap. Men. Tir. Calm. Loch, Troch.*); vide ad v. 9. Idque exemplis quoque docetur (Ier. 28,16; 29,21. 22). Ita quaecumque vana sunt et mendacia et quaecumque contra Dei consilia eriguntur, evanescant et pereant oportet.

d Contra idololatras 14, 1-11.

Iniquitatis satores et fautores descripserat pseudoprophetas et mulieres fatidicas. Verum non in iis solis tota reponitur culpa impietatis populi. Ubi praeterea quaerenda sit, hoc capite docemur v. 1 « *Et venerunt ad me viri seniorum Israel et sederunt coram me* »; — viri de senioribus (hebr.); igitur viri nobiliores qui magistratum aliquem gerebant, auctoritate valebant, iudices erant populi. Eos fuisse ex Palaestina cum nullo modo innuatur, seniores et magistratus inter exsules erunt censendi. Prophetam adibant, prout ex v. 4 colligitur, ut de re aliqua divinum exquirerent responsum; quae illa res fuerit

non indicatur. Propheta enim totus in eo est, ut quam late serpserit impietas describat; ceterum cum Deus rogantibus non dederit responsum, supervacaneum erat rei mentionem inferre; sederunt coram me vide **8,1**. Cur eis non fiat responsum, statim declaratur v. 2 « *et factus est sermo Domini ad me dicens :* v. 3 *fili hominis*, *viri isti posuerunt immunditias suas in cordibus suis et scandalum iniquitatis suae statuerunt contra faciem suam*, *numquid interrogatus respondebo eis* »? — immunditias vocat idola, deos scil. stercoreos quos illi ascendere fecerunt super cor (hebr.); i. e. hos statuerunt in corde, hos gerunt animis quasi infixos eorum venerationi dediti (*Prad. Mald. Lap.*); et quam aperte, sedulo, et quam firmo consilio idolis adhaereant, altero membro tangitur : idola scil. quae sunt offendicula iniquitatis, per quae magis magisque impietate et scelere onerantur, decreverunt semper ante oculos habere et ad illa oculos mentesque firmiter dirigere; ergo iis adhaerere, oblectari, ea colere et apud se et palam coram omnibus. Quam absonum esset et indignum talibus fieri responsum divinum, modo interrogationis exprimitur; hebr. poteris explicare : num patiar me adiri et inveniri ab eiusmodi? cf. 20,3; 36,37.

Quale responsum tales sint accepturi, propheta edocetur v. 4 « *propter hoc loquere eis et dices ad eos : haec dicit Dominus Deus : homo homo de domo Israel qui posuerit immunditias suas in corde suo, qui scandalum iniquitatis suae statuerit contra faciem suam et venerit ad prophetam interrogans per eum me, ego Dominus respondebo ei in multitudine immunditiarum suarum* »; — i. e. unusquisque de Israel; ceterum vide ad v. 3. Exinde patet inter exsules quoque idololatriam fuisse satis pervulgatam et cum haec senioribus dicantur, satis multos eo laborasse vitio in aperto est positum. Neque id adeo mirum est; nam qui in Palaestina cultum vicinarum gentium tam prompte adoptaverunt, etiam in Babylonia illecebris idololatriae babylonicae facillime capi poterant. Tali autem si a Deo responsum exquisierit Dominus respondebit, prout multitudine idolorum quae colit exigitur; « ego respondebo ei iuxta cor et immunditias suas, ut iuxta quod vult et credit, ita et audiat » (*S. Hier.*), ergo prout pro sua impietate meretur i. e. ultione ab eo capta et poenis immissis. In hebr. pro בה lege, prout *Houbig.* iam monet et *Sm. C.* adoptant, ex v. 7 בי : respondentem me ei exhibeo *per me,* ultione scil. inflicta, pro multitudine idolorum. Hanc autem responsionem dabit v. 5 « *ut capiatur domus Israel in corde suo quo recesserunt a me in cunctis idolis suis* »; — ut scil. poena inflicta corda eorum rebellia frangantur vel ut puniat non solum propter scelera omnibus nota sed etiam propter solum cordis mali affectum, ergo ut apprehendat vel manus inferat domui et familiae Israel

propter mentem a Deo aversam et idolis adhaerentem. Quomodo autem domum Israel sit capturus, v. 8 declaratur.

Sed Deus qua est benignitate minas proponit ne eas cogatur opere exsequi, verum ut territi ac moniti resipiscant. Quare in ipsa reprehensione clementiam suam manifestare non omittit, qua omnium salutem exoptat; inde v. 6 « *propterea dic ad domum Israel : haec dicit Dominus Deus : convertimini et recedite ab idolis vestris et ab universis contaminationibus vestris avertite facies vestras* »! — cf. v. 4; ut animos et facies avertant ab idolis eorumque spurcitiis postulat, igitur ut interne et externe omnem eiusmodi maculam a se removeant; « non solum scelera non admittatis sed ne ea quidem videre velitis » (*Pint.*). Quod si obsequi noluerint, grandis in eos exardescet ira et ultio Domini, quibus minis vim addit admonitioni v. 7 « *quia homo homo de domo Israel et de proselytis quicumque advena fuerit in Israel, si alienatus fuerit a me et posuerit idola sua in corde suo et scandalum iniquitatis suae statuerit contra faciem suam et venerit ad prophetam ut interroget per eum me, ego Dominus respondebo ei per me* v. 8 *et ponam faciem meam super hominem illum et faciam eum in exemplum et in proverbium et disperdam eum de medio populi mei, et scietis quia ego Dominus* »; — cf. v. 4; ad pudorem iis incutiendum in memoriam eis reducit legibus pentateuchicis ipsos quoque advenas i. e. homines alienigenas qui commorantur inter Israelitas prohiberi a variis sceleribus et ab idololatria; quare verba fere recitat ex Lev. 17,8. 10. 13; de legibus ad advenas pertinentibus vide v. g. Lev. 18,26; 20,2. Unde etsi in Babylonia inter exsules eiusmodi advenae non adfuerint, tamen vates ita loqui potuit, ut ostenderet quid Deus ab ipsis alienigenis postularet, quanto magis ergo a suis. Ceterum, uti postmodum in omnibus regionibus proselytae exstiterunt, ita omnino probabile est in Babylonia quoque aliquos se Iudaeis adiunxisse; fortasse etiam nonnulli ex stirpe aliena qui olim inter Iudaeos in Palaestina habitaverant simul cum eis in Babyloniam abducti sunt. Quid sit : *ego Dominus ei respondebo per me,* explicatur v. 8 : pro responso ei magna cum ira tales infliget poenas, quibus evadat exemplum et argumentum ultionis divinae et sua sorte et castigatione abeat in proverbium; demum ex censu populi Dei, et proinde etiam ex libro vitae delebitur; minas eas vates profert quae iam lege in impios statuuntur; cf. Lev. 20,3. 5. 6. Deut. 28,37. Has minas non inaniter proferri, suo damno experientur idque ultimo membro ex ipso nomine *Iahve* confirmat.

In v. 8 LXX, *Syrus*, *S. Hier. Chald.* habent θήσομαι, *faciam* et sim.; proinde in hebr. verbum שׂים legerunt. Textus *mas.* fert הֲשִׁמֹּתִיהוּ, quam formam aliqui ad

שִׁמֹּם referunt : *obstupescere faciam*. Qui loquendi modus nimis turgidus videtur. Unde textus hebr. secundum veteres versiones corrigendus videtur et scribendum cum *C*. שׂמתיו. Cum Deut. 28,46 signum אות, in signum esse היה לאות notione simili legatur, haec vox retineri potest, quam *Syrus*, *S. Hier. Chald.* etiam tuentur. In graeco autem legitur εἰς ἔρημον καὶ εἰς ἀφανισμόν (ergo משמה pro משל?); *C*. sententiam ex Ier. 24,9 rescribendam censet : לחרפה ולמשל.

Atque ne ulla ratione sibi salutem promittant idololatrae et fautores iniquitatis, addit : etsi vobis adsunt oracula fausta prophetarum, haec falsa sunt, haec a deceptis et deceptoribus sunt profecta et a Deo vobis irato in iustam impietatis poenam permissa v. 9 « *et propheta cum erraverit et locutus fuerit verbum, ego Dominus decepi prophetam illum et extendam manum meam super illum et delebo eum de medio populi mei Israel* »; — hebr. *et propheta si deceptus fuerit et dixerit verbum* etc.; agi de pseudopropheta patet; quomodo Deus dicatur eum decipere, complures bene illustrant ex 3 Reg. 22,19-23 (*S. Hier. Mald. Mar. Calm.*); Deus scil. iusto iudicio permittit ut perversus populus et incredulus magis pseudoprophetas audiat quam prophetas (*S. Hier.*); ipsi autem prophetae obiicit occasionem falsa vaticinandi neque ullo pacto eum impedit quominus pro suo libero arbitrio perverse agat (cf. *Est.*); « non redargui cum possem, toleravi eius mendaces prophetias et promissiones, ut per eum puniam interrogantes non me, sed idola et eorum prophetas » (*Lap.*). Cur itaque ipse Deus dicatur decipere, haud incongrue declarat *Prad.*, « quoniam talia fieri permittit atque adeo vulgo ea voluisse et ordinasse iudicari posset; humano enim more loquendo removenti prohibens effectum adscribimus, si non in schola, certe in foro; sacra autem Scriptura de Deo humano modo loquitur. Dein, quoniam Dei permissionem solet consequi effectus; tanta est enim hominis fragilitas et ad malum propensio, tanta rursus daemonis sollicitudo et versutia in decipiendo, ut annuente Deo statim nobis veterator imponat; propter connexionem ergo permissionis et deceptionis alteram facienti altera quoque tribuitur ». In eo loquendi modo *S. Hier.* id quoque exprimi cernit, ne pseudoprophetarum fortitudini reputetur quod decipitur populus et magis vult audire mendacium quam veritati aurem accommodare, sed ut ibi ira Dei et iusta poena agnoscatur. Hisce igitur declarat aliud oraculum non dari illis nisi quod v. 6-8 continetur; proinde eum qui fausta iis vaticinetur esse deceptorem quem Deus aperte puniet.

Poenam autem Deus et vaticinanti et interroganti infligit, ut tandem populus poenis eruditus resipiscat; Deus igitur cum iuste punit, misericordiae est memor et errantes ad se reducere vult v. 10 « *et porta-*

bunt iniquitatem suam; iuxta iniquitatem interrogantis, sic iniquitas prophetae erit, v. 11 *ut non erret ultra domus Israel a me neque polluatur in universis praevaricationibus suis, sed sint mihi in populum et ego sim eis in Deum, ait Dominus exercituum* »; — portare iniquitatem est poenas iniquitati debitas et ex ea ortas portare et luere; utrumque par consequitur iniquitas et poena; pseudovates enim Dei nomine se responsa dare iactabat mendaciter, qui autem eum consuluit, se oraculum Dei quaerere mentiebatur, cum potius id ratum fieri cuperet quod ipse sibi faciendum modis omnibus statuerat (*Prad.*); praeterea norma per verum prophetam proposita nemo ignarus esse potuit de divino decreto; si igitur fausta exquirit oracula, se decipi aperte vult vel Deo fidem denegat. Utrumque autem Deus poenis coercet, « ut illorum interitu populo meo benefaciam et eum ab illorum impietate vindicem » (*Theod.*). Iudicia illa in eum finem a Deo diriguntur, qui est finis totius theocratiae et totius providentiae supernaturalis, ut tandem populus Dei evadat perfectus et foederis olim initi ratio perfecte exprimatur, ut efficiatur summa illa beatitas, quae in eo consistit, ut populus se plane Deo committat et ut vicissim bona Dei fiant bona populi; vide 11,20. Ier. 31,33. Quod divinum consilium eo praeclarius hoc loco proponitur et eo tempore enuntiatur, quo ruinam urbis et regni iam non posse averti satis constat; veteri itaque ruinae se velle novum idque magnificentius superstruere aedificium et ad hanc instaurationem se erudire populum in exsilio commorantem Deus insigni modo promittit. En quomodo tristibus laeta inspergat! Haec ad consolationem piorum, ne cernentes ruinam de divinis promissis dubitent, haec simul ad alliciendos proferuntur peccatores, ut promissione bonorum ad Deum reducantur.

c) Iam nulla admittetur intercessio 14, 12-23.

Inter Iudaeos notum erat, quomodo futurum fuisset ut Sodomitae ab exitio eximerentur, si pauci inter illos inventi essent viri probi, quomodo Moyses supplicatione sua iram Dei avertisset, etc.; unde facile opinio enasci potuit etiam in animis piorum, fore ut Deus urbi quoque Ierusalem parcat iustorum gratia. Quemadmodum igitur cetera fiduciae fulcra iis adimuntur (cf. Mich. 3,11. Ier. 7,4), ita firmo Dei decreto statuitur in ea rerum conditione ipsa quoque virorum sanctorum apud Deum intercessione non posse poenam flagitiosis debitam averti v. 12 « *Et factus est sermo Domini ad me dicens :* v. 13 *fili hominis, terra cum peccaverit mihi, ut praevaricetur praevaricans, extendam manum meam super eam et conteram virgam panis eius et immittam*

in eam famem et interficiam de ea hominem et iumentum; v. 14 *et si fuerint tres viri isti in medio eius : Noe, Daniel et Iob, ipsi iustitia sua liberabunt animas suas, ait Dominus exercituum* » : — peccatum designatur tamquam perfidia; cf. מַעַל Lev. 5,15; 6,2 (5,20); 26,40. Num. 5,6. 12; 31, 16. Deut. 32, 51 vel tamquam obstinatio contra Dei praeceptum. Cum panis cor hominis confirmet et e contra genua dicantur infirmari a ieiunio (Ps. 103,15; 108,24), facile intelligitur, cur de *baculo* vel *fulcro* panis mentio fiat; iam Lev. 26,26 totidem verbis se baculum panis esse confracturum Dominus minatur; vide ad 4,16 et 5,16. Consuetum est, ut simul cum homine peccatore etiam creatura affligatur, sicut a contrario in instauratione messianica cum homine amico Dei etiam creatura saepe dicitur gloria exornari. Cum tres illi iusti sibi solis prodesse censeantur, iam tacite innuitur quod in seq. explicite affirmatur v. 15 « *quodsi et bestias pessimas induxero super terram, ut vastem eam et fuerit invia, eo quod non sit pertransiens propter bestias,* v. 16 *tres viri isti si fuerint in ea, vivo ego, dicit Dominus Deus, quia nec filios nec filias liberabunt, sed ipsi soli liberabuntur, terra autem desolabitur* »; — vide Lev. 26,22 : immittam in vos bestias agri quae *consumant* vos et pecora vestra et ad paucitatem cuncta redigant, *desertaeque* fiant viae vestrae; unde hoc loco quoque dicitur hebr. eadem phrasi *orbare*, terram reddere orbam atque *desertam* vel inviam vel eam redigere in solitudinem.

Ut igitur omni intercessione exclusa res iam eo devenisse statuatur, quod ne iustissimi quidem ruinam avertere et civibus, immo ne filiis quidem vel filiabus, prodesse possint, tres illi nominantur, quorum virtus et probitas notissima erat et qui « iustitiae splendore inter nationes pravas luxerunt, ut luminaria in firmamento coeli » (*Prad.*); ita Noe eminuit iustitia, ita Iob ab integritate commendatur, ita Daniel in aula regis babylonici legis observantia et pietate eminuit, quorum iustitia eo maiore laude digna erat, quia inter malos sanctissime vixerunt (cf. *Lap. Men. Tir.*).Cum Daniel anno tertio vel quarto Ioakim in Babyloniam esset abductus, anno sexto transmigrationis Ioachin regis iam annum quartum decimum in Babylonia degebat (cf. Dan. 1,1 seq. Ez. 8,1); unde spectata eius virtus et pietas in aula regis babylonici probata et eximius ille legis observandae amor perbene nota esse poterant inter exsules. Atque ex eo quod duo nominantur antiquissimi, unus recentissimus, vis orationis crescere videtur, quasi asseratur, etsi iustitia quae ab antiquissimo tempore exstiterit cum recentissima coniuncta in unum quasi colligeretur, tamen futurum non esse, ut poena avertatur. Insuper quam certo decreto Deus velit punire, etiam eo indicatur, quia cum Noe, Iob, Daniel aliis revera utilitatem et salu-

tem attulerint, tamen huic populo nullam afferre posse dicuntur. Noe secum a diluvio servavit filios et uxores filiorum, immo et partem creaturarum; cum sacrificium offerret, Deus ei promisit se nequaquam ultra interfecturum omnem carnem aquis diluvii (Gen. 9,11); Iob oravit pro amicis et faciem eius Deus suscepit, ut iis non imputaretur stultitia (Iob 42,8. 9); Daniel oratione sua impetravit, ut non perirent ipse et socii sui et ceteri sapientes Babylonis (Dan. 2,18). Verum tanta est huius populi malitia et tam firmum Dei decretum, ut hi tres iam nihil salutis pro ipso impetraturi essent, etsi inter eum praesentes preces suas pro eius incolumitate coniungerent. Norma igitur communis et lex ordinaria est, ut virorum sanctorum praesentia et intercessio multum emolumenti et utilitatis civibus afferat; ab hac norma propter maximam populi perversitatem hoc loco statuitur exceptio; sed prout vulgo dicitur, exceptio confirmat regulam; unde iuremerito inferunt interpretes catholici ex hoc quoque loco, quam utilis sit intercessio et oratio virorum sanctorum et proinde utile quoque esse maximeque consultum, ut eorum intercessio a nobis efflagitetur. Eadem statuitur exceptio, qua tamen norma generalis confirmatur Ier. 7,16; 11,14; 14,11; 15,1; atque Deum revera velle, ut v. g. a prophetis fiat pro populo intercessio, etiam ex reprehensione pseudoprophetis facta Ez. 13,5 aperte consequitur.

Cur tres illi : Noe, Daniel, Iob nominentur, varie explicant. Illos appellari quia fuerint viri sancti, Deo amicissimi aliorumque salutis amantissimi, generatim consentiunt. Sed quae praeterea sit ratio peculiaris inquirendum est. Non desunt qui censeant eos nominari quia sua aetate alios ab interitu liberare non potuerint; ita Noe non potuisse avertere stragem illam communem neque per Iobum filios a morte esse liberatos neque per Danielem populi captivitatem esse impeditam (cf. *S. Hier. Theod. Mald. Mar. Calm. Loch, Troch.*). Verum hac acceptione oratio potius languescere videtur. Diceretur enim : tres illi qui antea nihil pro aliorum salute effecerunt, ne nunc quidem efficient; qua in re non tam reprehensio aequalium quam eorum cum aliis aequiparatio exprimitur neque adeo mirum est, si qui antea nihil contulerint ad aliorum incolumitatem, iterum nulli prodesse dicuntur. Neque sufficit statuere illos nominari, « quod illi tres ab impendente morte de qua hic agebatur, Noe ab illuvione, Iob a pestifera morte, Daniel a leonibus ob suam iustitiam olim fuissent divinitus liberati » (*Mald.* sim. *Malv.*); at illa a leonibus liberatio post tempus satis longum contigit (Dan. 6,16; 14,30; cf. *Cornely*, Introd. II 2 p. 510), quare *Malv.* melius Danielem e communi caede sapientium ereptum esse commemorat (Dan. 2,13) id quod anno secundo Nabuchodonosor i. e. quinto vel sexto anno Ioakim regis Iuda evenerat. Nihilominus, cum nostro loco tamquam res peculiaris efferatur ne filios vel filias quidem per eos iri liberatum, vis comparationis alibi quae-

ratur oportet. Neque ei satisfit explicatione quam ex Origene depromptam (*M.* 13,703) *S. Hier.* perpolivit : « alii autem dicunt quia hi tantum tres viri et prospera et adversa et rursum prospera conspexerunt et hoc significari etiam populum Israel, quia prius bonis fruitus erat et postea captivitatis sustinuit iugum, si egerit poenitentiam, redire ad pristinam felicitatem ». Verum propius ad rem accedit, quod ex S. Chrysostomo *Pint.* monet viros illos pro aliorum salute preces ardentissimas ad Deum fudisse; sed addendum est cum eodem *S. Chrysostomo* (homil. 43 in Gen. *M.* 54,397) id quod iam habet *S. Ephr.* : Noe servavit liberos et nurus, Iob eripuit amicos suos et Daniel in Babel liberavit sapientes et socios suos; similiter *Est.* rem concipit et haec explicatio est retinenda, quippe qua ratio continetur, cur de filiis mentio fiat et qua oratio Dei fit ferventior et minae graviores intentantur.

Non desunt ex recentioribus qui hoc loco et 28,3 de alio aliquo Daniele qui ceteroquin ignotus tempore vixerit antiquissimo sermonem esse velint. Ita *Sm.* per se illucescere asserit non posse intelligi iuniorem illum aequalem Ezechieli, sed alium ex traditione populari ab antiquo tempore notum; simili modo alii loquuntur et etiam ex eo arguunt, quia Daniel ponitur inter Noe et Iob, id quod v. g. *Reuss* praecipue urget. Sed adverti oportet de alio quodam Daniele antiquo nullum prorsus adesse vestigium, ut illi ipsi fatentur, dein Danielem debuisse notum esse aequalibus quam maxime et demum quae de Daniele ex eius libro constant ea esse quibus et Danielis pietas et sapientia maximopere commendetur. Nam anno sexto a Ioachin transmigratione Daniel iam magnam adeptus erat gloriam. Sapienti illo iudicio in causa Susannae lato innotuerat; innotuerat iam antea pia illa religione qua in aula regia legem observabat; in ipsa aula prae ceteris aequalibus sapientiae famam acquisierat; « dedit Deus Danieli intelligentiam omnium visionum et somniorum » (Dan. 1,17); dein secundo anno Nabuchodonosor cum somnum regis et indicasset et explanasset, « rex Danielem in sublime extulit et munera multa et magna dedit ei et constituit eum principem super omnes provincias Babylonis et praefectum magistratuum super cunctos sapientes Babylonis » (2,48). Cum itaque Daniel talis esset ac tantus in aula regis, quid magis obvium est quam ut eius gloria et summa admiratio inter exsules celebrata sit? ut tamquam perfectae pietatis et iustitiae exemplar a vate proponatur, quippe qui in ipsa aula regis summa edat pietatis exempla? Sane ea omnia inter exsules nota erant. Si itaque in ea rerum conditione vates Danielis mentionem facit inter viros pietate insignes et 28,3 eius commendat sapientiam et rerum occultarum scientiam, de quonam Daniele exsules necessario cogitasse censendi sunt? nonne de eo ipso cuius laudes apud omnes ferebantur et qui populo iudaico tantam in aula regia attulerat gloriam? Si antiquiorem quendam Danielem indicare voluisset vates, id verbo aliquo addito debuit declarare eo scil. tempore quo coaevi Danielis nomen apud exsules celebre erat. Vide de hac re *Fabre d'Envieu*, Le livre du prophète Daniel, Paris 1888, I 1 p. 2-13.

Et quam serio ac firmiter talia Deus apud se constituerit, repetita assertione confirmat addens ex Lev. 26,25 (vide supra 5,12) duas alias plagas : gladium et pestilentiam v. 17 « *vel si gladium induxero super terram illam et dixero gladio : transi per terram, et interfecero de ea hominem et iumentum,* v. 18 *et tres viri isti fuerint in medio eius, vivo ego, dicit Dominus Deus, non liberabunt filios neque filias, sed ipsi soli liberabuntur* »! — nota quomodo affectus et indignatio loquentis crescat: v. 14 ipsi liberabunt animas suas v. 16 et 18 iuramento addito affirmatur ne filios filiasque quidem iri liberatum, sed solos ipsos, et in v. 20 ne unum quidem filium vel unam filiam posse ab iis eripi; v. 19 « *si autem et pestilentiam immisero super terram illam et effudero indignationem meam super eam in sanguine, ut auferam ex ea hominem et iumentum,* v. 20 *et Noe et Daniel et Iob fuerint in medio eius, vivo ego, dicit Dominus Deus, quia filium et filiam non liberabunt, sed ipsi iustitia sua liberabunt animas suas* »! — effudit scil. iram *in sanguine*, ita ut caedes et strages exsistant, quibus vita et sanguis funditur; vita enim in sangüine esse concipitur (Lev. 17,11; *Pint. Mald. Lap.*). Habet vim quod nomina denuo repetuntur in fine.

Quae dicta sunt, applicantur ad Ierusalem et regnum iudaicum i. e. ruina regni et urbis nequit averti; reliquiae populi in exsilium abducentur : v. 21 « *quoniam haec dicit Dominus Deus : quod et si quattuor iudicia mea pessima, gladium et famem ac bestias malas et pestilentiam immisero in Ierusalem, ut interficiam de ea hominem et pecus,* v. 22 *tamen relinquetur in ea salvatio educentium filios et filias; ecce ipsi ingredientur ad vos et videbitis viam eorum et adinventiones eorum et consolabimini super malo quod induxi in Ierusalem, in omnibus quae importavi super eam* »; — *quoniam* v. 21 declaratur, ad quid tandem norma illa a v. 13 proposita dirigatur et ubi illa in opus sit deducenda; אף כי explica : quanto magis si induxero... una scil. ex illis plagis et afflictionibus iam satis esse potest ad urbem aliquam exhauriendam; v. 22 *et ecce relinquentur in ea elapsi, qui educuntur, filii et filiae, ecce ipsi ingredientur...* isti scil. ex terra Domini eiecti ubique testes erunt regni destructi. Simul ex eorum moribus improbis cognoscent reliqui necesse fuisse ut Deus eos castigaret; quare dolorem de ruina urbis aequiore animo ferent acquiescentes divinis consiliis et quam iusta fuerit ultio plane perspicientes; *consolabimini* accipe uti saepius sensu passivo. Qua voce propheta simul innuit quam magna sit perversitas populi in Iudaea degentis, ut scil. exsules iniquitates eorum et mores pessimos videntes sibi dicturi sint : merito urbs cecidit. Quam iustam exegerit ultionem Deus, exsules fore ut discant ex impietate eorum qui in exsilium abducentur, iterum monet v. 23 « *et con-*

solabuntur vos, cum videritis viam eorum et adinventiones eorum et cognoscetis quod non frustra fecerim omnia quae feci in ea, ait Dominus Deus »; — *consolabuntur vos* cum magna reprehensione scelerum dicitur : visis iis dolorem de urbe destructa deponetis; hebr. *viam eorum et opera* i. e. eorum mores et vivendi agendique rationem.

Ita hos versus iuremerito concipiunt plerique: cf. *Theod.* : « et vos conspecta istorum improbitate haud accusabitis poenarum crudelitatem; hac enim de causa non omnes funditus perdam sed relinquam ex ipsis qui salventur per quos omnes iustum fuisse illatum ipsis supplicium cognoscant »; sim. *S. Hier. Prad. Sa, Mar. Lap. Tir. Calm. Loch, Troch.*; a contextu et verbis abest quod *Pint.* et *Mald.* in v. 22 exprimi volunt : « cum videritis calamitatem quam inducam in Ierusalem, existimabitis bene vobiscum actum esse, quod vos consilio Ieremiae regi Babylonis tradideritis »; nam *via et opera* non de fortuna adversa sed de moribus dicuntur. Multo magis autem a vero aberrant qui in v. 21-23 exprimi censent Dominum non esse ex norma v. 13 seq. exposita fata Ierusalem administraturum (*Sm.*) quia scil. non omnes sint interituri, sed aliqui evasuri; quare iam *Vat.* similem enuntiavit sententiam. Sed isti non attendunt agi de interitu urbis et regni et hunc interitum a nullo averti posse asseri. Iam vero urbs et regnum iure perdi dicitur, etsi non ad unum omnes incolae interficiuntur. Dein satis mirum esset si a v. 13-20 norma illa proponeretur, ut tandem de urbe a v. 21 diceretur contrarium; ad quid repetita illa affirmatio, si in fine Deus diceret se parcere etiam nullo intercedente? Porro ne cogitari quidem potest, ubi illa norma sit applicanda, si in ruina urbis eam applicari negaveris, neque quae sit illa terra, si regnum iudaicum excluseris. Quare perperam illi quoque explicant qui elapsos illos (filios et filias) iustos esse opinantur (*Men. Hitz.*). Contextu enim plane cogimur de improbis explicare; idem usu vocis עלילה roboratur quae apud Ezechielem ubique malo sensu adhibetur; cf. 20,43. 44; 21,24; 24,14; 36,17. 19. 31; demum haec explicatio ex falsa acceptione enata est quasi illi qui ruinam urbis effugiant iusti esse debeant; sed non eam esse vim verborum v. 13 seq. neque in applicatione ad casum urbis regnique totius hunc esse posse sensum, iam notatum est.

f) De populi corruptione 15, 1-8.

Postquam actum est de improbitate pseudoprophetarum cap. 13 et seniorum Israel 14,3 seq., iam ulterius necessitas ultionis divinae ex populi corruptione demonstratur et simul aliud falsae fiduciae fulcrum subvertitur. Quemadmodum enim 14,13 seq. docuerat non fore ut Deus propter iustos parcat impiis, ita nunc ostendit tantum abesse ut electio ad dignitatem populi Dei iis subsidio sit, ut necessario ruinae vertatur nisi dignos ea electione fructus tulerint. Utrumque brevi ac perspicua parabola proponitur. Ut bene iam monent *S. Hier. Theod. Pint. Mald.*.

populus electus haud raro viti vel vineae comparatur Deut. 32,32. Is. 3,14; 5,1 seq. Os. 10,1. Ier. 2,21. Ps. 79,9; unde parabola facile fluit: v. 1 « *Et factus est sermo Domini ad me dicens :* v. 2 *fili hominis, quid fiet de ligno vitis ex omnibus lignis nemorum quae sunt inter ligna silvarum* »? — hebr. *quid est lignum vitis prae omni ligno sarmenti quod est in lignis silvae?* i. e. qua re erit praestantius lignum vitis ceteris lignis silvestribus (cf. *Vat. Mald. Malv.*)? et responderi debet : non modo non praestat, verum omnibus est inutilius et vilius v. 3 « *numquid tolletur de ea lignum ut fiat opus aut fabricabitur de ea paxillus, ut dependeat in eo quodcumque vas* »? — « cetera ligna silvarum (ut de pomiferis arboribus taceam, quarum et Scriptura modo nullam facit mentionem) cum poma non habeant, succisa plurimam praebent utilitatem et in omnem agriculturam et in usum armorum proficiunt... vitis autem si semel uvas afferre cessaverit, in tantum inutilis est, ut ne paxillus quidem ex ea possit fieri, de quo aliquid pendeat » (*S. Hier.*).

Si vitis iam non affert uvas, nihil relinquitur nisi ut igni tradatur v. 4 « *ecce igni datum est in escam; utramque partem eius consumpsit ignis et medietas eius redacta est in favillam; numquid utile erit ad opus?* v. 5 *etiam cum esset integrum, non erat aptum ad opus, quanto magis cum illud ignis devoraverit et combusserit, nihil ex eo fiet operis* »? — hebr. *utramque extremitatem* (*Vat. Mald. Mar. Lap.* etc.); lignum vitis statim igne in favillas redigitur; ex aliis lignis igni iniectis facile remanent vel servari possunt titiones, ex quibus paxillus aut aliquid aliud fieri potest. Unde lignum vitis omni modo inferius esse aliis deprehenditur (cf. *Mald. Mar. Lap. Men.*). Quare applicatione facta ad populum Israel dicendum erit : quamvis sit populus electus a Deo, si desierit dignos ea electione fructus ferre, peior erit magisque contemptibilis reliquis omnibus. Inde confirmatur proverbium : corruptio optimi pessima. Unde bene *S. Hier.* : « haec vinea quamdiu affert fructus, in omnibus lignis saltuum nihil ea pretiosius est; sin autem uvas habere desierit, in nullo utilis erit, nisi ut cum radice et propaginibus suis tradatur incendio ». Quare in ipsa parabola omnis gloriationis ansa iis subtrahitur; eo quod *vitis* appellantur, dignitas et excellentia agnoscitur; fructus enim vitis Deum et homines laetificat (Iud. 9,13; vide *de Hummelauer* ad h. l.); verum ad quid deveniant, nisi digne electione divina vixerint, efficaciter ad pudorem incutiendum proponitur. Nam iura eorum et beneficia praecipua iis ad maiorem ignominiam poenamque verti demonstratur.

Unde quia vitis Israel uvas afferre desiit (cf. Is. 5,2), ei ignis continget : v. 6 « *propterea haec dicit Dominus Deus : quomodo lignum vitis inter ligna silvarum quod dedi igni ad devorandum, sic tradam ha-*

bitatores Ierusalem »! — cum demum urbs et templum igni sint combusta (4 Reg. 25,9), eo aptius in parabola sors futura delineata cernitur. Neque una illa afflictione erit satisfactum; uti 5,1 etc. indicavit propheta etiam in reliquias fore furorem Domini effundendum, ita hoc quoque loco v. 7 « *et ponam faciem meam in eos; de igne egredientur et ignis consumet eos, et scietis quia ego Dominus, cum posuero faciem meam in eos* »; — cf. v. 4,5; etiam eos qui in exsilium abducentur Deus vultu torvo et irato persequetur, si scil. in pravitate obstinati manserint; *ponere faciem* vide 13,17; 14,8. Hebr. *de igne egressi sunt* i. e. iam ambusti sunt et castigati illo iudicio, urbe scil. regnoque destructis; sed alia eos manent in terra aliena. Quanta enim cum morum perversitate perventuri sint in regiones exsilii, iam 14,22. 23 declaratur. Verum exsules ait quoque testes fore quomodo Deus illos persecuturus sit indeque Deum veracem et consiliorum suorum exsecutorem cognituros. Idem testimonium cunctis praebetur ab ipsa terra palaestinensi in silentium ac solitudinem redacta v. 8 « *et dedero terram inviam et desolatam, eo quod praevaricatores exstiterint, dicit Dominus Deus* »; — cf. 14,13. 15; eo quod perfidi peccatores appellantur, lignum vitis esse plane inutile declarantur.

In v. 2 הַזְּמוֹרָה secundum LXX et *S. Hier.* iungitur cum antecedente : secundum accentum *mas.* ab eo separatur; quare aliqui vertunt : quid praestat lignum vitis ceteris arboribus? palmes qui erat inter arbores silvae? cf. *Ros. Schr. Keil, Sm.*; quae tamen sententia minime fluit. Cur de palmite silvestri mentio fieret? non enim comparatio cum vite silvestri instituitur; neque innuitur vitem silvestrem esse transplantatam et cura Dei in vitem nobiliorem mutatam, id quod *Schr.* intelligere videtur. Quare vox cum LXX et *S. Hier.* antecedentibus est iungenda in notione *sarmenti* (cf. *Ges.* Thes. p. 421; *C.*) et ut *Houbig.* monet accentus *mas.* est plane h. l. negligendus. *S. Hier.* vertens *nemorum* sensum secutus est; notat : « pro eo quod nos interpretati sumus : utramque partem eius consumpsit ignis, LXX transtulerunt : annuam purgationem eius consumit ignis »; unde non שְׁנֵי legerunt, sed vocabulum ad שָׁנָה retulerunt; in voce autem קְצָה (finis, extremitas) « fortasse respexerunt notionem abradendi et abscindendi quam habet hebr. קָצָה, cui adiuncta est notio purgationis; est enim h. l. κάθαρσις id quod de vite quotannis putatur et igni tradi solet » (*Schleusner*, Thes. vet. test. III p. 138); quod sequitur « et dimittit in finem » καὶ ἐκλείπει εἰς τέλος, videtur esse ad sensum expressum pro נחר combustum est (cf. *Schleusner*, l. c. II p. 287; *C.*).

g) Parabola de electione populi 16, 1-14.

In parabola de vite duo continentur : ad quam dignitatem et excellentiam populus fuerit a Deo evectus et electus, vitis enim planta est nobilis et egregia, et cui supplicio et abiectioni sit demandandus populus, si non dignos electione divina fructus fecerit. Huic argumento

prorsus cognatum est quod iam sequitur altera parabola expressum. Sub persona enim filiae in conditione miserrima et humillima natae, sed a Deo assumptae, exornatae et ad sponsae dignitatem evectae, quae tamen multipliciter perfidam se et adulteram praebuit, historia texitur populi Israel, ex qua cognoscatur quanta adsit in eo perversitas, quam igitur iusta et necessaria sit ultio divina. Quare post duces populi, pseudoprophetas et seniores, etiam hoc capite populus de sua reprehenditur iniquitate et aliae afferuntur rationes, cur iudicia divina eo modo quo a propheta a cap. 4 et deinceps et repraesentata et visa sunt in populum devolvi oporteat. Ut enim hisce iudiciis ille quem Deus vult emendationis fructus habeatur, praeprimis opus est ut populus cognoscat et agnoscat quid peccaverit et cur demum a Deo illae castigationes immittantur. Haec quippe cognitio primus est ad emendationem veluti gressus. Quare tota parabola sub ea ratione proponitur, ut populo notae fiant abominationes v. 1 « *Et factus est sermo Domini ad me dicens :* v. 2 *fili hominis, notas fac Ierusalem abominationes suas* »! — ergo quomodo exstiterint praevaricatores 15,8 i. e. perfidi et foedifragi, vates annuntiare (LXX διαμάρτυραι, testificare העיד pro hebr. הודע) iubetur. Culpa quidem describitur quae per totam gentem saeculorum decursu accrevit; at quod pro tota gente Deus fecit et tota gens Deo retribuit, idem pro ratione singulorum in uniuscuiusque vita quoque deprehenditur. Vocans autem Ierusalem, centrum theocratiae ubi sedem thronumque Deus collocaverat, cui abominationes sint indicandae, statim declarat et quam ingratus pro summis beneficiis exstiterit populus quamque protervus et impudens Deo utpote singulari modo praesente, et quam merito ea urbs excidio sit tradenda. Agit igitur Deus, ut *Theod.* adnotat, sapientis medici more qui morbi gravitatem docet, ut ipsum morbum agnoscentes desinant morbo suppeditare materiam; unde vati dicit : ostende vulnera, demonstra ulcera ipsius, ne existimet supplicium esse nimiam severitatem.

Atque primo quidem quo magis accusetur ingratus populi animus, beneficia ei divinitus collata recensentur. Quamvis enim gens esset originis plane miserrimae et humillimae qua nihil praestaret ne prae scelestissimis quidem gentibus, tamen a Deo sine ullo suo merito benigne est accepta et ad summam dignitatem evecta (v. 3-14). Quare primum populi nondum a Deo vocati statum et conditionem describit v. 3 « *et dices : haec dicit Dominus Deus Ierusalem : radix tua et generatio tua de terra Chanaan; pater tuus Amorrhaeus et mater tua Cethaea* »; — hebr. *origines tuae et nativitates tuae;* cum de gente agatur, bene adhibetur numerus pluralis. Sensum bene

declarat *Mald.* scil. agi hoc loco non primo et per se cui se similem reddiderit Ierusalem vel gens morum similitudine (uti plerique explicant), sed ipso argumento postulari, ut de prima iudaicae gentis barbarie et de Dei in ea excolenda beneficiis mentio fiat; igitur bene exponit: « antequam ego te eligerem, ornarem, uxorem ducerem, adeo barbara et inculta eras, ut inter Chananaeos et Amorrhaeos nata fuisse viderere ». Ergo nihil in ea gente ante divinam electionem aderat quo prae reliquis gentibus commendaretur; immo potius aderant quibus inferior esset ac vilior. Id enim significatur origine ex terra Chanaan, quae regio incolarum sceleribus erat maxime infamis (cf. Lev. 18,2. 24. 25. 28; 20,22. 23. Deut. 9,4; 12,31; 18,9-12. Sap. 12,3 seq. Dan. 13,56). Et quasi non unius gentis in Chanaan degentis indolem in se colligeret pessimam, sed plurium tribuum in unum coacervasset et hereditasset malitiam, pater eius declaratur Amorrhaeus, qui ex Gen. 15,16 iniquitate inter alias tribus eminuit, et mater Cethaea, quia Cethaeorum feminae impudentia et lubricitate erant infames (cf. Gen. 27,46; *Lap. Tir.*). Dicit itaque Deus gentem iudaicam ex sese nihil habuisse coram Deo quo prae aliis commendaretur; immo — et hoc utique ad notionem illam originis primariam consequitur — talem se moribus exhibuisse, ut potius aemula exstiterit multiplicis pravitatis aliorum. Unde si de origine quaeritur, eandem habuit cum reliquis gentibus et ex illa colluvie sordium quae omnibus erat communis est singulari Dei consilio electa. Haec dici possunt, etsi ad primam populi originem ascendimus. Abraham enim ex gente idololatra est electus, separatus a Deo; unde patres populi diis serviisse dicuntur (Ios. 24,2; cf. Gen. 36,30 seq.). Haec quoque valent, si origines populi retuleris ad tempus illud commorationis aegyptiacae quo ex paucis illis peregrinis ingens multitudo est exorta. Gentis enim iuventus dicitur tempus exitus ex Aegypto, uti ex subsequentibus patet et iam Os. 2,15 et Ier. 2,2 clare enuntiatur; quare ortus gentis ad tempus aegyptiacum referri potest, quo tempore conditio populi servitute pressi et variis flagitiis dati sane non ea erat qua prae aliis gentibus emineret.

Miseram et abiectam gentis conditionem ita describit, ut puellae in lucem editae omnia illa negata esse dicat quae recenter natis adhibentur v. 4 « *et quando nata es, in die ortus tui, non est praecisus umbilicus tuus et aqua non es lota in salutem nec sale salita nec involuta pannis* »; — « umbilicus quidam ductus est loro similis, quo foetus succum vitalem trahit, dum utero matris clauditur, qui edito foetu obligatur ac sub ligatura scinditur » (*Calm.*); quod si non factum fuerit, actum est de vita recenter nati. Unde innuit quam miseram vitam vel potius mortem vixerit gens in servitute aegyptiaca. Recenter nati la-

vantur ut a sanguine sordibusque purgentur; quod balneum *ad salutem* i. e. ut bene se habeant et valeant sane aliquid confert; ita scil. *S. Hier.* hebr. לְמִשְׁעִי cum *Aq. Theod.* vertit quam vocem LXX non exprimunt neque *Syrus; Chald.* habet: ad emundationem, quam notionem etiam *Isidorus Clarius* et multi recentiores sequuntur (cf. *Ges.* Thes. p. 828; *Hitz. Schr. Keil, Delitzsch* apud *Baer* p. XIV provocans ad assyriacum *misû*); *Sym.* curam ἐπιμέλειαν ibi exprimi opinatur. Etiamnum in oriente corpora recens natorum sale consperguntur et perfricantur; « tenera infantium corpora solent ab obstetricibus sale contingi, ut sicciora sint et restringantur » (*S. Hier.*) et ut siccentur et ut vulnus umbilici praecisi stringatur, claudatur et sanetur (*Lap.*); secundum veteres enim haec salis aspersio ad sanitatem confert et cutis corpusculi redditur densior solidiorque, ut Galenus ait (*Lap.*) et secundum Plinium nihil esse corporibus utilius dicunt sale et sole (*Malv.*). Neque omittit *S. Hier.* adnotare corpora infantulorum pannis involvi duplicem ob causam, ut et sale siccetur corpus quod pannis ne defluat servatur et stringitur, et membra tenerrima ne facile depraventur.

Nihil tale contigit puellae v. 5 « *non pepercit super te oculus ut faceret tibi unum de his misertus tui; sed proiecta es super faciem terrae in abiectione animae tuae, in die qua nata es* »; — nemo eam benigne ac clementer aspexit; sed proiecta est *in agrum in fastidio animae tuae* (hebr.), quia parentes eam fastidiebant et abominabantur et ideo eam abiecerunt et exposuerunt. Iudaei, utpote pastores, Aegyptiis odio erant et abominationi. Mandatum illud Pharaonis, ut in flumen proiiciatur quidquid masculini sexus natum fuerit (Ex. 1,22), etiam innui videtur, quatenus eo quoque patefit quantopere gens fuerit contempta et oppressa et conculcata. Ita *Chald.* : « non pepercit vobis oculus Pharao, ut faceret vobis quidquam boni, ut requiem vobis daret a servitute vestra et vestri misereretur; sed decrevit contra vos decretum firmum, ut proiiceret masculos vestros in flumen et perderet vos tempore quo eratis in Aegypto »; sim. *Prad. Lap. Tir.*; neque allusio haec historica erit repudianda, ut fere vult *Mald.* et certe *Troch.*, quia vates non historice sed metaphorice loquatur; ipsa enim metaphora rebus gestis depromitur et innititur.

Ex ea abiectione et periculo exstinctionis Deus puellam servat; cum oculus humanus eam aspicere non dignaretur, oculus divinus benigne et amanter eam respexit v. 6 « *transiens autem per te vidi te conculcari in sanguine tuo et dixi tibi cum esses in sanguine tuo : vive; dixi, inquam tibi : in sanguine tuo vive* »! — cum nihil curae puellae sit impensum, sordibus oppleta iacet et umbilico non obligato iacet in sanguine suo proiecta ad conculcationem et bestiis exposita, vel ut alii

hebr. explicant, iacet sese volutans in sanguine suo (cf. *Prad. Troch. Schr. Keil, Sm. C.*). In qua conditione Deus, uti olim verbo suo *fiat* effecit ut res exsisterent, ita nunc verbo *vive* mandavit et effecit, ut cum animam iamiam ageret morti erepta viveret et vigeret et valeret. Repetitione magna promptitudo, firmum iubentis decretum, cura et studium loquentis eximium declaratur; additur *in sanguine*, ut ex quo statu sit vitae donata bene percipiatur. Puella ita servata vi vocis Dei, cuius voluntas est potentia, verbum opus (*Prad.*) adolescit et ad annos pubertatis pervenit v. 7 « *multiplicatam quasi germen agri dedi te et multiplicata es et grandis effecta, et ingressa es et pervenisti ad mundum muliebrem; ubera tua intumuerunt et pilus tuus germinavit, et eras nuda et confusione plena* »; — in membro priore secundum textum *mas.* : *myriadem sicut germen agri dedi te* et secundum *S. Hier.* metaphora fere relicta ingens populi in Aegypto incrementum declaratur; cf. Ex. 1,7 : filii Israel creverunt et quasi germinantes multiplicati sunt. Secundum textum graecum et *Syrum* Deus puellam crescere iubet eamque quasi florem campi efficit. Illa adolescit et efficitur grandis et pervenit *ad ornamentum ornamentorum* (hebr., prout vertit *Theod.* et explicant *Pagninus, Vat. Mald. Mar. Malv. Lap. Calm. Troch. Schr. Sm.*) i. e. ad pulchritudinem et speciem elegantissimam; *mundum muliebrem* vertit *S. Hier.* fere sequens Symmachum et explicat de tempore pubertatis, quod sequentibus quoque declaratur ex ipso corporis habitu.

LXX habent : καὶ εἰςῆλθες εἰς πόλεις πόλεων; legerunt ergo ד et ר inter se commutatis בערי ערים. Textus hebr. בעדי עדיים; quae verba alii vertunt : ad ornatum genarum (cf. *Keil*); עֲדִי significare *ornatum* extra controversiam est; Ps. 32,9 vero vertitur vox iam ab interprete graeco *maxilla*, quam notionem etiam aliqui recentiores (*Ewald, Hitz. Delitzsch*) ibi adoptant aliis contradicentibus, qui etiam in Ps. retinent notionem ornatus vel aliam *helcii* significationem in medium proferunt; unde locus ille varie explicatur : in camo et freno *maxillas* eorum constringe, vel : qui freno et capistro, *ornatu* suo, compescendus est, vel : frenum et capistrum est *helcium* eius ad domandum. Praeterea voci etiam notio *iuventutis* tribuitur (cf. *Ges.* Thes. p. 993), quam hoc loco non esse ineptam facile concesseris, dummodo de ea certius constaret. Denique Ps. 103,5 vox vertitur a graeco ἐπιθυμία : qui replet in bonis *desiderium* tuum; cum in membro parallelo legatur : renovabitur ut aquilae *iuventus* tua, utique fieri potest, ut in priore vertere liceat : qui replet in bonis adolescentiam vel aetatem tuam. Qui *genas* explicant, in forma עדיים dualem esse numerum efferendum volunt. Alii locum hunc emendant, neque tamen uno modo : בעת דודים in tempus amorum (*Sm.*), בעת עדנים in tempus *deliciarum*, sensu eodem; עַד עִדִּים venisti ad menstrua (cf. Is. 64,5), ergo ad tempus pubertatis, quo sensu *S. Hier.* quoque rem exposuit; sed textum ita cum *C.* mutare, audacius est quia versio graeca ipso suo mendo suffragium fert pro textu hebr.; si autem v. 11

de *ornatu* a Deo dato sermo infertur, ideo non necessario ornatum i. e. venustatem aetatis nubilis h. l. excludi censendum erit. — *Syrus* habet cum LXX : ingressa es in urbes; *Chald.* : advenit tempus redemptionis coetus vestri.

Prior favor Dei in eo consistebat, ut puella periculo mortis erepta adolesceret. Iam alius isque multo maior ei fit; unde eodem modo quo v. 6 oratio vestitur v. 8 « *et transivi per te et vidi te, et ecce tempus tuum, tempus amantium, et expandi amictum meum super te et operui ignominiam tuam; et iuravi tibi et ingressus sum pactum tecum, ait Dominus Deus, et facta es mihi* » ; — altera vice eam benigna visitatione donat; erat tempus *amorum* (hebr.) « sive iuxta interpretationem Aquilae secundam συναλλαγῆς, sponsalium scil. et temporis nuptiarum, pro quo Symmachus vertit ἀγάπης » (*S. Hier.*). Iam Deus puellam hanc immensa sua benignitate in sponsam assumit; oram pallii sui super eam extendit i. e. eam elegit sponsam (cf. Ruth 3,9 et *de Hummelauer* ad h. l.). Foedus Dei cum populo saepe symbolo connubii exprimitur; vide Os. 2,2. 19; 3,3. Is. 50,1. Ier. 2,2; quare idololatria tamquam adulterium designatur et in novo quoque foedere Christus est sponsus et Ecclesia sponsa eius et demum in coelesti Ierusalem nuptiae Agni celebrantur. Unde amicitia illa et bonorum communicatio quam Deus cum suis init et excellentissima dignitas ad quam evehuntur in utroque foedere per connubium sacrum exhibetur. Amplissimis promissis Deus foedus illud ex sua parte sancivit (cf. Ex. 19,5. 6; 24,8. Lev. 26,3 seq. Deut. 5,2; 28,1 seq.) et populus sollemni quoque modo declaravit : cuncta quae locutus est Dominus faciemus (Ex. 19,8) qua sponsione facta populus revera assumptus est in peculium Dei de cunctis populis, in regnum sacerdotale, in gentem sanctam.

Iam cum viri sit providere uxori de vestitu et victu (Ex. 21,10), quam liberaliter Deus haec praestiterit et quam eximio ornatu puellam illam donaverit, pluribus exponitur v. 9. « *et lavi te aqua et emundavi sanguinem tuum ex te et unxi te oleo,* v. 10 *et vestivi te discoloribus et calceavi te ianthino et cinxi te bysso et indui te subtilibus* » ; — sordibus remotis ornamenta dat; רִקְמָה vestem dicit acu pictam (*Mald. Prad.*); cf. Ps. 45,15. Interpretatus est *S. Hier.* secundum LXX hyacinthina sive ianthina calceamenta; vocem hebr. תַּחַשׁ varie explicant de taxo (mele), phoca, delphino; *Delitzsch* ex assyriaco tachschu vervecem esse intelligendum contendit (cf. Prolegomena e. n. hebr. aram. Woerterb. p. 77 seq.); alii genus pellis subtile et elegans, ex quo calcei pulchri fiant, exponunt. Tamquam capitis ornamentum dedit byssum, ex qua insigne capitis tegumen conficeretur; חָבַשׁ in usu enim est de tiara circumliganda Ex. 29,9. Lev. 8,13. Ez. 24,17, ad quem

usum etiam spectat Ion. 2,6; byssus vero semper magno in pretio habebatur; vide Gen. 41,42. Ex. 28,39. Ez. 27,7. Demum puellam subtilissimo velo operuit, vel *serico*, uti vocem מֶשִׁי explicant[1] (cf. *Vat. Mald. Prad. Mar. Malv.* et recentiores, qui omnes a rabbinis hanc tradi notionem dicunt). Accedunt alia ornatus muliebris genera v. 11 « *et ornavi te ornamento et dedi armillas in manibus tuis et torquem circa collum tuum*, v. 12 *et dedi inaurem super os tuum et circulos auribus tuis et coronam decoris in capite tuo* »; — prius in universum dicit a se sponsam esse *ornatu comptam;* dein quaedam enumerat pro manibus, pro collo, pro *naribus;* de quo narium ornamento ita *S. Hier.* : « verbum hebr. *nezem* (נֶזֶם) excepto Symmacho qui interpretatus est ἐπιρρίνιον omnes *inaurem* (ἐνώτιον) transtulerunt, non quo inaures ponantur in naribus quae ex eo quod de auribus pendeant inaures vocantur, sed quo circulus in similitudinem factus inaurium eodem vocabulo nuncupetur, et usque hodie inter cetera ornamenta mulierum solent aurei circuli in os ex fronte pendere et imminere naribus »; cf. Gen. 24,22. Is. 3,21. Prov. 11,22. Ut sponsa nobilissima et ad regiam dignitatem evecta, ornatur torque (cf. Gen. 41,42. Prov. 1,9; 3,3) et decora corona, quae regiae dignitatis insigne est Ier. 13,18.

Neque hisce solis ornabatur; alia ei erant monilia et ornamenta ex auro, argento, vestes pretiosae plurimae; ad quem corporis cultum victus quoque addebatur lautus v. 13 « *et ornata es auro et argento et vestita es bysso et polymito et multicoloribus; similam et mel et oleum comedisti et decora facta es vehementer nimis et profecisti in regnum* »; — « quod supra *subtile*, hic iuxta Symmachum *polymitum* diximus, Aquila ἄνθιμον, Theodotion ipsum hebr. מֶשִׁי *mesi* ut supra posuit » (*S. Hier.*). Post vestitum ciborum curam gerit Deus, et ita sponsa incredibili pulchritudine decoratur et proficit in reginam, ut *S. Hier.* explicat, ad regiam dignitatem evehitur, vel ita omnibus exornata erat, uti revera decebat regium splendorem. Quare magnam quoque gloriam ubique est nacta, qua gloria reliquis omnibus maximus addebatur splendor v. 14 « *et egressum est nomen tuum in gentes propter speciem tuam, quia perfecta eras in decore meo quem posueram super te, dicit Domi-*

1. *S. Hier.* notat : « pro quo Aquila *florido* sive *palpabili*, Symmachus *indumento*, Theodotio ipsum verbum hebr. posuit »; Aquila in prima editione ψηλαφητῷ, in altera posuit ἀνθίμῳ; cf. *Field* ad h. l.; de interpretatione LXX τριχαπτῷ haec habet *S. Hier.* : « cumque diligenter inquirerem, quid sibi vellet vocabulum *trichapti* et a nullo Graecorum nec usum nec etymologiam possem invenire sermonis, tandem didici a LXX esse compositum (rebus enim novis nova fingenda sunt nomina) quod tantae subtilitatis fuerit vestimentum, ut pilorum et capillorum tenuitatem habere credatur. Unde et ego volens tenuitatem exprimere, *subtilibus* transtuli, quod tenui stamine atque subtegmine textum erat ».

nus Deus »; — ipse Dominus gloria sua eam reddit gloriosam; unde non mirum erit, si eius gloriae splendor ad exteras quoque nationes diffunditur; « meis beneficiis meaque incredibili largitate ad reginae vocabulum pervenisti, ita ut de te omnium gentium sermo loqueretur et esses non tuis meritis atque virtutibus, sed mea liberalitate perfecta » (*S. Hier.*). Hebr.: species vel venustas tua perfecta *erat* per gloriam meam quam posui super te.

In hac parabola gratia Dei qua sine ullo merito pro suo beneplacito populum Israel elegerit eumque beneficiis praeclaris ditaverit eximio modo adumbratur. In variis ornamentis illa exprimuntur quae Deus singulari ratione pro theocratiae institutione atque gubernatione praestitit, quorum praecipua quaedam etiam S. Paulus enumerat: adoptio filiorum, gloria (δόξα, gloria Dei inter eos in tabernaculo et templo inhabitans), testamentum, legislatio, obsequium (cultus religiosus a Deo ipso ritibus caerimoniisque descriptus), promissa (Rom. 9,4). Praeterea terram populo dedit valde fertilem, lacte et melle manantem et sub Davide et Salomone regibus gloria regni iudaici longe lateque est diffusa; id quod v. 13,14 indicatur.

Cum theocratia vetus sit typus novae et cum insuper in animis singulorum regnum Dei sit stabiliendum, huius parabolae doctrina et applicatio latissime patet. Quae enim in theocratia peraguntur in universum, suo modo etiam in singulis ex quibus demum theocratia coalescit usum habent et applicationem, et sicut Ecclesia vocatur sponsa Christi, ita quoque anima quaevis Christo coniuncta merito eius sponsa nuncupatur. Qua consideratione adhibita omnino fecunda est documentis haec parabola. Pauca innuere sufficiet. Primo describitur quales simus natura, scil. filii irae, in quorum animis cum peccato originali iam malorum germina lateant v. 3; quam simus impotes ipsi ut nos eruamus e miseriis et quam certo interituri simus, nisi Deus gratuito pro misericordia sua opem ferat. Status et conditio et impotentia peccatoris, verbum Dei vivificans in v. 4 seq. egregie adumbratur; item a v. 8 quae et quomodo fiat assumptio a Deo et translatio in statum gratiae sordibus peccatorum deletis et ornatu gratiae sanctificantis animae indito, qua gratia ad sponsae dignitatem evehitur. Haec autem gratia insignem habet comitatum neque Deus ex sua parte desistet continuis favoribus animam fidelem ditare v. 10, etc.

h) Parabola de perfidia populi 16, 15-34.

Verum haec sponsa quamvis esset tot bonis atque honoribus a Domino cumulata, tamen fidem connubii turpissime violavit et se et dona

accepta extraneis et adulteris profudit. Iam altera texitur pars historiae satis tristis, qua multiplex illa populi infidelitas, idololatria, foedera cum alienigenis impie inita describuntur, de quibus in libris historicis refertur. Accidit scil. quod in cantico Moysis dicitur : incrassatus est dilectus et recalcitravit, incrassatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum factorem suum et recessit a Deo salutari suo (Deut. 32,15); eandem causam modo ad metaphoram semel assumptam accommodato in medium profert vates v. 15 « *Et habens fiduciam in pulchritudine tua fornicata es in nomine tuo et exposuisti fornicationem tuam omni transeunti ut eius fieres* »; — simili modo refertur ad prosperitatem et abundantiam bonorum defectio a Deo et rebellio Deut. 8,11-15; 31, 20. Os. 10,1; 13,6. Ex sacro illo connubio consequitur appellatio fornicationis etc. qua idololatria designatur et foedera cum extraneis inita; istis enim foederibus et Deum derelinquebant eo quod non debitam spem et fiduciam in ipso ponerent et etiam speciem quandam idololatriae admittebant, tum quia confugere ad alterius gentis auxilium, ex opinione veterum fere erat ad deum illius gentis confugere (vide quae notavi ad Is. 10,10. Am. 1,15. Mich. 7,10. Nah. 1,14. Hab. 1,16), tum quia eiusmodi foedera sine ritibus superstitiosis et idololatricis vix concludebantur. Talia sponsa patravit *in nomine suo;* cum v. 14 *nomen* dicatur de fama et gloria, etiam hic cum *Pint. Prad. Mald. Sa, Keil, Sm.* aliisque explicandum erit : confisa scil. nomine tuo celebri eoque elata quod pulchritudine et bonorum abundantia comparaveras. Haec notio etiam particula עַל commendatur. Alii : *contra* nomen tuum, vel *quamvis* nomen gereres sponsae meae, vel quasi plane tui iuris esses ac libera (cf. *Mar. Prad. Men. Tir. Calm. Troch.*), quae tamen explicationes ab usu vocis nominis in v. 14 et partim etiam ab usu עַל recedunt. Quam facile et quam frequenter et libenter populus se dederit idololatriae omnis generis et omnium vicinarum gentium abominationes et cultus sit amplexus, indicatur praesertim in hebr. *effudisti* i. e. abundanter profudisti *omni transeunti;* bene *Chald. :* adiunxisti te ut coleres idola cum omni transeunte. Quod additur *ut eius fieres* (ita *S. Hier.* et in cod. syr. hexapl.), rei declarat indignitatem et oppositionem ad v. 8 *et facta es mihi :* a Dei amicitia et amplexu se proiecit ad turpes voluptates; simili modo rei indignitatem effert apostolus : tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis? absit (1 Cor. 6,15).

In hebr. legitur לוֹ־יֶהִי *ei fiebat* scil. pulchritudo tua. *Syrus* hanc partem non exprimit; deest quoque in plerisque codd. graecis; in aliis magna cernitur varietas : αὐτῷ ἐγίνου, ἐγίνετο, ὃ οὐκ ἔσται, οὗ οὐκ ἔσται; particulam negationis etiam *Chald.* ha-

bet : et non decebat te ita facere (cf. *Prad. Mald. Mar.*). Modus ille יְהִי satis est singularis, quamvis similia exempla adesse videantur Iob 40,19 (hebr.). Os. 6,1. Textum igitur *C.* ita emendat, ut ex ultimo membro v. 16 verbum באת huc collocet : ad cum currebas et eius fiebas לו באת ולו היית; in v. 16 autem verba illa ultima delet.

Accusatione in universum prolata (v. 15) deinceps particularia quaedam recensentur, ut pudor et confusio sponsae infideli incutiatur. Donis enim acceptis turpissime abusa est v. 16 « *et sumens de vestimentis tuis fecisti tibi excelsa hinc inde consuta et fornicata es super eis, sicut non est factum, neque futurum est* »; — בָּמָה *excelsum* vocabatur non solum mons vel collis, in quo cultus superstitiosus exercebatur, sed etiam sanctuarium, templum, vel sacellum ibi erectum; haec autem sacella saepe non domus instar muris erigebantur, sed tentoriis constabant, de quibus vide Am. 5,26 et 4 Reg. 23,7. Eiusmodi tentoria Ascherae sacra hic *excelsa* vocari videntur; reprehenditur itaque idem quod 4 Reg. l. c. legimus. Haec tentoria ex pannis pretiosis conficiebantur. In iis autem et idololatriae et impudicitiis operam dabant. Ad contemptum quo Deus de istis rebus loquitur bene convenit ut eiusmodi tentoria dicantur *consuta;* ita טְלֻאוֹת LXX quoque ῥαπτά transtulerunt; sim. *Aq. Theod.* ἐμβολίσματα et ex recentioribus *Ges.* (Thes. p. 550) *Sm.;* alii eam malunt sequi explicationem vocis quam Symmachum secutum esse *S. Hier.* refert et quam usu vocis Gen. 30,32 commendatam cernimus scil. excelsa multicoloria vel maculosa (cf. *Prad. Mald. Mar. Calm. Keil, C.*). Ipsa *excelsa* LXX transferunt εἴδωλα, alii *altaria* intelligunt (*Mar. Lap. Pint. Ewald*), quam explicationem iam *Mald.* merito reiicit. In ultimo membro rei indignitas graviter effertur sed ita, ut tali flagitio obex ponatur in posterum neque unquam instauratione facta talia eventura sint.

In qua interpretatione *S. Hier.* secutus est Symmachum : *non facta neque futura*, quae versio Symmachi etiam in cod. syr. hexapl. refertur. Secundum eam igitur idem exprimitur quod etiam Ex. 10,14 legitur. At textus hebr. eo sensu nequit intelligi, cum בָּאוֹת nequeat transferri ea quae facta sunt; hoc enim verbum potius de rebus futuris usurpatur (Is. 47,13); unde compara הִנֵּה יָמִים בָּאִים ecce dies venturi sunt Ier. 7,32. Quare textum hebr. qui retinent explicant supplentes pronomen relativum : quae (scil. excelsa) non venire debebant et quod (fornicari) non fieri debebat (cf. *Schr. Keil*). *Chald.* phrasin exprimit : praeter fas (rectum, decens) et decorum; LXX καὶ οὐ μὴ εἰσέλθῃς οὐδὲ μὴ γένηται, sim. *Syrus.* Ut iam ad v. 15 notatum est, *C.* ea hic omittit. Tamquam voces indignantis et exclamantis *Ewald* concipit : o ignominiam (scil. באוּת secundum aramaicum בהתא!?), absit!

Praeter cultum illum superstitiosum et lubricum in excelsis, de quo tot querelae funduntur in s. libris (3 Reg. 3,2; 12,31; 13,33; 14,23;

15,14; 22,44. 4 Reg. 12,3; 14,4 etc.) etiam ex auro atque argento idola sibi confecerunt v. 17 « *et tulisti vasa decoris tui de auro meo atque argento meo quae dedi tibi et fecisti tibi imagines masculinas et fornicata es in eis* »; — cf. Os. 2,8. Is. 2,20; 46,6. Cur imagines vocentur *masculinae,* ex metaphora explicatur qua populum tamquam sponsam infidelem induxit (cf. *Theod. Prad.*), quare de imaginibus cultuque obscenis non opus est cum aliquibus (*Mar. Calm. Haevernick, Movers* [1]) verba accipere. Deorum imagines pretiosis quoque vestimentis ornabant iisque larga obtulerunt sacrificia ex beneficiis divinitus datis v. 18 « *et sumpsisti vestimenta tua multicoloria et operuisti illas et oleum meum et thymiama meum posuisti coram eis,* v. 19 *et panem meum quem dedi tibi, similam et oleum et mel quibus enutrivi te posuisti in conspectu eorum in odorem suavitatis et factum est, ait Dominus Deus* »; — sacrificia quae fieri debebant Domino *in odorem suavitatis* (Lev. 1,9. 13. 17; 2,2. 9. 12; 3,5. 16, etc.) idolis obtulerunt et quam frequenter, ipsa enumeratione constat. Idem reprehendit Osee (2,8). Ad indignationem loquentis declarandam additur *et factum est* i. e. « ita se habet, ut dixi, neque negare potes, quia ego Dominus scio; eodem sensu per interrogationem Chaldaeus vertit : nonne facta sunt omnia haec » (*Mald. Lap. Mar. Vat.*)? Quae verba cum vim orationis augeant et etiam a LXX serventur καὶ ἐγένετο, non est cur cum *C.* expungantur.

Hisce nondum contenti filios quoque et filias idolis immolarunt v. 20 « *et tulisti filios tuos et filias tuas quas generasti mihi et immolasti eis ad devorandum! numquid parva est fornicatio tua?* v. 21 *immolasti filios meos et dedisti illos consecrans eis* »! — proles a Domino data et ad Dei cultum erudienda idolis immolabatur. Atrocitatem rei declarat dicens : dedisti eis *ad devorandum.* Sacrificia igitur illa horrenda in medium affert quae idolo Moloch fiebant; de qua abominatione vide Ps. 105,37. 38. 4 Reg. 16,3; 23,10. Ier. 7,31; 32,35 et Ez. 20,31; 23,37. In hebr. maior declaratur indignatio; est enim sensus : parumne tibi videbatur fornicationi operam dare, nisi etiam iugulares filios meos (*Vat.*)? numquid non satis flagitii tibi videbatur esse in fornicatione? ad quam interrogationem statim adiunge v. 21, ut scil. mactares filios meos? *meos* qui tot titulis Domini erant; vide Deut. 14,1 et iam Ex. 4,22. Quod dicitur *eis consecrare* hebr. הַעֲבִיר [2] est idem quod igne

---

1. *Movers,* Phoenizier I p. 595; sed *Hitz.* merito advertit non adesse apud Israelitas vestigia cultus qualis in phallophoriis exercebatur alibi.

2. Quod 2 Reg. 16,3 dicitur העביר באש in loco parallelo 2 Chron. 28,3 enuntiatur יבער באש; ibi ergo *traduxit,* hic *cremavit* in igne; unde *Geiger,* Urschrift und Uebersetz. d.

cremare neque de solo ritu februationis dicitur, uti ex vocibus mactandi, immolandi, devorandi patet; vide quoque 4 Reg. 21,6. Is. 57,5. Et quam impio et ingrato animo sponsa illa haec omnia patraverit, Deus conqueritur v. 22 « *et post omnes abominationes tuas et fornicationes non es recordata dierum adolescentiae tuae, quando eras nuda et confusione plena, conculcata in sanguine tuo* »; — hebr. *cum omnibus abominationibus* i. e. inter omnes, dum eas perpetrares; et sui quae olim fuerit et Dei qui ipsam elegerit et ornaverit plane oblita est; vide ad v. 6. 7. Duplici huic oblivioni aliqua attribuitur ratio illorum flagitiorum; sicuti enim memoria propriae miseriae et divinae misericordiae beneficiorumque acceptorum recordatio animum in officio et pietate continet, ita oblivio utriusque laxat habenas superbiae et contemptum Dei in animum inducit.

Sui igitur plane oblita et immemor donorum Dei flagitia in immensum auxit et praecipiti veluti cursu in omnes spurcitias se proiecit insatiabili quadam libidine correpta usque ad insaniam v. 23 « *et accidit post omnem malitiam tuam* (*vae, vae tibi, ait Dominus Deus*) v. 24 *et aedificasti tibi lupanar et fecisti tibi prostibulum in cunctis plateis*, v. 25 *ad omne caput viae aedificasti signum prostitutionis tuae et abominabilem fecisti decorem tuum et divisisti pedes tuos omni transeunti et multiplicasti fornicationes tuas* »; — cogitandum erit de magno numero excelsorum, de aris ubique erectis, ad portas (4 Reg. 23,8), in ipso templo (l. c. 21,3, 4) « secundum numerum quippe civitatum tuarum erant dii tui Iuda et secundum numerum viarum Ierusalem posuisti aras confusionis, aras ad libandum Baalim » (Ier. 2,28; 11,13). Quare recte dicitur ubique sese aliis ad peccandum exhibuisse paratam. Hebr. גַּב LXX, *Sym. Theod. S. Hier. Syrus* (? cf. *Payne Smith*, Thes. syr. c. 706) explicant de lupanari, sed cum in membro parallelo legatur רָמָה *excelsum* vel *sublime* et cum גַּב *gibbus, dorsum* potius ad similem notionem alicuius excelsi vel altaris erecti (cf. Ez. 43,13) accedere videatur, potius cum *Chald.* de aris vel cumulis vel cum recentioribus aliquibus (*Sm. C.*) de excelsis erit cogitandum eo scil. sensu quo 2 Reg. 23,8 de *bamoth* portarum i. e. de aris sermo fit. Item in v. 25 hebr. in omnibus viarum compitis aedificasti *excelsum tuum* i. e. aram (*Mald. Prad. Mar.*) et excelsum poni etiam *S. Hier.* adnotat, « ut volentibus fornicari procul appareat fornicationis locus et non necesse sit quaeri »; ibi *deturpat* pulchritudinem suam (ita *S. Hier.* in com-

---

Bibel p. 305 concludit, ubique pro העביר esse rescribendum הבעיר et illud solum fuisse in textum introductum ad scelus illud mitiore vocabulo exprimendum et quasi obvelandum. Ceterum cum Ier. 7,31 et 19,5 vox שׂרף adhibeatur, de combustione agi certissimum est.

mentario; sim. LXX ἐλυμήνω et recentiores hebr. concipiunt), dum eam omnibus prodit et se omnibus prostituit. Haec de cultu idololatrico quoque intelligunt *S. Hier. Theod. Sa, Lap. Prad. Mar.*; sed iure complures cultum impurum designari monent; immo ultimis verbis indicari videtur mos ille maxime abominabilis et institutum meretricum quae se in honorem Astartae prostituebant; id quidem legibus pentateuchicis severe interdicebatur (Lev. 19,29. Deut. 23,18. 19), at nihilominus eiusmodi adfuisse, ex קְדֵשׁוֹת Os. 4,14 et ex 4 Reg. 23,7 comperimus. Ceterum quantopere vitiis carnis dediti fuerint, satis superque ex Ier. 5,8. Os. 4,2 aliisque prophetarum reprehensionibus constat.

Aliud genus defectionis a Deo adest in foederibus cum alienigenis initis et in auxilio quod contra Dei voluntatem ex eis quaeritur (vide quae notavi ad Is. 57,9), quae foedera idololatriam quoque promovebant. Hoc in instituta metaphora ita describit, ut sponsam infidelem cum Aegyptiis, Assyriis, Chaldaeis fornicatam esse dicat; v. 26 « *et fornicata es cum filiis Aegypti vicinis tuis magnarum carnium et multiplicasti fornicationem tuam ad irritandum me;* v. 27 *ecce ego extendam manum meam super te et auferam iustificationem tuam et dabo te in animas odientium te filiarum Palaestinarum quae erubescunt in via tua scelerata* »; — dicuntur Aegypti habere magna membra (cf. infra 23,20) magnamque libidinem propter turpius idololatriae genus, qui, ut *Theod.* dicit, hircos et boves et oves canesque et simias et crocodilos et ibes et accipitres adorabant (sim. *Prad. Mald. Lap. Mar. Calm.*). In cuius rei poenam dicit Deus : ecce ego *extendi* manum meam (hebr. et ita quoque vertit *S. Hier.*) et *diminui statutum tuum*, i. e. annonam, id quod maritus secundum ius et consuetudinem uxori dare debet (cf. *Prad. Mald. Lap. Calm.* et recentiores); de ea notione חֹק vide Prov. 30,8. Eodem modo Os. 2,9 Dominus minatur : auferam frumentum meum in tempore suo et vinum meum in tempore suo, etc.; indicat ergo poenas sterilitatis, siccitatis, caritatis annonae, quibus populus perfidus punitus est; vide Ier. 14,1-6. Os. 9,14. Ioel 1,4 seq. Praeterea *dedi te furori* eorum qui te odio habent; hostibus populum suum conculcandum, spoliandum, caedendum tradidit in ultionem foederis cum extraneis initi; nominantur *filiae Philisthiim* i. e. civitates et proin reges Philisthiim, per quos Israelitae iusto Dei iudicio saepe sunt afflicti et devicti (cf. Iud. 13,1. Reg. 4,2 etc. Am. 1,6). Unde id dicit expletum quod Ieremias minatus erat : et ab Aegypto confunderis, sicut confusa es ab Assur; nam et ab ista egredieris et manus tuae erunt super caput tuum (2,36. 37) i. e. propter fiduciam in Aegyptiis positam graviter puniti sunt. Vates enim enuntiatione generali lon-

gam temporis seriem repetitamque consuetudinem depingit. Philisthaeos autem dicit pudere viae illorum impurae et flagitiosae i. e. ut *Prad.* bene explicat, ipsi Philisthiim, quia suis diis fideliter adhaerent neque eos cum aliis commutant verecundantur videntes quam impudenter Israelitae patrio Deo relicto reliqua cuncta idola venerentur; quae res illustratur Ier. 2,10-12 (*Prad. Troch.*). Id quoque ad augendam accusationem effertur, populum adeo spurcitiis esse deditum, ut ipsi alienigenae eum contemnerent (*Mald. Lap. Calm.*). Hebr. זִמָּה de scelere impuro praeprimis dicitur; cf. Lev. 18,17; 19,29; 20, 14. Iob 31,11. Ier. 13,27.

Sed qua erat sponsa libidine, non est erudita poenis inflictis v. 28 « *et fornicata es in filiis Assyriorum eo quod necdum fueris expleta; et postquam fornicata es, nec sic es satiata* v. 29 *et multiplicasti fornicationem tuam in terra Chanaan cum Chaldaeis, et nec sic satiata es* »! — Assyriorum quoque foedera ambierunt; ita Achaz 4 Reg. 16,7 seq. Ier. 2,36. Repetitione graviter notat libidinem inexplebilem; quo magis enim ei satisfit, eo magis furit et aestuat; eam bene quoque depinxit Ier. 2,24. 25; Os. 2,5; 4,16. Prov. 30,16. Hebr. v. 29 fornicationem eius dicit auctam *usque ad terram commercii, terram Chaldaeorum* (cf. *Prad.* et recentiores); debet ergo Chanaan explicari appellative, uti 17,4 (et Zach. 14,21 *S. Hier.* nomen ita accepit). Babyloniam iure merito a commercio laudari et nominari patet, cum fuerit Babylon maximum totius Asiae emporium (cf. ad Is. 13,14). Iudaeos quoque commercio merces pretiosas a Babyloniis accepisse, iam eo concludere licet, quia ex tribus viis magnis quibus ab Aegypto et mari mediterraneo mercatorum agmina Babylonem tendebant, una per Iudaeam, Samariam, Galilaeam strata erat (cf. *Movers*, Phoenizier, II 2 p. 244); vestes acu pictae et versicolores ex Babylone potissimum acquirebantur (*Movers* l. c. p. 260). Propter amicitiam cum Babyloniis iam Ezechias rex reprehensus est; vide Is. 39,1-8. 4 Reg. 20,12. — LXX in v. 29 non habent *Chanaan;* sed ex 17,4 lectio hebr. commendatur; insuper facile explicatur, cur nomen hoc sit omissum quippe quod ad Babyloniam appositum haud videretur congruere. Forte in appellatione Chanaan vates etiam cultum babylonicum haud dissimilem spurcitiis Chananaeorum denotare vult.

Accusatio eo quoque augetur, quia cum aliae mulieres peccatrices mercedem accipere soleant, ipsa dedit mercedem ut consortes scelerum haberet; ea igitur re excellebat prae aliis proiectae famae mulieribus; v. 30 « *in quo mundabo cor tuum, ait Dominus Deus, cum facias omnia haec opera mulieris meretricis et procacis?* v. 31 *quia fabricasti lupanar tuum in capite omnis viae et excelsum tuum fecisti in*

omni platea, nec facta es quasi meretrix fastidio augens pretium »: — « ἐπαπορητικῶς (contentiose) autem haec omnia ad Ierusalem loquitur Deus, quod invenire non valeat quo aegrotantem et seminecem possit curare medicamine; iuxta illud quod scribit Isaias : quid est quod debui ultra facere vineae meae et non fecerim ei, et Osee : quid tibi faciam Ephraim, quid faciam tibi Iuda? misericordia vestra quasi nubes matutina et quasi ros mane pertransiens » (Is. 5,4. Os. 6,4. *S. Hier.*). De lupanari etc. גַּב et רָמָה vide ad v. 24. 25; « nec imitata est callidas meretrices quae solent difficultate augere libidinis pretium et ex hoc magis amatores ad insaniam provocare » (*S. Hier.*); illae spernunt parva lucra ut maiora offerantur; tu vero tuam pulchritudinem vilissimo pretio obtulisti, immo gratis (*Lap. Mar. Tir. Pint.*), et ita facta est similis adulterae quae non mercedis sed insatiabilis libidinis causa alios viros sine ulla mercede allicit et inducit (*Mald.*) v. 32 « *sed quasi mulier adultera quae super virum suum inducit alienos* »; — quibus in verbis acriorem latere expostulationem merito censet *Prad.*; eo enim quod illae augent mercedem, quanti se aestiment et velint aestimari ostendunt; haec autem ne hunc quidem sibi habuit honorem, sed in viri ignominiam quoque et vilipendium se gratis aliis prodidit. Illae quaestum faciunt et utilitatem simul quaerunt, haec solius libidinis causa agit (*Mar. Tir.*); eo igitur nomine etiam magis vituperanda, quia non, ut *Theod.* ait, rerum inopia ad eam lasciviam est redacta, sed omnibus bonis perfruens abusa est muneribus a Deo datis.

In hebr. v. 30 legitur מָה אֲמֻלָה לִבָּתֵךְ, id quod vertunt : quam debile, quam infirmum, imbecille est cor tuum (***Prad. Mald. Mar. Lap. Vat.***); similiter recentiores : quam languescens, aegrotum scil. et tabescens prae nimio libidinis insatiabilis pruritu. Vertit ***S. Hier.*** in quo mundabo cor tuum? idem habet ***Sym.*** et legitur apud *Theodoretum* et in tetraplis et in aliquibus codicibus graecis qui secundum *C.* editionem Luciani referunt. Eam versionem ortam esse eo quod אמולה referebatur ad מול circumcidere, iam bene exponunt ***Prad. Lap.***; apud LXX legitur τί διαθῶ τὴν θυγατέρα σου (vel secundum ***S. Hier.*** et cod. syr. hexapl. τὴν καρδίαν σου; vide ***Field*** ad h. l.). Vox לִבָּה *cor* alias non legitur, sed cum in plurali adsit forma לִבּוֹת, ea vox vix poterit in dubium vocari. Sed ***Syrus*** quoque legit : quid iudicabo *filiam* tuam? *Chald.* vero : quam fortis fuit malitia cordis tui? Aliud praebent versio coptica (apud Tattam) et arabica in polyglottis : quid faciam testamento tuo; igitur לבריתך; quare *C.* emendat : מה לי לבריתך quid mihi foedus tuum? Testes igitur veteres satis inter se differunt; sed in eo fere inter se contra textum *mas.* conspirant, quod verbum in prima person. imperf. legerunt. — Vocem שַׁלֶּטֶת vertit *S. Hier.* procax; apud ***Theod.*** legitur παρρησιαζομένη; secundum cod. syr. hexapl. *Sym.* vocem explicat de ea quae sui ipsius habet potestatem, quae igitur nullum agnoscit herum, sed sui iuris, nullum libidini

frenum imponit; quo sensu a שַׁלִּיט *dominator* haud multum abest. « Quodque dixere LXX *et fornicata es tripliciter in filiabus tuis,* in hebr. non habetur nec aliorum interpretum quisquam posuit » (*S. Hier.*); sed in *tripliciter* sane latet hebr. שַׁלֶּטֶת ; vide enim verbum שִׁלֵּשׁ Deut. 19,3. 1 Reg. 18,34.

In v. 31 LXX habent συνάγουσα μισθώματα et sim. *Syrus, Sym.*; unde iam *Houbig.* in hebr. legendum censet לִלְקֹט, idem *C.* sequitur. Hebr. habetur לְקַלֵּס; verbum קלס alias significat *irrisionem*: vide Ier. 20,8. Ez. 22,4. 5. 2 Reg. 2,23. Ps. 44,10. Hab. 1,10. Quae significatio hoc nostro loco adhiberi nequit, nisi *mercedem irridere* eo sensu explicari posse censueris, quasi iusto minor sit ac vilior et maior exigatur, sicut rem expressit *S. Hier.* et multi sequuntur; aliter *Keil* qui putat posse et debere verti: tu, dum mercedem contemnis, non eras sicut meretrix; quae tamen translatio ad voces earumque collocationem nequit aptari. Perperam eiiciunt e textu v. 32 *Hitz. Sm. C.*; verum ei testimonium ferunt LXX neque eo contextus interrumpitur vel sensus hiulcus efficitur, ut supra iam expositum est.

Immo non solum gratis se aliis permisit, verum ipsa magno pretio dato amasios sibi conciliavit; v. 33 « *omnibus meretricibus dantur mercedes, tu autem dedisti mercedes cunctis amatoribus tuis et dona donabas eis, ut intrarent ad te undique ad fornicandum tecum* »; — vide ad Is. 57,9; exemplum cernitur in Achaz qui magna pecunia sibi coemit opem regis Assyriorum, qui tamen « afflixit eum et nullo resistente vastavit » (2 Par. 28,20), uti bene notant *Prad. Tir. Troch.*; quare gravi expostulatione infertur v. 34 « *factumque est in te contra consuetudinem mulierum in fornicationibus tuis et post te non erit fornicatio; in eo enim quod dedisti mercedes et mercedes non accepisti, factum est in te contrarium* »; — *et post te non erit...* secutus est *S. Hier.* ut ipse dicit versionem *Sym.*; « tanta fuit expositio adulterae ad omnem turpitudinis magnitudinem, ut non solum praesentibus, sed etiam futuris meretricibus praeferatur; collatione enim tui omnis deinceps fornicatio levior existimabitur »; sim. *Theod.*; sed melius hebr. : post te *non fuit* fornicatio, dum scil. tu anxie ac sollicite quaerebas, alii consortium tuum aspernabantur; ita tempore perfecto LXX, *Chald. Vat.*; apud *Syrum* haec pars omittitur; haec tamen expostulatio eo sensu accepta, quod non (sicut aliae meretrices) exquiri ab aliis solebat, sed multo studio sibi debuit socios peccati accersere et pretio emere, gravis est et ad rem facta. Tantae igitur ignominiae se mancipavit sponsa Domini. In qua re vates indolem omnis peccati bene exhibet; quales enim thesauros coelestes peccator profundere solet, ut voluptatem peccati brevissimam sibi emat? In vilitate illa prae meretrice maiore ac turpiore depingitur quantopere foeda sit defectio a Deo quae scil. id quod inter homines maxime est contemptum ac turpe longe superat; quare prophetae ad horrorem exprimendum haud raro ipsos coelos et terram obtestantur (Is. 1,2. Ier. 2,12. Mich. 1,2; 6,2).

i. **Poena flagitiis debita 16, 35-52.**

Per eos ipsos quibuscum peccavit sponsa infidelis castigabitur et summo afficietur opprobrio. Haec est enim norma iuste a Deo statuta, ut qui peccato suam quaerit beatitudinem, peccato suam maximam inveniat miseriam. Acri expostulatione praemissa, qua foeditas peccati declaratur, condigna scelere admisso poena denuntiatur v. 35 « *Propterea, meretrix, audi verbum Domini!* v. 36 *haec dicit Dominus Deus : quia effusum est aes tuum et revelata est ignominia tua in fornicationibus tuis super amatores tuos et super idola abominationum tuarum in sanguine filiorum tuorum quos dedisti eis,* v. 37 *ecce ego congregabo omnes amatores tuos, quibus commista es et omnes quos dilexisti cum universis quos oderas, et congregabo eos super te undique et nudabo ignominiam tuam coram eis et videbunt omnem turpitudinem tuam* »; — *aes* quam vocem LXX quoque et *Syrus* servarunt, aliqui accipiunt de pecunia vel generatim de divitiis a Deo acceptis, quas profudit ad peccandum vel ad idola conficienda (cf. *S. Hier. Lap. Men. Calm. Loch, Troch. Keil*), et cur *aeris* mentio inferatur, rationem reddunt quia terra palaestinensis tamquam eius metalli ferax laudetur Deut. 8,9; 33,25 (*Schr.*). Verum cum *aes* ad pecuniam vel divitias significandas adhiberi insolitum sit, alii voci notionem subiiciunt parem ignominiae in membro parallelo; ita *Prad. Mald. Vat. Mar. Pint.*, et commemorat *Calm.;* ita quoque recentiores *Geiger, Delitzsch, C.* vocem explicant[1], dum alii aliam vocem esse rescribendam censent (cf. *Hitz. Sm.*); sed hoc arbitrarium est. Iam *Chald.* vocem explicat per בַּהֲתָא i. e. hebr. בֹּשֶׁת confusio, ignominia. Praeter fornicationem idololatria et immolatio filiorum idolis facta reprehenditur. Propter quae scelera Deus congregabit contra eam gentes, et eas quibuscum foedera amicitiamque iniit et eas quas odio habet et abominationi, ut coram omnibus summo opprobrio afficiatur et omnes ei illudant. De locutione vide Is. 22,8; 47,3. Ier. 13,26. Os. 2,3. 10. Nah. 3,5. Hab. 2,15. In ruina Ierusalem maximopere exsultabant Edomitae, inter quos et Iudaeos semper exsistebant odia et inimicitiae (cf. Ps. 136, 7. Lament. 4,21. 22). Ceterum poena ita enuntiatur, ut ad maledictiones conformetur quibus subiacet adultera Num. 5,21 seq.

---

1. Quod *Mald.* aliique ex rabbinis afferunt idem fere est quod *Geiger*, Urschrift und Uebersetz. d. Bibel p. 392 habet. *Delitzsch* (Prolegomena e. n. hebr. ar. Woerterb. p. 71 seq.) ex assyriaco *nachaschu, nuchschu* quibus vocibus insit notio luxuriandi, abundantiae, vocem explicat. *Reusch* (Erklaerung des Buches Baruch, p. 254) vocem accipit eo sensu quo χαλκός legitur Bar. 6,35 scil. pro pecunia et opibus.

Praeter summam ignominiam alias quoque castigationes subibit v. 38 « *et iudicabo te iudiciis adulterarum et effundentium sanguinem et dabo te in sanguinem furoris et zeli* »; — adulterium puniebatur lapidatione; vide v. 40 et Deut. 22,24; sanguinis effusione vindicabantur caedes Gen. 9,6. Ex. 21,12. Lev. 24,17. Unde Ierusalem non uno nomine ruinam et excidium meruisse clare asseritur; quare *dabo te sanguinem* (hebr.) i. e. te totam vulneribus confossam et fluentem sanguine et tali caede percussam, qualem *furor* et *zelotypia* magna crudelitate infligere solet, furor scil. et zelotypia viri iniuria summa affecti et offensi (*Prad. Mald. Sa, Mar. Lap. Men. Tir.*). Et quomodo furorem et zelum sit manifestaturus, exponitur v. 39 « *et dabo te in manus eorum et destruent lupanar tuum et demolientur prostibulum tuum et denudabunt te vestimentis tuis et auferent vasa decoris tui et derelinquent te nudam plenamque ignominia* »; — de גַּב et רָמָה vide v. 24. 25; hostes igitur diruent atque destruent ea quae idololatriae inserviebant; urbem ipsam et populum spoliabunt, pretiosa quaeque auferent et urbem regionemque misere vastabunt, ita ut urbs et regio fiat vicinis gentibus in stuporem et sibilum (cf. Ier. 18,16; 19,8); v. 40 « *et adducent super te multitudinem et lapidabunt te lapidibus et trucidabunt te gladiis suis* v. 41 *et comburent domos tuas igni et facient in te iudicia in oculis mulierum plurimarum, et desines fornicari et mercedes ultra non dabis* »; — multos de populo occisum iri vario mortis genere innuit, item incendium urbis (4 Reg. 25, 9. Ier. 52,13); cum de *sponsa* perfida agatur, castigationes ei infliguntur in oculis *mulierum* plurimarum i. e. gentium multarum, quia Ierusalem ruina sua gentibus derisui fieri debet. Atque revera exercitus Nabuchodonosor ex variis gentibus erat compositus; cf. Ier. 25,9; in multorum autem conspectu illudi et puniri gravius est. Quo fine autem eas poenas sit irrogaturus, declarat: *et cessare faciam te a fornicatione* (hebr.); populum suum rebellem ad saniora consilia vult reducere, afflictione et miseria corda dura frangere omnesque ipsa re docere quam miseros se peccatis reddiderint. Plagas igitur infligit, ut sanet. Ita iustitiae divinae satisfit, verum simul misericordiae memor est Dominus secundum illud : cum iratus fueris, misericordiae recordaberis (Hab. 3,2) v. 42 « *et requiescet indignatio mea in te et auferetur zelus meus a te et quiescam nec irascar amplius* »; — satiata indignatione Deus veniam se daturum promittit ita spem ostendens afflictis et dolentibus de peccatis et pro populo instaurationem theocratiae pollicetur.

Ea verba in contrariam partem ab aliis accipi iam *S. Hier.* commemorat : « cum hoc factum fuerit, mercedes ultra non dabit et requiescet Dei indigna-

tio et nequaquam eam zelabitur de illius castitate securus; videlicet iuxta eos qui in bonam partem accipiunt quae dicuntur; alii vero ad contrariam partem referunt, ut magnae irae Dei sit non irasci, cum semel contempserit fornicantem et de salute illius desperaverit ». Ita in malam partem accipiunt *Vat. Sa, Pint. Men. Calm. Troch.* ut Deus dicat: non amplius curabo; te penitus negligam et abiiciam. Utramque autem explicationem repugnare propositae parabolae censet *Prad.*, « in qua adultera inducitur convicta et damnata lapidibus, ferro, flammis; quale autem esset indecorum de interfecta et combusta muliere vel meliora sperare vel desperare saniorem mentem »? Quare ipse in verbis illis non cernit nisi affectum furibundi sponsi qui de prolata in adulteram sententia sibi gratulatur et dicit: cum te videro iugulatam, tum mihi pollicebor securus quod desines iam tandem fornicari, tum cessabit indignatio mea etc. At vi parabolae propositae haec sententia non posse admitti videtur. Nam ex v. 3 illa sponsa est Ierusalem i. e. illud regnum et ille populus cuius urbs princeps et centrum est Ierusalem; sed populus theocraticus non abiicitur plane, non interibit. Neque parabola ita proponitur, ut non a symbolo ad rem significatam sermo quandoque deflectatur; vide v. 7. 13. 17 seq. 24 seq. 41. Quare satius erit verba ita concipere, uti revera postmodum v. 60. 62 explicantur et uti supra iam 7,17 et 6,9 iudicium declaratur tamquam via ad instaurationem meliorem.

Quam iustum autem illud iudicium sit, immo mitius quam pro flagitiorum numero et gravitate exspectari debuit, ad pudorem incutiendum ulterius declaratur v. 43 « *eo quod non fueris recordata dierum adolescentiae tuae et provocasti me in omnibus his, quapropter et ego vias tuas in capite tuo dedi, ait Dominus Deus, et non feci iuxta scelera tua in omnibus abominationibus tuis* »; — non est recordata ex qua miseria ad quantam dignitatem a benignissimo Domino sit exaltata et qualem ipsa obedientiam Deo spoponderit Ex. 19,8 : cuncta quae locutus est Dominus faciemus; cf. Ier. 2,2; sed ira commota tumultuata est in Deum (hebr.). Quare *vias eius*, facinora, studia iniqua dabit Deus ut in caput eius redundent, ut scil. debitas poenas luat. Ultimum membrum *S. Hier.* expressit secundum *Sym.* versionem. Uti textus hebr. fertur, verti debet : et non feci scelus super (propter) abominationes tuas; id quod explicant aliqui ex Lev. 19,29, quo loco זִמָּה vocatur si pater filiam suam prostituat; unde scelus committi dicunt a patre eodem nomine appellandum, si fornicationem filiae non impedierit, quare sensum esse : non admittam scelus ut te relinquam impunitam in omnibus abominationibus tuis (*Troch. Keil*).

Ceterum secundum notam *mas.* legi debet *et non fecisti*, atque secundam personam praebent *Syrus* : eo quod commiseris abominationem et scortationem, *Chald.* : et non fecisti tibi consilium, ut reverteres ab omnibus flagitiis tuis. Etiam LXX secun-

dam personam expressisse videntur sine negatione : καὶ οὕτως ἐποίησας, cum ita ferant codd. alex. vatic. versio *S. Hier.* et aethiop. et arab., dum tamen recensio Luciani, *Theod.* et versio copt. primam personam praebent (*C.*), sed in negationis particula non inter se consentiunt; dum enim *Theod.* et recensio Luciani praebent οὕτως οὐκ, versio copt. habet : et sic adduxi impietatem tuam super cunctis iniquitatibus tuis. Sententia quae a *Sym.* et *S. Hier.* exprimitur valide sequentibus, praesertim v. 47 seq. confirmatur. Quare secundum eam textus hebr. emendandus esse videtur. *C.* satius censet verba ea delere, cum et veteres testes adeo inter se discrepent et verba sint difficilia. Verum considerari oportet ab omnibus testibus confirmari aliquid eo loco esse lectum; unde verba delere audacius est; illud veterum testimonium potius erit sequendum quod ad rei argumentum et seriem melius conveniat.

Iam cur benignius actum sit, ita exponitur ut sermo ad maiorem confusionem ingerendam dirigatur v. 44 « *ecce omnis qui dicit vulgo proverbium, in te assumet illud dicens : sicut mater, ita et filia eius* »; — i. e. qui in proverbiis loqui solet vel qui vult de ea efformare proverbium, dicet : sicut mater, quae est scil. Cethaea v. 3. 45; proin Ierusalem imitatam esse et in se expressisse omnem iniquitatem et immunditiem Chananaeorum et cum nihilominus mitius adhibeatur, non ita punitur sicut meruit v. 43. Atque quantopere indolem et mores illius stirpis in se exhibuerit, comparatione et parentum et sororum describitur ita ut omnem parentum et sororum iniquitatem imitata esse, immo superasse quoque dicatur v. 45 « *filia matris tuae es tu quae proiecit virum suum et filios suos, et soror sororum tuarum es tu quae proiecerunt viros suos et filios suos; mater vestra Cethaea et pater vester Amorrhaeus* v. 46 *et soror tua maior Samaria, ipsa et filiae eius quae habitant ad sinistram tuam, soror autem tua minor te, quae habitat a dextris tuis, Sodoma et filiae eius* »; — quem virum proiecerit mater Cethaea, quaeritur. Sunt qui Deum intelligant, ita ut gentes quoque a prima et vera Dei notione eiusque cultu defecisse dicantur. Sic iam *Theod.* : « his ostendit se non Iudaeorum esse tantum Deum sed etiam gentium; etenim illorum antiquitus Deus appellatus est, antequam ipsi eo detrimento afficerentur ut idola colerent; quapropter illos quoque et virum et filios repulisse dixit negato Deo daemonibusque filiis immolatis ». Quae sententia confirmari potest eo quod in proiiciendis filiis certe cultus ille cruentus intelligitur quo filii diis immolabantur vel cremabantur, et commendatur eo quoque quod etiam Michaeas ob similem a Deo defectionem Niniven appellare videtur meretricem (Mich. 1,7), qua nuncupatione omnem idololatriam esse apostasiam a Deo indicat et ab eo foedere quod Deus in protoparente cum universo genere humano iniit. Porro haec sententia et gravis est et ad rem; eam proponunt *Prad. Lap. Men. Troch. Schr. Keil.* Sed uti olim iam Polychronius (apud *Prad.*), sic etiam *Prad. Lap. Tir.* et

recentiores quoque aliam explicationem in medium afferunt : sicuti mulieres illae spretis suis maritis cum aliis libidini indulgebant, ita Ierusalem Dominum abiecit. Cui explicationi favet quod dicitur : proiecerunt *viros* suos; minus vero commode in ea filii quoque dicuntur proiecti ; nam vita domestica perturbata curam filiorum negligi verum quidem est, at hoc loco parum ad rem. Suntne igitur adulteria et victimae filiorum quae in honorem Moloch fiebant uno eodemque abiiciendi vel spernendi vocabulo comprehensa? Morum similitudo etiam cum Samaria effertur, quae vocatur soror maior, utpote quia Samaria cum aliis urbibus (filiis) quae ad eam ut metropolin pertinebant regnum ditione maius constituebat et ad sinistram i. e. septemtrionem versus sita erat. Etiam maioris reprehensionis causa morum similitudo notatur cum Sodomis, prout similiter iam dicitur Deut. 32,32 : de vinea Sodomorum vinea eorum, et vide Is. 1,9. 10; 3,9. Ier. 23,14. Lament. 4,66.

Verum eas sorores iniquitate superavit v. 47 « *sed nec in viis earum ambulasti neque secundum scelera earum fecisti pauxillum minus; pene sceleratiora fecisti illis in omnibus viis tuis;* v. 48 *vivo ego, dicit Dominus Deus, quia non fecit Sodoma soror tua ipsa et filiae eius, sicut fecisti tu et filiae tuae* »! — clarius et efficacius in hebr. omisso קָט quum vocem veteres versiones non referunt : *neque secundum scelera earum fecisti, brevi tempore et sceleratiora fecisti* i. e. mox, post breve tempus non erat contenta earum sceleribus, sed maiora patravit (*Mald. Vat.*), ita ut כִּמְעַט de tempore dicatur (*Sm. C.*); alii de modo et quasi mensura : non fecisti paululum tantummodo, sed peius egisti (*Troch. Keil*) vel : paulum hoc fuisset, sceleratiora perpetrasti (*Prad. Calm.*). Certe ita oportet sententiam enuntiari, ut cum v. 48 concordet et cum sequentibus, in quibus minor Sodomitarum culpa declaratur. Vehemens loquentis affectus iureiurando designatur; immo, ut *Prad.* advertit, in hebr. et graeco geminatum iusiurandum adhibetur : *vivo ego, si* אם. Iniquitas populi electi iam eo maior erat quia a Deo edoctus multisque auxiliis adiutus tamen cursu adeo praecipite in scelera ruit. Quae fuerint fomenta scelerum, exponitur v. 49 « *ecce haec fuit iniquitas Sodomae sororis tuae : superbia, saturitas panis et abundantia et otium ipsius et filiarum eius et manum egeno et pauperi non porrigebant,* v. 50 *et elevatae sunt et fecerunt abominationes coram me et abstuli eas sicut vidisti* »; — hebr. et LXX καθὼς ἴδον, *ut vidi,* secundum Gen. 18,21 : descendam et *videbo* utrum clamorem qui venit ad me opere compleverint; ita quoque *Syrus; vidisti* praebent *Aq. Sym. Theod. S. Hier.* et duo codices hebr. (apud *de Rossi* et *C.*), dum duo alii legunt : sicut feci. Scelera autem progi-

gnebantur ex superbia, ex rerum omnium affluentia, ex abundantia otii vel ex pace et secura quiete; utique tria haec : elatio animi, cibi potusque copia, otium et desidia quam maxime fecunda sunt ad flagitia procreanda et ad animos hominum indurandos. Iniustitia et durities in pauperes, luxuries vitae, superbia etiam sunt illae labruscae quas vinea Iuda Domino attulit Is. 5,7-23.

Minori quoque culpae obnoxia erat Samaria v. 51 « *et Samaria dimidium peccatorum tuorum non peccavit, sed vicisti eas sceleribus tuis et iustificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis quas operata es* »! — idem apud Ier. 3,11 : iustificavit animam suam aversatrix Israel comparatione praevaricatricis Iudae. In Iuda enim maior quoque aderat prophetarum numerus, templum Dei, sacerdotium legitimum, rex theocraticus; quare Iudaeorum scelera multis nominibus maiora censentur, si v. g. in ipso templo Dei idola collocabant (4 Reg. 21,4). Ultimum membrum *S. Hier.* explicat : « non simpliciter iustas Sodomam et Samariam esse decernit, sed comparatione deteriorum ». Unde cum Sodoma et Samaria strictum Dei iudicium contra se devolvi viderint, quid aequius quam ut Ierusalem quoque ultionem et iram Dei in se experiatur? v. 52 « *ergo et tu porta confusionem tuam quae vicisti sorores tuas peccatis tuis, sceleratius agens ab eis; iustificatae sunt enim a te, ergo et tu confundere et porta ignominiam tuam quae iustificasti sorores tuas* »; — porta scil. ignominiam ruinae et excidii, sicut illae urbes portare debuerunt; idque eo magis quia sceleratius egisti *quam illae*, sunt enim magis iustae *quam tu* (hebr. מִן; unde *ab*, sed explica sensu comparativo). Hebr. פִּלֵּל *S. Hier.* vertit *vicisti*; eodem modo *Sym.*; verbo hebr. convenit notio *intercedendi* pro aliquo (vide *de Hummelauer* ad 1 Sam. 2,25), quae notio nostro quoque loco apta est, ut scil. Ierusalem dicatur *intercedere* pro urbibus illis. Ita enim facillime declaratur nexus cum sequentibus : Deus illarum quoque urbium sortem in melius mutare debebit, quia restituet Ierusalem quae plus illis peccavit, et eo sensu dicitur intercedere pro illis. Alii voci notionem *iudicandi, condemnandi* attribuunt (*Vat. Mald. Troch. Schr. Keil*), sed, prout *Sm.* dicit, haec notio nequit probari et sensus inde elicitus est satis malus; num Iudaei multum condemnasse censendi sunt peccata Samariae? *C.* demum voci significationem *declarandi iustum* adscribit et membrum alterum *iustificatae sunt* tamquam glossam prioris eiicit. Sed cum de altera significatione *intercedendi* constet certo, arbitrarie alia fingitur.

k) **Instauratio promittitur 16, 53-63.**

Deus cum iratus fuerit, misericordiae recordabitur (Hab. 3,2). Iu-

diciis enim id efficiendum est, ut sciant Iahve, quemadmodum saepissime dicitur. Iam scire Iahve est non solum eum experiri vindicem, sed eum experiri foederis initi exsecutorem et bonorum omnium largitorem. Antiquissimis enim et innumeris promissis constat regnum Dei insigni quodam modo esse stabiliendum ita quidem ut omnes gentes complectatur, prout iam ad Abraham, Isaac, Iacob dictum est: in te, in semine tuo benedicentur omnes gentes (Gen. 12,3; 18,18; 22,18; 26,4; 28,14). Quam aliarum quoque gentium ad regnum Dei vocationem prophetae insignibus oraculis prosecuti sunt (cf. Is. 2,2 seq.; 11, 10; 42,6; 49,6; 60,1 etc. Am. 9,12. Mich. 4,1; 7,11 etc.); unde Ezechiel quoque qui supra iam 11,17 seq. instaurationis promissionem dedit et in ipsa gloriae Dei manifestatione eius habet pignus, non solum pro populo electo, sed etiam pro gentibus eandem laetissimam spem aperit. Cum autem Ierusalem peccantem et moribus gentium infectam cum Sodoma et Samaria comparaverit et in Sodoma et Samaria sorores Ierusalem descripserit, plane ad metaphoram institutam consequens est, ut quod alii prophetae vel in gentibus in universum vel in una aliqua exhibuerunt (cf. Ier. 48,47; 49,39), id Ezechiel in sororibus Ierusalem fieri nobis ob oculos ponat; v. 53 « *Et convertam restituens eas conversione Sodomorum cum filiabus suis et conversione Samariae et filiarum eius et convertam reversionem tuam in medio earum* »; — hebr. *et convertam captivitatem earum, captivitatem Sodomorum... et captivitatem Samariae;* locutio ea dicitur de restitutione in integrum, de felici instauratione post ruinam, uti adhibetur v. g. Iob 42,10. Quare ruinis Sodomorum et urbium ad eam metropolin pertinentium spem adfore dicit instaurationis. Qualis intelligenda sit instauratio, facile ex ea instauratione colligitur quae ipsi Ierusalem est promissa. Eius autem indolem vates nobis iam 11,19. 20 descripsit et descripserunt prophetae eius antecessores (cf. Is. 2, 3; 11,9 etc.; vide Comment. in Is. II p. 108. 147. 236. 384 etc.) et ex ipsa expostulatione antecedente fluit per se, qualis conversio intelligi debeat.

Si in memoriam nobis revocamus prophetas indolem spiritualem instaurationis saepe et clare efferre — de qua re in commentariis de prophetis saepe monui; cf. in Is. II p. 61. 129. 140. 147. 255. 265. 277. 323. 342. 361. 388. 402 etc. — iam per se excluditur prophetam de iterata aedificatione Sodomorum cogitasse. Neque ut nomini Sodomorum satisfiat, necesse erit de posteris Loth, de Ammonitis et Moabitis, de incolis Segor speciali ratione verba explicare, uti aliqui volunt (cf. *Lap. Men. Tir. Gord. Calm.*). Eius enim nominis usus ex metaphora de sorore Ierusalem sequitur; insuper locutionis et poeticae et propheticae est rem non adeo in universum edicere

quam in uno alterove exemplo depingere; « ponit enim unam gentilium civitatem loco omnium, sicut Christus Matth. 11,21-23 posuit Tyrum et Sidonem » (*Mald.*). Neque admitti potest quod post Munsterum, Piscatorem etiam unus alterve ex recentioribus proposuit, implicitam in prophetia conditionem contineri : si Sodomam... restituero, fieri quoque poterit, ut minas in Ierusalem pronuntiatas partim solvam; sed cum Sodoma nunquam restituatur, nulla erit pro Ierusalem evadendi spes. Sed bene *Calm.* advertit : « tota orationis series hanc interpretationem evertit »; quippe quae tota faustum sonat. Somnia vero illorum qui in ultima periodo messianica urbes illas pentapoleos iri restitutum totamque regionem in paradisum mutatum iri sperant, *S. Hier.* ad h. l. iam acerbe ridet et deliramentis adscribit.

Uti igitur Ierusalem et Sodoma et Samaria sociae erant et sorores in iniquitate, ita sociae quoque erunt et sorores in instauratione; unde Ierusalem in medio earum reverti dicitur; simile habes Is. 19,24 : in die illa erit Israel tertius Aegypto et Assyrio. Ita Ierusalem eodem censu et ordine habetur cum gentibus; ipsa scil. et gentes ex summa iniquitate et miseria Dei miseratione servantur, ut nemo coram Deo glorietur, sed ut Ierusalem quoque suae ignominiae memor immensam Dei misericordiam humiliter agnoscat v. 54 « *ut portes ignominiam tuam et confundaris in omnibus quae fecisti consolans eas* »; — cf. Ier. 3,21-25. Israel olim filius Dei primogenitus (Ex. 4,22. Ier. 3,19), peculium Dei, gens sancta quam prae reliquis sibi elegit, in instauratione apparet in medio gentium, sicut unus aliquis populus de multis (*Prad.*). In hac aequalitate adest aliqua ratio confusionis : non est distinctio, omnes enim peccaverunt et egent gloria Dei (Rom. 3, 22. 23); ubi ergo est gloriatio tua? exclusa est (l. c. 27); quid ergo? praecellimus eos? nequaquam; causati enim sumus, Iudaeos et Graecos omnes sub peccato esse (l. c. 9). Unde instauratio tamquam donum agnoscatur oportet ex sola Dei gratia et liberalitate profectum atque in ipsa instauratione Ierusalem memor sit oportet cum dolore et confusione iniquitatis antea admissae. Eo modo etiam *consolatur* sorores, alias gentes, dum in se immensam Dei benignitatem ostendit qui omnium misereatur, conclusit enim Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur (Rom. 11,32). Alii (*Mar. Gord.*) sententiam referunt non ad tempus restitutionis, sed restitutionem in v. 53 promitti censent, ut ea spe suffulti *nunc* portent ignominiam et patienter ferant mala ; in qua tamen explicatione aliqua in textu supplenda sunt.

Promissio iterato confirmatur v. 55 « *et soror tua Sodoma et filiae eius revertentur ad antiquitatem suam, et Samaria et filiae eius revertentur ad antiquitatem suam et tu et filiae tuae revertemini ad antiquitatem vestram* »; — statum pristinum intellige ex v. 45, statum

scil. cultus et fidelitatis in Deum. Ierusalem nominari post alias gentes neque id sine causa fieri ex Rom. 11,25. 26 discimus (*Prad. Mald.*). Verum id ipsum quod Ierusalem in censu aliarum gentium reputatur, immo post eas nominatur, admirationi est, quia Ierusalem alias gentes prae se contemnere solebat v. 56 « *non fuit autem Sodoma soror tua audita in ore tuo in die superbiae tuae,* v. 57 *antequam revelaretur malitia tua, sicut hoc tempore in opprobrium filiarum Syriae et cunctarum in circuitu tuo filiarum Palaestinarum quae ambiunt te per gyrum* »; — hebr. *non erat Sodoma soror tua ad gloriam in ore tuo* vel ad auditum i. e. ne nominare quidem prae contemptu et fastu Sodomam antea dignata es (*Prad. Pint. Lap. Men. Tir. Calm. Loch*); unde si לִשְׁמוּעָה explicaveris cum aliquibus *ad gloriam*, litotes intelligatur oportet (*Sm.*), uti bene iam conceperunt sensum *Prad. Pint.* et reliqui, qui sensus cum maximum contemptum significet praestat prae alia acceptione : non fuit tibi Sodoma doctrinae vel documento, ut scil. eius poena a similibus flagitiis revocareris (*S. Hier. Mald. Sa, Mar. Vat. Gord.*); at cur in *ore* tuo? os recte commemoratur, si Ierusalem sua nobilitate indignum putabat vel ipsum nomen Sodomae summis labris efferre (*Calm.*). Ita res se habuit in die superbiae, fastus Ierusalem, cf. v. 49. Ille dies in v. 57 magis determinatur : antequam revelaretur *ignominia tua* (uti vertit Symmachus teste *S. Hier.*; ergo עֶרוֹתֵךְ pro *mas.* רעתך?), « quae hoc tempore revelata est in tantum, ut cunctis urbibus Syriae et Palaestinae quae in circuitu tuo sunt fieres opprobrium ». Ita *S. Hier.* versionem suam explicat. Hebr. verte *sicut tempore opprobrii filiarum Aram... et filiarum Philisthiim, quae te spreverunt undique* (*Vat. Mald. Mar.*), scil. opprobrii illati a regnis Syriae et Philisthiim. Proinde, uti Ierusalem varie iam afflicta est et humiliata a Syris et Philisthaeis, v. g. tempore Achaz (4 Reg. 15,37; 16,6. 2 Par. 28,18 seq.), tempore Ioakim (4 Reg. 24,2), ita a Chaldaeis quoque affligetur et humiliabitur.

Eo autem opprobrio iuremerito obruetur quia foedere violato omnibus se poenis reddidit obnoxiam; id repetito effertur, ut Ierusalem agnoscat se sceleribus parem immo superiorem aliis urbibus et animo demisso poenam subeat et animo gratissimo et humili beneficium Dei et gratiam speret et accipiat. Unde v. 58 « *scelus tuum et ignominiam tuam tu portasti, ait Dominus Deus,* v. 59 *quia haec dicit Dominus Deus : et faciam tibi, sicut despexisti iuramentum, ut irritum faceres pactum* »! — scelus זִמָּה de spurcitiis praesertim dicitur; vide v. 43; scelerum poenas debet portare; « scelus tuum et ignominiam tuam tu porta, sive portasti, sive portatura es, ut recipias quod mereris, quia despexisti iuramentum meum et irritum fecisti pactum meum »

(*S. Hier.*). Hebr. v. 59 *faciam tecum sicut fecisti quae despexisti iuramentum,* illud scil. quod variis exsecrationibus in transgressores latis se observaturos esse spoponderunt. Adest enim in אָלָה allusio ad sollemnem foederis confirmationem (Deut. 27,6 seq. *Prad. Tir. Calm.*) et ad iuramentum ibi praestitum et exsecrationes in contemptores prolatas (cf. Deut. 29,11 seq. 19. 20). Igitur ait : cum ne exsecrationem quidem verita fueris, sed absque metu pactum meum violaveris, percipe seminum tuorum fructus (*Prad.*).

At Dominus afflictam et humiliatam non derelinquit; se praestabit *Iahve* fidelissimum foederis exsecutorem, cuius fidelitas infidelitate hominum non evacuatur sed magis illustratur et commendatur (Rom. 3,3); v. 60 « *et recordabor ego pacti mei tecum in diebus adolescentiae tuae et suscitabo tibi pactum sempiternum* »; — vide supra v. 8. Dona enim Dei sunt sine poenitentia; unde populum quem elegit non abiicit; sed uti iam Lev. 26,42. 45 promisit : recordabor foederis mei pristini quando eduxi eos de terra Aegypti. Et propter illud foedus etiam stare faciet et eriget foedus novum idque sempiternum quod nulla violatione iam erit irritandum, sed quod, uti iam 11,19. 20 affirmatur, sanctitate erit perpetuo firmum et illustre; de quo foedere novo et perpetuo vide ad Os. 2,19-24. Ier. 31,33. Sed etiam postquam in gratiam fuerit recepta, dolor de peccatis antea commissis et confusio manebit et ita Dei beneficium gratuito praestitum esse illustri modo palam fit v. 61 « *et recordaberis viarum tuarum et confunderis, cum receperis sorores tuas te maiores cum minoribus tuis, et dabo tibi eas in filias, sed non ex pacto tuo* »; — sorores vocantur gentes reliquae; quare simul h. l. argumentum habetur in hac parte revera de vocatione gentium ad regnum messianicum esse sermonem; vide ad v. 53. 55. Dantur Ierusalem in filias, nam Sion est mater populorum (Ps. 86,4-6), est centrum illud, ad quod omnes confluent (Is. 2,3. Mich. 4,2). Ita Isaias quoque festive celebrat Sioni matri filios datum iri quam plurimos 54,1 seq. 60,3 seq. 66,8 seq. 19. 20; nam de Sion exibit lex et verbum Domini de Ierusalem. Ita simul suus Ierusalem matri honor consistit; at honor ille, ut gentes filiae eius sint, ab ea quasi educatae et enutritae doctrina Dei, Ierusalem non contingit vi pacti, quasi iure suo, non ex merito, sed ex gratia et misericordia Dei (*S. Hier. Pint.*). Valet igitur quod Christus dixit : salus ex Iudaeis (Ioan. 4,22), valet quod apostolus dicit evangelium esse in salutem omnium Iudaeo primum et Graeco (Rom. 1,16), valet quod de oliva dicit, cui reliqui inseruntur (Rom. 11,17).

Isto novo foedere instituto Deus Iahve cognoscetur i. e. tamquam is qui solus pro sua gratia gratiosi pacti est auctor v. 62 « *et suscitabo ego pactum meum tecum et scies quia ego Dominus,* v. 63 *ut recorderis et*

confundaris et non sit tibi ultra aperire os prae confusione tua, cum placatus tibi fuero in omnibus quae fecisti, ait Dominus Deus »; — ex reprehensione scelerum satis superque elucet veniam et gratiam et novum amoris foedus a Deo gratuito praestari, quare post tot iniquitates nihil relinquitur pro Ierusalem, nisi ut summa animi demissione et humilitate fateatur sibi quamvis indignissimae summa illa beneficia pro Dei sola liberalitate et gratia obvenire. Talem animum Deus exigit ne quid sibi homo attribuat, sed ut qui glorietur in Domino glorietur (Ier. 9,24). Superbis enim resistit Deus, humilibus dat gratiam. Bene hoc doctrinae caput expendit *S. Hier.* : « ex quo intelligimus, etiam cum per misericordiam Dei receperimus pristinam gloriam, immo acceperimus pactum evangelii sempiternum, postquam placatus fuerit nobis Dominus in omnibus quae fecimus, memoriam praeteriti nos habere peccati et semper os claudere, quia non ex operibus nostris, sed ex Dei gratia salvati sumus ». Aliud quoque facile ex hoc capite fluit : uti Israel ex summa miseria electa est a Deo et assumpta ad prius foedus, ita ad alterum quoque foedus sola Dei gratia ex miseria peccatorum adducitur. Unde reipsa clare docetur vocationem ad regnum messianicum Iudaeis non deberi titulo quasi iuris, verum eos vocari sola gratia postquam ex sua parte pro virili foedus cum Deo initum violaverint et abiecerint. Ita propheta iam damnat fastum illum pharisaicum : filii Abraham sumus, patrem habemus Abraham (Matth. 3,9. Luc. 3,8. Ioan. 8,33 seq.) et praeparat illud : poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum (Matth. 3,17. Marc. 1,15). Simul autem caput hoc adeo triste concludit laetissima spe exhibens nobis sponsam Domini tamquam matrem populorum, igitur omnes gentes in unam Dei familiam collectas, qui cum sit Dominus omnium, omnium etiam miseretur.

l) Parabola de perfidia contra regem Babylonis 17, 1-10.

Ex maxima illa contra Deum rebellione quam vates modo cap. 16 descripsit, unum exemplum etiam accuratius proponit quod ad ultimum tempus regni iudaici spectat et quam maxime ostendit, quantopere in ordine quoque civili et in ratione reipublicae administrandae a Deo defecerint. Deus enim peculiari sensu erat rex Israel et per prophetas postulabat, ut in regni gubernatione, in bellis, in aula et pompa regia normae servarentur theocraticae, in lege pentateuchica iam stabilitae. Per prophetam Ieremiam omnes iusserat colla subiicere regi Nabuchodonosor; ita iam quarto anno Ioakim regis (Ier. 25,11), et ea conditione sola urbem iri servatum a ruina (Ier. 21,8; 38,2. 17.

18). Sed Ieremias frustra id monuit. Sedecias et principes spem ponunt in Aegypto, fidem et obedientiam quam sacris iuramentis Dei nomine invocato regi Babylonis spoponderant periuri et perfidi abiiciunt. Ita ruinam et interitum sibi et regno adsciscunt. Seditione autem et perfidia in regem Babylonis commissa etiam a Domino rege eiusque obedientia recesserunt; quare eo quoque nomine eius ultionem in se provocant. Id iam parabola proponere vates iubetur v. 1 « *Et factum est verbum Domini ad me dicens :* v. 2 *fili hominis propone aenigma et narra parabolam ad domum Israel* »! — aenigma חִידָה appellatur propositio obscura, problema intricatum (*Prad.*); modo loquendi parabolico et res similitudine illustratur et maior loquenti conciliatur attentio; v. 3 « *et dices : haec dicit Dominus Deus : aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis et varietate venit ad Libanum et tulit medullam cedri* »; — aquila est grandis, habet alas magnas, in iis longas pennas (hebr.); est plena plumis versicoloribus ac variegatis. Ita ex v. 12 Nabuchodonosor describitur : rex scil. rapax, potentissimus qui iam multis victoriis partis et magna gentium varietate subiecta post suum per alias terras volatum etiam ad Ierusalem accessit et cedri *cacumen* (hebr.) vel summitatem, ramum celsiorem (*Prad. Vat. Mald. Mar. Lap.*). Cur Ierusalem designetur Libano, commode explicabis ex Ier. 22,23 : quae sedes in Libano et nidificas in cedris; erant quippe aedificia quaedam sumptuosa, uti arx regia, cedris Libani constructa. Cedrus autem regia arbor est domus David; eius cacumen vel ramus celsior rex davidicus, Ioachin, quem Nabuchodonosor in Babyloniam abduxit (4 Reg. 24,15. 2 Par. 30,10). De aquila cf. Is. 46,11. Ier. 48,40; 49,22. Lam. 4,19; cum metaphora sit frequens et obvia de victore rapaci et veloci non erit alia ratio particularis exquirenda quae in solum conveniat Nabuchodonosor.

Cacumen cedri esse avulsum et decerptum repetitur, ut in ea re praecipuam vim poni prodatur v. 4 « *summitatem frondium eius avulsit et transportavit eam in terram Chanaan, in urbe negotiatorum posuit illam* »; — Chanaan membro parallelo declaratur, uti 16,29, de terra quae mercaturam exercet, uti Chananaeus quoque de mercatore dicitur; cf. Is. 23,8. Iob 40,3. Prov. 31,24 etc.; Babyloniam autem merito appellari posse terram mercatorum, vide ad 16,29 et apud *Movers,* Phoenizier II 3 p. 239 seq. — Pro Ioachin constituit Babylonius regem alium, Sedeciam v. 5 « *et tulit de semine terrae et posuit illud in terra pro semine, ut firmaret radicem super aquas multas; in superficie posuit illud* »; — vide v. 13; hebr. *et posuit illud in agro sativo,* in terra scil. fertili (*Vat. Mald. Prad. Mar.*) et

insuper ad aquas multas, unde nova illa plantatio germinare et prosperare potuit. Idem exprimi censent ultimo membro hebr. *salicem posuit* vel salicis instar plantavit (cf. *Vat. Mald. Mar. Calm. Schr. Keil*), ut sit comparatio ex duplici capite : salix enim humorem amat et loca aquis rigua; facile radices agit ac statim crescit (*Calm.*). *S. Hier.* vocem צַפְצָפָה ἁπ. λεγ. interpretatus est sicut *Aq. Sym. Theod.* ἐπιπόλαιον : « in superficie posuit illum (Sedeciam) nec potestatem eius alta imperii radice firmavit ».

In hebr. legitur קַח עַל מַיִם; vocem קח non exprimunt LXX neque *Syrus*; Sym. Theodoretus, recensio Luciani praebent λαβεῖν ῥίζωσιν, unde etiam *S. Hier.* vertit ut firmaret radicem, dum in sua LXX versione solum habet : dedit illud in campo plantationem super aquas multas. Qui קַח retinent, explicant positum pro לְקַח, uti Os. 11,3 : accepit illud ad aquas multas, prout *Chald.* habet : posuit illud ad aquas multas. Alii (*Ewald, Sm.*) vocem explicant secundum aramaicum קוחא *virgultum*; *C.* eam cum LXX et versionibus ex LXX derivatis delet. Quamvis pro ἁπ. λεγ. צפצפה notionem salicis generatim assignent, tamen res valde dubia videtur. Apud rabbinos quidem et in talmude ea significatio sine dubio voci tribuitur; at nostro loco obstat quod non salix, sed ex v. 6 *vitis* plantatur, neque adest particula comparationis; *Aq. Sym. Theod.* verterunt aliter quos sequitur *S. Hier.*; apud LXX legitur ἐπιβλεπόμενον ἔταξεν αὐτό (a צָפָה speculari?); sim. *Syrus*; *Chald.* vitem plantatam posuit illud. Verbum צוף 2 Reg. 6,6 natare (natavit ferrum, vel natare fecit, LXX ἐπεπόλασε) idem esse videtur atque in superficie ferri; vide *Schleusner*, II p. 475, uti vocem graecam Hesychius explicat; inde versio *Aq.* etc. explanari potest quae eo quoque commendatur, quia in v. 6 vitis illa humilis mansisse neque in altum crevisse dicitur, cuius ratio *in superficie* habetur : non profunde humo implantavit, sed ad terrae superficiem. *C.* ex eodem loco 2 Reg. 6,6 etc. voci tribuit notionem plantae ripae innatae?

Atque planta illa satis prospere crevit v. 6 « *cumque germinasset, crevit in vineam latiorem humili statura respicientibus ramis ad eam et radices eius sub illa erant; facta est ergo vinea et fructificavit in palmites et emisit propagines* »; — hebr. *et germinavit et factum est in vitem late diffusam, humilem statura, ut rami eius ad illam se converterent et radices eius essent sub ea;* tria declarantur : in vite latiore regnum Sedeciae designatur quod Nabuchodonosor quiete et prosperitate uti sub suo imperio volebat, sed ita ut maneret humili statura, regnum debile sine splendore, et ut totum penderet a nutu et voluntate Chaldaeorum, « ut respiceret ad Babylonii iubentis imperium, ut videretur quidem habere regnum, sed ipsum regnum eius humile atque infirmum babylonii principis regeretur arbitrio » (*S. Hier.*). Quare in parabola dicitur aquilam vitem illam plantasse, ut rami et propagines eius ad se respicerent et radices sub se essent i. e. ut regnum totum a se penderet. Ea autem conditione regnum Sedeciae per aliquod tempus constitit.

Verum mox appetiit Sedecias foedus aegyptiacum, quo iugum excuteret babylonicum v. 7 « *et facta est aquila altera grandis magnis alis multisque plumis; et ecce vinea ista quasi mittens radices suas ad eam palmites suos extendit ad illam, ut irrigaret eam de areolis germinis sui* »; — cf. v. 15. Vitis noluit esse sub priore aquila; ad alteram flexit radices suas (hebr.) et palmites ad eam extendit de areolis vel lineis plantationis suae (hebr.) i. e. de loco in quo plantata erat extendit palmites ad aquilam alteram, ut ab ea irrigaretur (cf. *Vat.*), vel ut hebr. quoque verti potest : ut ab ea irrigaretur plus quam ab areola in qua plantata erat (*C.*). Temere id factum esse indicatur v. 8 « *in terra bona super aquas multas plantata est, ut faciat frondes et portet fructum ut sit in vineam grandem* »; — i. e. quid opus habebat ad alteram aquilam incurvare ramos et ab ea expetere irrigationem? iam a priore aquila plantata erat in campo fertili ad aquas multas, ita ut bene cresceret et prosperaret. Ergo nullam adfuisse causam, cur Sedecias a rege Nabuchodonosor contra Dei voluntatem deficeret, cum sub eo Deus regnum iudaicum satis prospere se habere vellet.

Eius vero temeritatis et defectionis poenas dabit v. 9 « *dic : haec dicit Dominus Deus : ergone prosperabitur? nonne radices eius evellet et fructus eius distringet et siccabit omnes palmites germinis eius et arescet, et non in brachio grandi neque in populo multo, ut evelleret eam radicitus* »? — num proficiet? num istud consilium pro votis cedet? nonne aquila prior radices eius evellet et exstirpabit et fructum decutiet, ut vitis arescat (hebr.), ut omnes rami germinis eius arefiant? neque ad vineam eam radicitus evellendam opus ei erit multo labore multisque copiis, sed facile vitem destruet ac perdet. Singula ad Sedeciam eiusque sortem accommodant : radices evellere i. e. regni robur demoliri; fructum distringere est filios regis per vim immatura morte praecidere; siccare palmites est eius memoriam funditus abolere, vel potius principes eius et consanguineos trucidare (*Prad. Pint. Mald. Lap. Men. Tir.*). Sane in ipsa parabola totum regnum cum omnibus ordinibus designatur. Ultimum versus membrum etiam aliter concipitur. Iam *Mald.* monet verum eius sensum declarari infra v. 17; unde esse explicandum : non poterit rex Aegypti quamvis cum magna potentia et exercitu veniat Sedeciam liberare; idemque commemorant *Lap. Men.* et sequuntur *Hitz. Keil,* unde לְמַשְׂאוֹת[1] explicant *ut eam erigeret* : neque cum magna potentia fieri poterit, ut eam erigat de

1. Quomodo haec vox sit explicanda, non consentiunt. Alii infinitivum modo aramaico formatum agnoscunt (cf. 36,5. 2 Chron. 19,7; *Ewald*, Lehrb. § 239 a; *Sm.*), ***Keil*** potius substantivum cerni vult, *C.* eam formam plane respuit scribens ליום שאת.

radicibus, postquam exaruit. At verbum hebr. iure reddunt veteres versiones omnes eodem modo ἐκσπάσαι LXX, evellere *Syr. S. Hier. Chald.;* neque ea cum v. 17 requiritur concinnitas, ut ideo ab interpretatione adeo communi et voce ipsa commendata recedere debeamus. Ruinam quam vinea incurret iterato proponit vim parabolae una sententia complectens v. 10 « *ecce plantata est; ergone prosperabitur? nonne cum tetigerit eam ventus urens siccabitur et in areis germinis sui arescet* »? — quamvis bene sit plantata, an prosperabitur (*Mald.*)? ventus *orientalis* siccus est et urens; inde plantis maxime noxius (cf. Iob 27,21. Ier. 4,11; 18,17. Os. 13,15). In areis, in quibus germinavit, arescet i. e. rex in ipsa sua terra et populus in sua regione capietur (*Mald. Lap.*) a Chaldaeis ab orientali regione advectis. Ita scil. haud immerito parabolam eventui accommodant (*Prad. Mald. Mar. Lap.*).

m) **Parabola explicatur 17, 11-24.**

V. 11 « *Et factum est verbum Domini ad me dicens :* v. 12 *dic ad domum exasperantem : nescitis quid ista significent? dic : ecce venit rex Babylonis in Ierusalem et assumet regem et principes eius et adducet eos ad semetipsum in Babylonem* »; — verte : venit... *et assumpsit... et adduxit;* res narratur 4 Reg. 24,11 seq. Ier. 24,1; 29,2; Ioachin (Iechonias), filius Ioakim regis, postquam tribus mensibus regnavit, cum matre et uxoribus et multis principibus abductus est in Babylonem octavo anno regni Nabuchodonosor. Rex autem Babylonis pro eo constituit regem Matthaniam, patruum eius, filium Iosiae regis, eique nomen Sedeciae imposuit; ita v. 13 « *et tollet de semine regni ferietque cum eo foedus et ab eo accipiet iusiurandum; sed et fortes terrae tollet* v. 14 *ut sit regnum humile et non elevetur, sed custodiat pactum eius et servet illud* »; — iterum verte ex hebr. tempus praeteritum : *et sumpsit* etc. *et coegit eum iurare* (*Vat.*); vide v. 18 et 2 Par. 36,13. Nabuchodonosor robur regni abstulit (4 Reg. 24,14-16), ut regnum iudaicum redderetur infirmum et impotens, ne rebellionem moveret, ne sese efferret, sed ut servaret pactum et staret (hebr.). Ergo disperdere noluit sed sub suo imperio continere; vide v. 5. 6.

At Sedecias iuramenti fide minime stetit; fecit quod a Ieremia propheta semper maxime reprobatum est (Ier. 2,18. 36. 37) v. 15 « *qui recedens ab eo misit nuntios ad Aegyptum, ut daret sibi equos et populum multum; numquid prosperabitur vel consequetur salutem qui fecit haec? et qui dissolvit pactum numquid effugiet* »? — cf. 4 Reg. 24,20. Eodem modo quo Ieremias, etiam Ezechiel perfidiam Sedeciae

vituperat et iugo Babyloniorum esse colla submittenda docet. Vehementer iuramenti fidem violatam reprehendit v. 16 « *vivo ego, dicit Dominus Deus, quoniam in loco regis qui constituit eum regem cuius fecit irritum iuramentum et solvit pactum quod habebat cum eo, in medio Babylonis morietur* »! — ergo male cedet ei rebellio; captivus Babylonem abducetur; cf. 12,13. Ab Aegyptiis auxilium ei non feretur v. 17 « *et non in exercitu grandi neque in populo multo faciet contra eum Pharao proelium, in iactu aggeris et in exstructione vallorum, ut interficiat animas multas* »; — *contra eum* i. e. regem Babylonis; at hebr. intellige ita ut Pharao dicatur opem ferre Sedeciae solum inefficacem : non in exercitu grandi *cum eo* aget in proelio, ei assistet (cf. *Vat. Mald. Mar.* et recentiores), eo scil. tempore quando agger congeritur et turres aedificantur ad urbem Ierusalem oppugnandam et multos clade prosternendos. De voce דָּיֵק vide ad 4,2. Atque revera dum Ierusalem oppugnaretur, rex Aegypti cum exercitu appropinquavit, sed re infecta iterum in Aegyptum reversus est; vide ad Ier. 37,5. Nomen Pharaonis erat Apries (vel ut Manetho eum vocat Uaphris, ex monumentis Uachabra; cf. *Wiedemann,* Aegypt. Geschichte p. 602. 636).

Denuo perfidia Sedeciae reprehenditur eiusque ruinae causa affertur v. 18 « *spreverat enim iuramentum ut solveret foedus et ecce dedit manum suam, et cum omnia haec fecerit, non effugiet* »; — nullum habebit commodum ex ope Aegyptiorum, quia fidem datam violavit quam tamen data dextera in obsidem pacti et testem iuramenti ipse sanxerat (*Prad. Vat. Tir. Calm. Keil, Sm.*); manum dare (cf. 4 Reg. 10,15. Is. 2,6 hebr.) ab aliis ad foedus cum Aegyptiis refertur (*S. Hier. Mald. Pint. Mar. Lap. Troch.*); at tum sane id exprimendum erat; v. 19 « *propterea haec dicit Dominus Deus : vivo ego, quoniam iuramentum quod sprevit et foedus quod praevaricatus est, ponam in caput eius* »; — fortius effertur in hebr. : *iuramentum meum et foedus meum;* ita quoque LXX, *Syrus, Chald.;* per nomen enim Dei iuravit Sedecias et Deum invocavit testem se fidem servaturum regi Babylonis; accedit quod Deus per Ieremiam foedus servari iussit; quare perfidia in Deum quoque commissa erat, cuius poena ab eo exigetur. Advertit *S. Hier.* : « ex quo discimus etiam inter hostes servandam fidem et non considerandum cui sed per quem iuraveris; multo enim fidelior inventus est ille qui propter nomen Dei tibi credidit et deceptus est, te qui per occasionem divinae maiestatis hosti tuo es molitus insidias ». Quomodo Deus ulturus sit, declaratur v. 20 « *et expandam super eum rete meum et comprehendetur in sagena mea et adducam eum in Babylonem et iudicabo eum ibi in praevaricatione qua despe-*

rit me, v. 21 *et omnes profugi eius cum universo agmine suo gladio cadent, residui autem in omnem ventum dispergentur, et scietis quia ego Dominus locutus sum* »! — vide ad 12,13. De v. 21 vide 4 Reg. 25,4. Ier. 52,7. 8. Ez. 5,2. 12.

Textus *mas.* v. 21 praebet מִבְרָחָו *profugi;* ita quoque *Sym.* et legitur quoque in cod. alex.; *Syrus* autem et *Chald.* legerunt מבחריו *electi eius,* uti etiam teste *de Rossi* multi codd. habent; utramque lectionem coniunctam habet *Theodoretus* et recensio Luciani. Verum LXX ea voce carent. Si textum *mas.* sequeris, habes ἅπ. λεγ.; si 12, 14 comparaveris : et omnes qui circa ipsum sunt, praesidium eius (vel adiutores eius), potius praeferenda videtur lectio *Syri* et *Chald.* et multorum codicum. *C.* vocem delet omnino.

Urbe expugnata, rege capto et abducto, populo vel trucidato vel in alienas regiones disperso regnum iudaicum iacuit prostratum et exstinctum. Quomodo in ea rerum conditione stabunt divina promissa? « non auferetur sceptrum de Iuda — stabiliam thronum regni David usque in sempiternum, thronus tuus erit firmus iugiter » (Gen. 49,10. 2 Reg. 7,13. 16. Ps. 88,4. 38 etc.). Iam ipse Deus declarat, qua ratione in ipsa regni ruina vaticinia illa constent firma et remaneant inconcussa. Iam Davidi dictum erat de regibus successoribus David : si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum et in plagis filiorum hominum; misericordiam autem meam non auferam ab eo... et quae procedunt de labiis meis non faciam irrita (2 Reg. 7,14. 15. Ps. 88,35). Unde in ipso illo vaticinio si reges davidici peccaturi sint poenae erant praedictae, id unum firmum fixumque semper fore asserebatur, misericordiam i. e. promissionem illam ex Dei gratia factam de throno et regno aeterno in domo David stabiliendo nunquam posse irritari vel evacuari. Quomodo autem Deus regibus davidicis punitis et e solio deiectis fidem oraculorum servaturus sit et domum davidicam ad thronum sempiternum adducturus, uti iam apud Ieremiam 23,5 et 33,14. 15 edocti sumus, ita ab Ezechiele quoque audimus v. 22 « *haec dicit Dominus Deus : et sumam ego de medulla cedri sublimis et ponam, de vertice ramorum eius tenerum distringam et plantabo super montem excelsum et eminentem;* v. 23 *in monte sublimi Israel plantabo illud et erumpet in germen et faciet fructum et erit in cedrum magnam et habitabunt sub ea omnes volucres et universum volatile sub umbra frondium eius nidificabit* »; — metaphora ad v. 3. 4 accommodatur; dum rex babylonicus regnum davidicum destruit regemque captum abducit, dicitur cum emphasi : *et sumam ego,* inquit Dominus, *de cacumine cedri et ponam,* de summo ramorum eius tenerum discerpam; ramus ille tener plantatur a Domino in monte sublimi et suo tempore crescet in cedrum sublimem adeo, ut omnes volucres coeli

sub ea habitent. Haud obscura est haec parabola : domus David non interibit, Dominus servat progeniem David, sed in conditione humili et obscura, servat eam donec ipse ex ea progenie illum est educturus qui regnum fundaturus est universale et sub suo sceptro omnes gentes congregaturus. In illa conditione humili ad quam domus David erit redacta cernitur poena regibus impiis praedicta ; in ramusculo servato qui tandem erit in cedrum sublimem adest misericordia quam Deus non auferet a domo David (2 Reg. 14,15); eo igitur sensu thronus David est aeternus, ut domui David licet sit in humilem conditionem redacta maneat apud Deum ius throni aeterni, quod Deus suo tempore in opus deducet eum suscitans ex progenie David cui thronum illum aeternum revera est daturus. Quare angelum ad beatissimam Virginem loquentem audimus : « et dabit illi Dominus Deus sedem (θρόνον) David patris eius et regnabit in domo Iacob in aeternum et regni eius non erit finis » (Luc. 1,32. 33), Unde etiam patet sceptrum *nunquam* auferendum esse de Iuda ; non auferetur *donec* illi venturus sit qui illud geret in aeternum ; quomodo ergo posset au ferri *postquam* ille sceptrum et regnum aeternum suscepit?

Surculus vel ramusculus ille quem Dominus servat de cedro sublimi idem significat quod Amos dicit tabernaculum David quod decidit, sicut surculus in cedrum magnam per Dominum eductus est tabernaculum David a Domino suscitatum, instauratum, reaedificatum, uti Amos 9,11 loquitur. In illo surculo idem exprimitur quod apud Isaiam 4,2 : germen Domini erit in magnificentia, 11,1 : egredietur surculus de trunco Iesse (hebr.), 53,2 : ascendet sicut virgultum coram eo. Quemadmodum h. l. ex magna cedro servatur ramusculus, ita apud Isaiam totum regnum iudaicum arbori comparatur quae succidetur et cuius truncus solum remanet ex quo autem semen sanctum germinabit (Is. 6,13). In qua comparatione declaratur regnum messianicum ex parvis initiis oriturum esse, immo ipsius Messiae humilitati iam praeluditur, sed simul apertissime indicatur ex statu humili eum perventurum esse ad gloriam et maiestatem ita, ut orbis universus ei subiiciatur, ut omnes gentes apud ipsum pacem et salutem quaerant et sub umbra eius inhabitent. Insuper adverte quomodo in parabola de grano sinapis ab ipso Messia haec de surculo et cedro sublimi metaphora ad regnum coelorum i. e. ad regnum messianicum, eius originem, propagationem, salutem omnibus communicandam transferatur (Matth. 13,31. Marc. 4,31. Luc. 13,19).

Metaphorico loquendi genere rite intellecto, quo norma Dei pro tempore futuro et pro conservatione domus davidicae et iuris eiusdem exhibetur,

facile inter se conciliantur interpretum sententiae. Alii enim in ramo illo tenero non vident nisi solum Messiam : « Dominus Deus Pater omnipotens tollit de stirpe regia et de genere David et plantat super montem excelsum et eminentem qui loquitur in psalmo : ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius; iste erupit in germen et fecit fructum et cedros omnes sua sublimitate superavit, ita ut habitent sub eo omnes volucres coeli et cuncta volatilia illius protegantur umbraculo » (*S. Hier.* sim. ***Theod. Pint. Mald. Sa, Mar. Est. Men. Calm. Loch, Troch.***). Alii autem in tenero ramo etiam Zorobabel designari censent hunc in modum : de regia Davidis familia (de cacumine cedri) et ex filiis seu nepotibus Iechoniae (de vertice ramorum eius) ramum tenerum i. e. Zorobabel distringam, tollam et extollam, ut plantem eum in monte Sion, in Ierusalem et in praefectura Iudaeae; ex hac radice stabit et producetur domus David, ex qua oriturus est Christus cui tandem amplissima illa promissa plane conveniunt (cf. ***Ephr. Prad. Lap. Tir. Gord.***). Prophetica in metaphora nobis norma divina traditur, quae in eo consistit, ut aliquod germen domus David (in humili conditione) servetur, ut ex illo Dominus dominatorem Messiam educat. Haec utique norma ita postmodum rebus gestis est in opus et effectum deducta, ut Zorobabel inter reduces praefecturam exerceret et ex eius posteris Christus nasceretur. Unde liquet in illa metaphora apte describi et breviter adumbrari viam qua post regni ruinam domus David ad regnum pervenerit aeternum in filio David. Impletione igitur facta plenius et uberius nos intelligimus quam apposite selecta sit parabola et quam bene rerum eventu sit expressa.

Talem autem rerum cursum seligit Deus, quia fastum humanum et vanam illam gloriam quam reges davidici appetere non desistebant conterere vult v. 24 « *et scient omnia ligna regionis quia ego Dominus humiliavi lignum sublime et exaltavi lignum humile, et siccavi lignum viride et frondere feci lignum aridum; ego Dominus locutus sum et feci* »! — studium illud et aemulationem regum Iudaeorum imitandi modum et pompam regum gentium prophetia etiam 19,2 seq. perstringit; idem hoc loco vituperat in ligno sublimi et viridi; fastum hunc deiicit, ut nemo glorietur nisi in Domino (Ier. 9,24); ex humili autem conditione eriget regnum suum; « deposuit potentes de sede et exaltavit humiles » (Luc. 1,52; cf. 1 Reg. 2,7. 8). Atque hanc suam agendi normam omnibus vult innotescere; Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, et eadem lege regnum messianicum inducitur et propagatur. Quare hic norma enuntiatur generalis, secundum quam administratio regni messianici geritur; id quod in regni messianici praeparatione et prima institutione iam praeclare enituit. Demum sigillo i. e. sollemni affirmatione divina documentum hoc egregium de Dei agendi norma confirmatur.

n) **Suorum quisque scelerum poenas pendet 18, 1-32.**

Postquam vates morum corruptionem descripsit in idololatria et in civili rerum administratione conspicuam (cap. 16. 17), iam Dei normam legemque proponit qua sua quisque scelera debeat expiare suorumque flagitiorum poenas luere, ne scil. falso sibi persuadeant se solum flagitia patrum et castigationes iis debitas pendere. Cavet ergo ne ex parabola cap. 16 proposita falso inferant se ea solum sustinere quae fatali quadam necessitate ex patrum iniquitate consequantur. Se ipsos tamquam peccatores et poenae obnoxios agnoscere debent, si verus ille exsilii fructus, emendatio morum, enascatur oportet. Quare propheta tanta vi sua quemque scelera portaturum esse affirmat. Idque eo magis erat non solum opportunum, ut exsilium suo non careret fructu, verum plane necessarium, quia apud exsules iam in proverbium abierat non suis, sed patrum flagitiis ruinam accidisse. Habuit id aliquam veri speciem cum saepius apud prophetas dicatur evertendam esse urbem propter peccata Manasse (Ier. 15,4). Quod ut rite intelligeretur, monendi erant de sua cum peccatis patrum conspiratione. Unde v. 1 « *Et factus est sermo Domini ad me dicens :* v. 2 *quid est quod inter vos parabolam vertitis in proverbium istud in terra Israel dicentes : patres comederunt uvam acerbam et dentes filiorum obstupescunt* »? — hebr. *quid vobis* i. e. quid vobis in mentem venit, ut proverbium illud in terra Israel usurpatum vos quoque circumferatis et frequenter in ore versetis? Bene LXX proverbium iactari efferunt ἐν τοῖς υἱοῖς Ἰσραήλ; vide ad Ier. 31,29. Enuntiatur hoc loco etiam magis in universum : patres *comedunt*... non solum igitur de re praeterita id asserunt et de suo fato, sed tamquam legem communem et ordinariam. Aliquam veri speciem proverbio conciliari patet ex Ex. 20,5; 34,7. Lev. 26,39. 40. Num. 14,18. Deut. 5,9, quibus locis Deus patrum iniquitatem reddere dicitur super filios in tertiam et quartam generationem. Et en, tertia et quarta generatio a Manasse, rege impio, filii Iosiae, nepotes et abnepotes Manasse affligebantur! Fieri utique potest, ut in rebus publicis et civilibus quae maiores male instituerint filiis demum vel nepotibus sint sustinenda vel expianda; at de eiusmodi calamitatibus hic non agitur et quam perperam iactent tale proverbium, ex ipsa lege pentateuchica elucet. Neque enim Deus absolute et in universum dicit se visitaturum patrum iniquitatem in tertiam et quartam generationem, sed in generationem eorum qui oderunt me (Ex. 20,5. Deut. 5,9) et se affligere illos propter peccata patrum suorum *et sua,* donec confiteantur iniquitates *suas* et maiorum suorum

(Lev. 26,39. 40). Ergo illi filii puniuntur qui imitatione scelera patrum approbant et sua faciunt.

Quantopere autem tale proverbium si cum aliqua veri specie circumferebatur impedimento esse debeat , ne ad poenitentiam divinis castigationibus adducantur, in aperto est positum, praesertim quia unusquisque culpam calamitatis a se removere magno conatu studet. Unde eiusmodi sententiam adeo morum emendationi perniciosam animis penitus evellere propheta aggreditur, nomine Dei docens unumquemque suorum operum iustam accepturum esse retributionem v. 3 « *vivo ego, dicit Dominus Deus, si erit ultra vobis parabola haec in proverbium in Israel* »! — *si* i. e. profecto, per me iuro, ne iam istud adagium inter Israelitas usurpetur! Unde quae norma certissime a se observetur iam indubitato modo declarat v. 4 « *ecce omnes animae meae sunt, ut anima patris, ita et anima filii mea est; anima quae peccaverit ipsa morietur* »! — primo se ostendit omnium creatorem ac dominatorem, possessorem ac patrem, qui igitur cum omnes sui sint neminem repudiet, erga omnes aequissimus sit ac iustissimus, omnium gerat curam omnibusque ex aequo velit esse prospectum; proinde se nullo partium studio tangi, verum summa aequitate cuncta administrare. Argumento simili iam Abraham usus est in sua pro Sodomitis intercessione : absit a te ut occidas iustum cum impio, non est hoc tuum, qui iudicas omnem terram (Gen. 18,25); eodem Eliu probat Deum esse iustum (Iob 34,13) neque alia est S. Pauli argumentatio (Rom. 3,5. 6). Unde suam quisque culpam portabit. Nominat *mortem,* « mors hoc loco poena est, non culpa » (*Prad.*), quia morte continetur summa quaedam omnium poenarum quae lege in transgressores constituuntur, sicut ei qui fecerit legem vita promittitur (cf. Lev. 18,5. Deut. 30,15). De temporali poena et morte agi *Prad. Lap.* non inutiliter monent, « respondet enim Iudaeis qui falso querebantur se plecti et morte aliisque cladibus puniri ob peccata non sua, sed parentum ».

Normam eam per singula explicat; et prius quidem qui sit vere coram Deo iustus describit v. 5 « *et vir si fuerit iustus et fecerit iudicium et iustitiam,* v. 6 *in montibus non comederit et oculos suos non levaverit ad idola domus Israel et uxorem proximi sui non violaverit et ad mulierem menstruatam non accesserit,* v. 7 *et hominem non contristaverit, pignus debitori reddiderit, per vim nihil rapuerit, panem suum esurienti dederit et nudum operuerit vestimento,* v. 8 *ad usuram non commodaverit et amplius non acceperit, ab iniquitate averterit manum suam et iudicium verum fecerit inter virum et virum,* v. 9 *in praeceptis meis ambulaverit et iudicia mea custodierit ut faciat veritatem, hic iustus est, vita vivet, ait Dominus Deus* »; — forma normae iuris divini

et iustitiae quam homini inesse vult Deus describitur ex iis quae vitanda sunt : idololatria, in montibus vel collibus, in excelsis diis vel Domino sacrificium offerre epulasque sacrificales celebrare (Deut. 12, 2), vel cum spe et fiducia animos oculosque elevare ad idola (Deut. 4,19); adulterium (Ex. 20,14. Lev. 20,10. Deut. 5,18; 22,22), accessus ad mulierem quae patitur menstrua (Lev. 18,19; 20,18); varia iniustitiae genera : aliquem iniuste *opprimere,* vexare, spoliare; cf. Lev. 25,14. 17; retinere pignus, id quod lege prohibebatur Ex. 22,26. Deut. 24,6. 10; erga pauperes enim debitores omni aequitate et clementia erat utendum et pignora retinere vitio vertebatur; vide Am. 2,8; pariter lege interdicebatur fenus exercere et usuras accipere a fratribus et contribulibus Ex. 22,24. Lev. 25,36. 37. Deut. 23,20. 21. Dein ea quae praestanda sint praeterea : opera misericordiae exhibere, victum et vestitum pauperi et egeno subministrare; cf. Is. 58,7; iudicium veritatis facere (hebr.) inter litigantes i. e. si iudex vel arbiter est constitutus, sententiam dicere secundum ius et veritatem rei, demum brevi, praecepta et mandata Dei observare studiose et secundum ea in quibus veritatis iurisque summa constituitur regula vivendi agendique rationes disponere; de locutione vide 5,6; 11,20; facere veritatem cf. Gen. 47,29. Ios. 2,14. 2 Par. 31,20. Neh. 9,33. LXX praebent αὐτὰ ποιῆσαι; igitur אותם pro hebr. אמת quam vocem *Syrus, Sym. Chald.* quoque exhibent. Haec qui vita expresserit iustus est coram Deo ex legis norma; *vita vivet* i. e. bonis omnibus fruetur quibus observatio praeceptorum in lege sancitur. Quemadmodum in morte summa continetur minarum legis et poenarum, ita in vita comprehensio quaedam adest ac complexio promissionum et mercedis; vide Lev. 18,5. Deut. 5,33; 8,1; 16,20; 30,16. 20.

Sed patris iustitia filium flagitiosum non eximet neque liberabit a debita poena v. 10 « *quod si genuerit filium latronem effundentem sanguinem et fecerit unum de istis,* v. 11 *et haec quidem omnia non facientem, sed in montibus comedentem et uxorem proximi sui polluentem,* v. 12 *egenum et pauperem contristantem, rapientem rapinas, pignus non reddentem et ad idola levantem oculos suos, abominationem facientem,* v. 13 *ad usuram dantem et amplius accipientem, numquid vivet? non vivet, cum universa haec detestanda fecerit, morte morietur, sanguis eius in ipso erit* »! — hebr. v. 10 filium *violentum* i. e. vim et violentiam exercentem, grassatorem (*Prad.*). Textus quem praebent LXX (quodsi genuerit filium perniciosum (pestilentem), effundentem sanguinem, in via patris sui iusti non ambulavit, sed in montibus comedit etc.) clarior est ac simplicior, cum omnia statim ad filium referantur. De singulis vide ad v. 6-8. Pignus pau-

peri debitori qui proprium opposuit vestimentum ante solis occasum reddi debuit Deut. 24,12. 13 et Ex. 24,25. 26. Fenus exercere et usuram accipere licuit ab alienigena, ab eo qui non erat Israelita Deut. 23, 20; sed etiam tempore Nehemiae usurae exigebantur a fratribus, id quod Nehemias reprehendit (Neh. 5,7). Sanguis eius in ipso i. e. ipse causa sibi erit mortis (*Lap. Men.*), sibi ipsi debebit perniciem suam imputare (*Pint.*); ita locutio haec adhibetur Lev. 20,9. 11. 12. 13 etc. Ios. 2,19. 2 Reg. 1,16 etc.

In altero membro v. 10 legitur hebr. וְעָשָׂה אָח מֵאַחַד מֵאֵלֶּה quae lectio non una premitur difficultate; quid sibi vult אָח? notio *fratris* utique voci inest eaque exprimitur a *Chald.* : et fecerit fratri suo unum de istis; eodem modo aliqui recentiores explicant (*Schr.*) provocantes ad v. 18. At duo obstant; verbum enim עשׂה non iungitur cum accusativo eius cui aliquid fit (*Keil*) neque mentio iniuriae fratri vel generatim alii illatae hoc loco in contextum satis convenit. Insuper neque apud LXX neque apud *Syrum* neque apud *S. Hier.* vox illa אח legitur. Alii eam accipiunt esse scriptam pro אַךְ : et si *tantum* unum de istis fecerit; verum ea vocis notio vel litterarum mutatio est inaudita; unde alii scribendum censent אֵת (ad quod sequentia tamen minime quadrant); alii vocem explicant poni pro אחד per apocopen, quae apocope iterum est inaudita. Dictionem explicare tentat *Delitzsch* (Prolegomena e. n. hebr. ar. Woerterb. p. 139) ex assyriaco *nadu achu* dare latus i. e. recedere, desinere, cessare; unde censet vertendum esse : qui recedat ab unoquoque horum. — Neque inter se consentiunt interpretes, utrum membrum hoc referatur ad patrem an ad filium. Qui ad patrem referunt explicant ac si diceretur : si genuerit filium et fecerit omnia illa (de quibus v. 9); filius autem nihil eorum facit v. 11. Qui autem de filio accipiunt, explicant prius membrum v. 11 de patre, cuius virtus denuo commemoretur. Ex isto quoque dissensu patet textum graecum esse planiorem ac faciliorem.

Neque patris scelera pio nocebunt filio v. 14 « *quod si genuerit filium qui videns omnia peccata patris sui quae fecit timuerit et non fecerit simile eis :* v. 15 *super montes non comederit et oculos suos non levaverit ad idola domus Israel et uxorem proximi sui non violaverit* v. 16 *et virum non contristaverit, pignus non retinuerit et rapinam non rapuerit, panem suum esurienti dederit et nudum operuerit vestimento,* v. 17 *a pauperis iniuria averterit manum suam, usuram et superabundantiam non acceperit, iudicia mea fecerit, in praeceptis meis ambulaverit, hic non morietur in iniquitate patris sui, sed vita vivet* »; — hebr. *qeri* v. 14 *videt et non facit similiter;* ita *Chald.* quoque, sed melius secundum *kethib,* LXX, *S. Hier. timet* i. e. patris iniquitatem abhorret timens iusta Dei iudicia. Vocem תַּרְבִּית[1] in v. 8. 13 et Lev.

---

(1) *Ges.* Thes. p. 1257 : « sunt Hebraei interpretes qui תַּרְבִּית usuram interpretentur, נֶשֶׁךְ pr. morsum) id quod feneratores sordidi a pecuniae mutuum dandae et olim restituendae

25,36 *S. Hier.* vertit *amplius accipere;* hic et 22,12 *superabundantiam,* Prov. 28,8 *fenus;* vocem accipe, uti iam explicavit *S. Hier.* : « putant quidam usuram esse tantum in pecunia; quod praevidens Scriptura divina omnis rei aufert superabundantiam, ut plus non recipias quam dedisti. Solent in agris frumenti et milii, vini et olei ceterarumque specierum usurae exigi, sive ut appellat sermo divinus, *abundantiae,* v. g. ut hiemis tempore demus decem modios et in messe recipiamus quindecim, hoc est amplius partem mediam »; quae vocis notio Lev. 25, 37 hebr. commendatur : cibum tuum non dabis בְּמַרְבִּית, frugum superabundantiam non exiges (*S. Hier.*). In v. 17 hebr. *a paupere avertit manum suam,* id quod intelligi debet, ne eum opprimat; sed post v. 16 id mirum esse videtur; dein *manum avertere* eo sensu?! LXX praebent ἀπὸ ἀδικίας, ergo lege ex v. 8 pro מֵעָנִי potius מֵעָוֶל; *Syrus* et *Chald.* legunt : a paupere non avertit manum suam (non retrahit). Iniquitas patris ei non vertetur in poenam neque in perniciem reputabitur; v. 18 « *pater eius quia calumniatus est et vim fecit fratri et malum operatus est in medio populi sui, ecce mortuus est in iniquitate sua* »! — *calumniari* i. e. opprimere, vi uti et violentia; hebr. *si fratri quidquam rapuerit;* ipse qui fecit iniquitatem, *in ea* i. e. propter eam punietur.

Idque ne rem leviter perpendant et quia contrarium iam abierat in proverbium denuo vehementer monet v. 19 « *et dicitis : quare non portavit filius iniquitatem patris? videlicet quia filius iudicium et iustitiam operatus est, omnia praecepta mea custodivit et fecit illa, vivet vita:* v. 20 *anima quae peccaverit ipsa morietur; filius non portabit iniquitatem patris et pater non portabit iniquitatem filii; iustitia iusti super eum erit et impietas impii erit super eum* »; — explicatur, cur filius non poenas sit daturus pro iniquitate patris, scil. quia pravis patris vestigiis non institit; quo responso obviam it vates obiectioni quae ex Ex. 20,5 et 34,7. Num. 14,18. 33 peti poterat. Unicuique reddetur secundum opera sua, sicut iam statuitur Deut. 24,16 : non occidentur patres pro filiis nec filii pro patribus, sed unusquisque pro peccato suo morietur; vide 4 Reg. 14,6 et 2 Par. 25,4. Contrarium saepe contingebat, ut si quis peccasset in regem, ipse et tota eius familia neci traderetur; cf. Esth. 9,13. Dan. 6,24. Cum ergo inter homines tale valeret ius, eo magis edocendi erant apud Deum aliter constitutum esse neque sibi posse ullo pacto blandiri quod solum pro maiorum delictis poenas darent et in has essent prolapsi calamitates.

---

summa statim ab initio detrahunt et quasi praemordent. Sed haec nostri aevi tocullionum artificia esse videntur veteribus vix cognita ».

Verum impius solum punietur si manserit in impietate; Deus pro sua clementia eum invitat ad resipiscentiam, qua si redierit ad Deum, immunis erit nec poenae obnoxius habebitur v. 21 « *si autem impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis quae operatus est et custodierit omnia praecepta mea et fecerit iudicium et iustitiam, vita vivet et non morietur;* v. 22 *omnium iniquitatum eius quas operatus est non recordabor; in iustitia sua quam operatus est, vivet;* v. 23 *numquid voluntatis meae est mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis et vivat* »? — « in tantum, ait, peccata patrum ad filios non redundant nec iustum filium sceleratus praegravat pater, ut ipse unus atque idem qui prius impius fuit et peccator, si postea egerit poenitentiam, non iudicetur vetustate peccati » (*S. Hier.*). Hebr. *si impius reversus fuerit ab omni peccato... omnes iniquitates eius non memorabuntur ei... numquid volens volo mortem* vel numquid mihi complaceo in morte etc. Quibus verbis venia offertur peccatoribus et Dei voluntas, immo promptitudo et desiderium declaratur, ut non cogatur infligere poenas, sed ut impius redeat ab iniquitate. Serio igitur vult Deus conversionem peccatorum; paratus est ad opem ferendam, ut quis e sceleribus emergat. Venia conceditur integra et plena. Ei qui iustitiam sequitur merces proponitur. Sed quaenam vita, quae mors intelligitur? Certe primo et per se eo sensu quo in legibus pentateuchicis vita tamquam merces, mors tamquam poena proponitur, ita ut in utraque summa quaedam promissionum vel minarum exhibeatur. Norma igitur Dei proponitur, qua merces et poena secundum opera continetur. Haec autem norma valere debet in universum; ergo etiam si v. g. impius senex resipiscat; igitur de una vita temporali verba accipi non possunt. Neque is est verborum sensus, ut in expugnatione urbis Ierusalem solum impii et omnes impii morte plectantur; nam 14,22. 23 multos eosque egregie impios illi ruinae fore superstites docuerat. Quare necessario ad eam amandamur retributionem quae non in hac sola vita absolvatur, verum in alteram quoque protendi possit.

Iustus vero sedulo laboret oportet ne excidat a recto tramite v. 24 « *si autem averterit se iustus a iustitia sua et fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes quas operari solet impius, numquid vivet? omnes iustitiae eius quas fecerat non recordabuntur; in praevaricatione qua praevaricatus est et in peccato suo quod peccavit, in ipsis morietur* »! — i. e. propter praevaricationem et propter peccatum morietur, punietur; « sicut iustum antea peccatorem non praegravant antiqua delicta, sic peccatorem qui prius iustus fuerit non iuvant veteres iustitiae; unusquisque enim in quo invenietur in eo iudicabitur »

(*S. Hier.*). Sed etiam si iustus ceciderit, valet id quod modo v. 23 dictum est de Dei voluntate omnes salvandi, quae utique per se est voluntas, ut theologi loquuntur, antecedens; postquam enim impius in sua iniquitate permansit, vult mortem impii quia illam infert, « sed dicitur nolle quia prima eius voluntas et ut ita loquar intentio non fuit ut quisquam moreretur, sed ut omnes viverent » (*Mald.*). Haud abs re adnotat *Lap.* : « omnes iustitiae non recordabuntur, scil. ita, ut propter eas maneat iustus et amicus Dei vitaque donetur praesenti et aeterna; constat enim quod Deus eorum, immo illorum qui semper fuerunt impii, bona opera subinde mercede aliqua temporali remuneretur ». Veteres interpretes multum sunt h. l. in reiiciendo dogmate Calvini Deum nonnullos homines fecisse ad interitum, et in asserendo libero hominis arbitrio, cuius vim v. g. Pintus in eo reponit, ut bonas Dei inspirationes acceptet et concurrat active ad merita atque gratiae cooperetur, ut supposito auxilio divino electiones ipsae in nobis sint etc.

Quae cum ita sint, omnes viae Domini misericordia sunt et veritas, ipse sese iustum aeque ac misericordem et clementem praebet v. 25 « *et dixistis : non est aequa via Domini. Audite ergo domus Israel : numquid via mea non est aequa et non magis viae vestrae pravae sunt* » ? — unde elucet tantum abfuisse ut multi ex exsulibus se iuste esse propter sua scelera punitos agnoscerent, ut omnem calamitatum causam in peccatis reponerent maiorum, se innocentes affligi quererentur Deique aequitatem in dubium vocarent qui flagitia patrum in filiis ulcisceretur. Quare iterum norma Dei proponitur v. 26 « *cum enim averterit se iustus a iustitia sua et fecerit iniquitatem, morietur in eis; in iniustitia quam operatus est morietur;* v. 27 *et cum averterit se impius ab impietate sua quam operatus est et fecerit iudicium et iustitiam, ipse animam suam vivificabit,* v. 28 *considerans enim et avertens se ab omnibus iniquitatibus suis quas operatus est vita vivet et non morietur* »; — suam quisque sibi sortem fabricatur. Cum haec norma tam explicite statuatur eo tempore quo ruina Ierusalem iam firmiter est decreta, eo ipso monemur Deum dum in populum afflictiones illas gladii, famis, pestis immittit, quibus omnes ex aequo subiacent, non in morte vel vita temporali summam reponere retributionem, verum ostendere quomodo in aequali omnium calamitate publica tamen sibi non desint ea quibus et iustis mercedem virtutis et impiis debitas poenas adiudicet; proinde clare edocemur ultra afflictiones publicas belli, famis etc., quibus omnes pari ratione obnoxii esse possunt alium apud Deum exsistere ordinem mercedis et poenarum firmum et fixum casibus illis plane superiorem, secundum quem sua cuique obventura

sunt; igitur ad ordinem supernaturalem, ad vitae seriem alteram post hanc temporalem amandamur.

Cum itaque in publica omnium calamitate Deo nullatenus desint quibus inter sortem iusti et impii distinguat, iam nihil est quod iure possit vituperio verti v. 29 « *et dicunt filii Israel : non est aequa via Domini; numquid viae meae non sunt aequae domus Israel et non magis viae vestrae pravae* »? — et cur Domini sententia sit iusta causa redditur ex eo quod nullatenus omnes et impios et iustos eadem sorte uti vult, verum etsi eadem tempestate videantur involvi et obrui, Deo tamen ordo quidam retributionis superior praesto est v. 30 « *idcirco unumquemque iuxta vias suas iudicabo, domus Israel, ait Dominus Deus; convertimini et agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris et non erit vobis in ruinam iniquitas,* v. 31 *proiicite a vobis omnes praevaricationes vestras, in quibus praevaricati estis et facite vobis cor novum et spiritum novum et quare moriemini domus Israel?* v. 32 *quia nolo* mortem *morientis, dicit Dominus Deus, revertimini et vivite* »! — cf. 11,18. 19 et supra v. 23; « blanda haec et vere paterna adhortatio satis aperte declarat divinam iustitiam non contra homines saevire sed contra peccata, quandoquidem quos peccatores decreverat punire ad detestanda peccata amice invitat, ne pereant » (*Prad.*). Viam salutis monstrat, urget eos ut eam ingrediantur : cur sponte vestra mori vultis? cur salutem oblatam non arripitis (*Mald. Lap.*)? cur data opera mortem vobis arcessitis? « illud unum est quod vos accusat, quod deprimit, quod damnat et morti adiudicat, nimirum quod resipiscere non vultis » (*Prad.*).

o) Carmen lugubre in regni ruinam 19, 1-14.

Uti in antecedentibus et symbolis et verbis declaravit vates, propter populi omniumque ordinum scelera res sunt conclamatae. Quare regno iudaico, regibus scil. et populo, iam carmen ferale canere iubetur. Quo carmine oracula praecedentia confirmantur et absolvuntur et quam certo sint opere complenda indicatur. Concluditur itaque haec series simili modo carmine lugubri, sicut supra cap. 7. Duabus partibus continetur; priore (v. 2-9) sortem Ioachaz et Ioachin, altera (v. 10-14) sortem populi et ruinam regni vates lamentatur.

Certum esse et iam inevitabile regni excidium propheta lamentatione instituta significare iubetur v. 1 « *Et tu assume planctum super principes Israel* »! — prius deplorat damna iam illata et ignominiam regibus davidicis impactam, ut portendat haec iam non iri reparatum et exinde ad totius regni interitum esse concludendum. Planctum ita

instituit, ut statim appareat ubi sit causa ruinae v. 2 « *et dices : quare mater tua leaena inter leones cubavit, in medio leunculorum enutrivit catulos suos* »? — hebr. verti quoque potest : *quid erat mater tua! leaena inter leones cubavit* i. e. populus in regni fastu et pompa et in bellis et gloria esse voluit sicut nationes ceterae, « erimus nos quoque sicut omnes gentes » (1 Reg. 8,20); leones igitur h. l. sunt gentes et regna quorum mores, superbiam, praedam agendi cupiditatem populus Dei imitatione expressit (cf. *Tir. Men. Calm. Troch.*), unde inter eos cubare dicitur *mater* i. e. gens iudaica, quae appellatio matris pro gente, cuius scil. singuli sunt filii, prope adiacet et iam ab Osee 2,2 et Is. 50,1 etc. est adhibita. Simili modo ipsa urbs principalis et regni centrum Ierusalem mater appellatur, cuius filiae sunt reliquae urbes. Quamvis alibi Iuda vel generatim populus Israel cum honore vocetur leo (Gen. 49,9. Num. 23,24; 24,9), hoc tamen loco cum regna gentilium leonibus comparentur, non ea laus spectatur, sed indoles superba, ferox, rapax, quae regnis gentium inerat. Atque ad modum talium regum etiam mater Israel enutrivit et educavit prolem suam regiam eamque fastu et dominandi libidine et ambitione imbuit. Atque in tali prole mater gloriata est eamque impulit, ut esset sicut reges gentium esse solebant v. 3 « *et eduxit unum de leunculis suis et leo factus est et didicit capere praedam hominemque comedere* »; — quibus verbis idem referri censent haud immerito quod legitur 4 Reg. 23,30 : tulit populus terrae Ioachaz filium Iosiae et unxerunt eum et constituerunt eum regem pro patre suo (cf. *Prad. Mald. Mar. Lap. Men.*) et Ioachaz bestiae rapacis in modum egisse, caedes iniustas commisisse, sequitur ex brevi illa formula : et fecit malum coram Domino iuxta omnia quae fecerant patres eius (l. c. 32), inter quos erat Manasses qui sanguinem innoxium fudit multum nimis (l. c. 21, 16).

Sed mox leo ille rapax capitur v. 4 « *et audierunt de eo gentes et non absque vulneribus suis ceperunt eum et adduxerunt eum in catenis in terram Aegypti* »; — scil. cum rex davidicus non sit leo eo sensu quo Gen. 49,9 et Num 23,24 et 24,9 leo laudatur, sed in bestiam ferocem et rapacem degeneraverit, etiam ei contingit quod eiusmodi bestiis obvenire solet; hebr. *in fovea earum captus est*, uti ipse *S. Hier.* in hebr. haberi adnotat, « ut conservet tropologicam captionem leonum qua semper in foveis capi solent ». Interpretatio *non absque vulneribus* sensum refert versionis graecae ἐν τῇ διαφθορᾷ αὐτῶν (cf. hebr. שַׁחַת fovea, perditio). Abductus est in catenis, LXX ἐν κημῷ, hebr. *in uncis* seu annulis per nares transmissis, sicut bestiae feroces duci solent et domari. Cum in Aegyptum abducatur, Ioachaz rex intelligitur, de quo

4 Reg. 23,33 : vinxit eum Pharao Nechao in Rebla... et duxit in Aegyptum et mortuus est; vide ad Ier. 22,10. 11. En qualem sortem incurrerit rex davidicus eo quod mores regum gentilium est aemulatus.

Sed mater Iuda alium educavit sibi leonem v. 5 « *quae cum vidisset quoniam infirmata est et periit exspectatio eius, tulit unum de leunculis suis, leonem constituit eum*, v. 6 *qui incedebat inter leones et factus est leo et didicit praedam capere et homines devorare*, v. 7 *didicit viduas facere et civitates eorum in desertum adducere et desolata est terra et plenitudo eius a voce rugitus illius* »; — mater Iuda priore illo casu non est edocta; voluit regnum habere ad modum gentium; unde ut infirmitati suae et impotentiae mederetur, alium educavit leonem qui uti ceteri leones clare feroci agere incepit. Indoles regni plane ad modum gentium instituti et a norma theocratica omnino alieni describitur.

In v. 7 textus *mas.* habet וַיֵּדַע אַלְמְנוֹתָיו et cognovit viduas eius (eorum); id quod rabbini, neoterici et hebraizantes (apud *Prad. Mald. Mar. Lap.*), *Vat. Troch. Keil* de violentia a tyranno illis illata explicant; qua acceptione utique metaphora leonis subito abrumpitur et nihilominus statim in *voce rugitus* eius ad eam fit reditus. Sed mutatione adeo repentina illa explicatio minime commendatur. Ex testibus veteribus elucet lectum fuisse non solum ידע, sed etiam ירע; hanc enim formam referunt et LXX ἐνέμετο רעה pascere et *Aq.* ἐκάκωσε et *Chald.* destruxit רעע; illam autem supponunt *Theod. Sym.* quem *S. Hier.* secutus est. *Chald.* praebet : et destruxit palatia eius; unde aut legit אר' pro אל', uti etiam *Houbig.* aliique legi volunt, aut אל' accepit eo modo quo Is. 13,22 legitur, nisi etiam apud Isaiam vox sit emendanda et cum codd. multis אר' legendum [1]. Sed palatia quoque destruere ad leonis metaphoram aptum non est; vix etiam *urbes* desolare, nisi explicaveris de tanta strage edita inter homines in silvas camposque egressos, ut fere iam non sint qui urbes incolant. LXX pro *viduis* praebent ἐν θράσει; « videntur deduxisse ab אלם quod chald. est fortis, robustus fuit » (*Schleusner* III p. 79). Mentione digna est emendatio a *C.* proposita qua in incepta metaphora sistitur : אל מעונותיו יערים החריב וירבע : et cubavit in antro suo et silvas desolavit. Emendatio est sat facilis et prope ad litteras textus *mas.* accedit; attamen dubito num *cubare* in antro ad ceteras enuntiationes apte conveniat. Ea in re praestat coniectura a *Hitz.* proposita : *praedam egit* in cubile suum (cf. Nah. 2,13), sed num יעד(עד praeda) tali notione usurpatur?!

Verum ei quoque male cessit quod voluit esse sicuti leones v. 8 « *et convenerunt adversus eum gentes undique de provinciis et expanderunt super eum rete suum, in vulneribus earum captus est* »; — hebr. ut v. 4 *in fovea eorum* captus est; v. 9 « *et miserunt eum in caveam, in*

1. Contendit *Delitzsch* ex assyriaco constare אלמנה etiam significare claustrum (apud *Baer* p. XI et Prolegomena zu e. n. hebr. aram. Woerterb. p. 45).

catenis adduxerunt eum ad regem Babylonis, miseruntque eum in carcerem, ne audiretur vox eius ultra super montes Israel »; — in cavea inclusus et *uncis* vel annulis per nares transmissis adducitur ad regem Babylonis; cf. v. 4. Quis est alter hic rex? Alii Ioakim, alii Ioachin (vel Iechoniam), alii Sedeciam intelligunt. De Sedecia iam *S. Hier.* mentionem facit et *expandere rete* 12,13 et 17,20 de Sedecia dicitur (*Est. Mar.*); sed cum vates h. l. ea videatur recolere quae iam acciderunt, cum insuper de Sedecia infra v. 14 fiat mentio, haec explanatio non potest admitti. Neque de Ioakim cogitari potest, quia ex Ier. 22, 19 alia fuit eius sors, uti iam *Mar.* advertit. Unde non poterit non intelligi Ioachin (*Theod. S. Hier. Calm. Loch, Troch.*) quem alii saltem simul cum Ioakim ibi describi censent (*Lap. Tir.*). Neque obstat quod Ioachin egressus esse dicitur ad regem Babylonis (4 Reg. 24,12); nam id fecit coactus urbe a Chaldaeis oppugnata quia aufugere non poterat; unde ipsa urbis obsessione expansum est super eum rete; demum 4 Reg. 24,16 explicite statuitur omnes viros robustos esse ductos *captivos* in Babylonem et de Ioachin[1] idem statuitur 4 Reg. 25,27. Ier. 52, 31. Et cum Ezechiel annos numeret a transmigratione regis Ioachin (1,2), in carmine lugubri de principibus Israel eum certe non omisit. De Ioakim avaritia et crudelitate Ieremias narrat (22,13 seq. 26,21 seq. 36,26); cum itaque de Ioachin dicatur : fecit malum coram Domino iuxta omnia quae fecerat *pater* eius scil. Ioakim (4 Reg. 24,9), satis constat eum talem fuisse qualem hic in leone eum depictum videmus. Seligit autem propheta hos duos, quia in iis breviter adumbratur quomodo et Aegyptii et Chaldaei populo insultarint; quare iis exemplis optime illustratur quod vates supra dixerat 16,37 ; fornicata est sponsa Domini cum Aegyptiis et Chaldaeis 16,26. 29; ab utrisque opprobriis afficitur. Vide *Brunengo* l. c. II p. 271. 274.

In sorte regum iam delineatur quoque sors populi. Populum symbolo vineae repraesentat; vide ad 15,1. Olim mater Israel erat tamquam vinea optimo loco plantata, luxurians, longe lateque protensa v. 10 « *mater tua quasi vinea in sanguine tuo super aquam plantata est; fructus eius et frondes eius creverunt ex aquis multis* »; — obscurum est hebr. בְּדָמְךָ; *in sanguine tuo* vertunt *Theod. Sym. S. Hier.* qui explicat sanguinem de rubore florum sanguini comparato; sed durior est metaphora. Etiam durior est explicatio de sanguine regio,

---

1. Quare apud LXX, *Syrum, S. Hier.* bene legitur eum esse missum *in carcerem* εἰς φυλακήν. Cum *Sym.* habeat εἰς Αἴγυπτον, non legit cum textu *mas.* vocem במצדות sed cum LXX. *Syro, S. Hier.* potius במצור. *C.* v. 9 hunc in modum emendandum esse censet : duxerunt eum in uncis ad regem Babylonis isque eum posuit in cavea, ne audiretur etc.

de regia progenie (*Vat. Prad. Sa, Mar. Tir.*), propter quam vinea sit exaltata. Facilior est explicatio a voce דָּמָה quiescere : *in quiete tua;* scil. cum ei tempus quietum concederetur, bene prosperavit vinea; optime erat irrigata; unde multas emisit propagines. Immo vitis illa tam solidas firmasque produxit virgas, ut sceptra fierent regia v. 11 « *et factae sunt ei virgae solidae in sceptra dominantium et exaltata est statura eius inter frondes et vidit altitudinem suam in multitudine palmitum suorum* »; — inter reliqua *fruteta* (hebr.) vitis illa est exaltata; immo aliqui hebr. עבתים *nubes* explicantes vitem usque ad nubes exaltatam esse volunt (*Keil, Sm.*). Sceptra produxit dominantium i. e. reges ex populo exstiterunt potentes et gloriosi; *et vidit* i. e. vitis sibi complacuit in sua ubertate et gloria et superbivit (*Mald. Mar. Lap.*) vel ex hebr. *et visa est altitudine sua, multitudine palmitum* i. e. facta est conspicua et inter reliquas vites eminuit (*Vat. Mald.* et recentiores). Ergo regnum multis nominibus gloriosum erat.

Verum repente quae mutatio! v. 11 « *et evulsa est in ira in terramque proiecta et ventus urens siccavit fructum eius; marcuerunt et arefactae sunt virgae roboris eius, ignis comedit eam* »! — vitis ab hero irato evellitur; ventus *orientalis* siccat fructus eius; apte quoque ad Chaldaeos ex orientali fere plaga advectos alluditur; cf. 17,9. 10; *evulsae sunt* et arefactae virgae illae validae, sceptra scil. regia; reges enim Ioachaz et Ioachin abducti erant in captivitatem, quae sors etiam pro Sedecia iam est constituta. Demum vitis igne absumitur, uti 15,4. 5 viti contingit quae non affert fructus. Urbs et templum igne sunt destructa. Similem metaphoram habes Os. 13,15. Sed quod igne non est absumptum, in alienam regionem est transportatum v. 13 « *et nunc transplantata est in desertum, in terra invia et sitienti* »; — talis utique visa est Babylon pio Israelitae qui desiderio templi et patriae tenebatur et exsilium poenam a Deo inflictam et quasi separationem et repudium per Deum factum considerabat; vide Ps. 136. Babylon etiam 20,35 desertum dicitur, cum allusione scil. ad commorationem populi in deserto, qua praeparatus est ad ingressum in terram promissam; simili modo praeparantur ope exsilii ad possidendam denuo hereditatem Domini; vide ad Os. 2,14.

Demum subiungitur a quo ignis ille v. 11 quo vitis destruitur sit egressus et qualis futura sit ruina v. 14 « *et egressus est ignis de virga ramorum eius qui fructum eius comedit et non fuit in ea virga fortis, sceptrum dominantium. Planctus est et erit in planctum* »; — i. e. ab eo qui virgam vel sceptrum tenet pernicies illa ultima infertur; rex designatur Sedecias qui sua in regem Nabuchodonosor perfidia ruinam urbi et regno demum attulit (*Mald. Pint. Sa, Mar. Men. Loch,*

Troch. Schr. Keil, Sm.). Atque ita quidem vitis destruitur, ut in ea iam non sit virga fortis, iam non sit sceptrum *ad dominationem* exercendam. Unde in hac quoque parabola regnum ita cessare asseritur, ut iam non exsistat rex davidicus sceptrum gerens; uberior ea de re sermo redibit infra 21,26. 27. Quomodo non obstante ea regni abolitione sceptrum a Iuda non auferatur, supra iam tetigit vates 17,22 et explicat infra 21,27 et iam etiam declaravit Ieremias 23,5 et colligi quoque potest ex Is. 11,1, cum ex *trunco* Iesse, ex arbore succisa cuius solum truncus remanet humi conditus et absconditus, sceptrum messianum efflorescere dicatur. Illud proin tempus iamiam instare vates asserit, quo tabernaculum David erit collapsum, uti Amos vaticinatus erat (9,11), quo secundum oraculum Osee 3,4 : dies multos sedebunt filii Israel sine rege; nam regibus davidicis dictum est : qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum et in plagis filiorum hominum (2 Reg. 7,14). Ceterum vide quae ad Agg. 1 notavi (Proph. min. II p. 174). Ultimis verbis argumento carminis quasi sigillum et confirmatio apponitur : totum carmen est planctus et lamentatio et ipsa impletione tamquam planctus verissime omnibus innotescet. « Plena sunt haec mea verba lacrimis et lamentis; convertantur igitur oculi nostri in fontes et corda nostra vim lacrimarum profundant. Hic est horum verborum sensus quae ego existimo non fuisse a divino vate absque lacrimis et suspiriis litteris consignata » (*Pint.*).

Series quarta 20, 1-24, 27.

Arg. — Sermonis occasio similis refertur illi cap. 14 : veniunt seniores ad prophetam ut Dei responsum quaerant. Aliud autem iis non datur quam ut peccata populi et ruina imminens recenseantur, poenam iuste infligi demonstretur eamque demum non iri destitutum suo fructu. Unde hisce capitibus quoque explicatur quomodo Ezechiel exsules de via et ratione divinorum consiliorum edocuerit et ad poenitentiam revocaverit. Et cap. 20 quidem totam populi historiam eum in finem recolit, ut stimulos conscientiae et veram iis ingerat cognitionem ac detestationem peccatorum, in memoriam revocans quomodo populus peccaverit in Aegypto, in deserto, Deus autem ei pepercerit propter nomen suum, et quomodo in Palaestinam ingressi eadem commiserint scelera (20,1-31). Deus vero populum iudicio castigabit et ad meliorem frugem reducet (20,32-44). In subsequentibus hanc viam iudiciorum vates describit : regnum Iuda Deus quasi saltum incendio absumet et gladius Domini caedet victimas, cuius gladii horrorem et stragem quam editurus est repetito variis dicendi figuris effert (20,45-21,17). Iste autem gladius Domini adventurus est per Nabucho-

donosor, quem Dominus ad Ierusalem adducet, ut potestas regia maneat prostrata, donec is venturus est cui est ius illius; eius regis gladio Ammonitae quoque trucidabuntur (21,18-32).

Duplici igitur parabola (saltus incendio absumendi, gladii devastantis) et subiuncta explicatione viam iudiciorum divinorum proposuit et quasi delineavit. Iam quam iustum ac necessarium sit eiusmodi iudicium, ulterius declarat recensens causas poenae infligendae, scil. scelera admissa, ex quibus quam necessario devolvi debeat iudicium etiam eo patet quia gens adeo sceleribus dedita non possit adduci ad salutem nisi fontes scelerum divino iudicio fuerint obstructi. Capita autem peccatorum assignantur duo : iniustitia in alios, in Deum idololatria, quibus singula peccata intime nectuntur; unde poena subsequi debet (22,1-16). Alia parabola : versa est domus Israel in scoriam, poenam iustam ac necessariam esse probat; immittet scil. Deus scorias in conflatorium, ut absumantur; quod eo magis requiritur, cum omnes reipublicae ordines (prophetae, sacerdotes, principes, plebeii) iniquitatibus sint infecti (22,17-31). Alia ratione vates idem argumentum prosequitur cap. 23 comparatione instituta inter utrumque regnum, ita ut parabola duarum sororum quae quam maxime fornicationi sint deditae utriusque regni impietas depingatur. Samaria, soror maior, fornicata est cum Assyriis et Aegyptiis, in rebus religiosis et civilibus ad exteras gentes defluxit, quare data est Assyriis in opprobrium et castigationem. Eius poenae exemplo soror minor, Iuda, non modo non eruditur, verum magis libidine flagrat in Assyrios, Chaldaeos, Aegyptios; quare per eosdem maxime affligetur (23,1-35). Utriusque sororis scelera et poenas iterata recenset; castigationibus in adulteras et homicidas decretis punientur (23,36-49). Apte concluditur haec oraculorum series illo eventu ad quem omnia vaticinia eousque edita diriguntur : obsidione urbis Ierusalem et ultimo eius fato. Parabola ollae et frustorum carnis quae sors urbi et incolis immineat depingitur et latius declaratur (24,1-14). Luctum de urbis exitio quae est victoria Chaldaeorum et gloria exsules edere a victoribus prohibebuntur; id quod propheta adumbrare iubetur eo quod repentinam uxoris mortem sine luctu et lacrimis ferre debet, cuius rei rationem et vim popularibus interpretatur (24,15-27).

Magnam adesse inter hanc seriem et praecedentes similitudinem facile deprehenditur. Iam initio cap. 20 admonemur de 14,1 seq.; quae de populi historia cap. 20 et 23 proponuntur, haud longe ab iis recedunt quae cap. 16 parabola in medium allata depingebantur; annuntiatio iudicii quae fit 20,45 — 21,32 fere respondet visioni cap. 9-11 declaratae.

a) **Qualem se populus praestiterit 20, 1-31.**

Oraculum hoc editum est duobus annis uno mense et quinque diebus post vocationem Ezechielis ad munus propheticum (1,2) et undecim mensibus et quinque diebus post visionem a cap. 8 narratam et duobus annis et quinque mensibus ante obsidionem urbis Ierusalem inceptam (24,1); nam v. 1 « *Et factum est in anno septimo, in quinto, in decima mensis venerunt viri de senioribus Israel, ut interrogarent Dominum et sederunt coram me* »; — cf. 14,1; anno scil. septimo a transmigratione vel deportatione Ioachin regis (4 Reg. 24,15). Oraculum Domini expetunt viri nobiliores et magistratus; unde prophetam iam multum auctoritate valuisse patet. Sed Domini responsum est idem quod 14,3. Quod de sorte futura erat annuntiandum, iam dudum dictum est; praeprimis requiritur, ut scelera detestentur moresque emendent. Unde v. 2 « *et factus est sermo Domini ad me dicens :* v. 3 *fili hominis, loquere senioribus Israel et dices ad eos : haec dicit Dominus Deus : numquid ad interrogandum me vos venistis? vivo ego quia non respondebo vobis, ait Dominus Deus* »; — *vos* emphaticum est quasi dicat : vos scelesti et onusti peccatis venistis ad consulendum (*Mar. Mald.*); « sanctis et congrua interrogantibus datur promissio : adhuc loquente te dicam : ecce adsum; peccatoribus autem quales fuerunt seniores Israel et quorum scelera in consequentibus propheta describit, non datur responsio, sed increpatio pro peccatis, et addit iusiurandum : vivo ego, ut firmior sit sententia denegantis » (*S. Hier.*). Pro responsione audiant reprehensionem et increpationem v. 4 « *si iudicas eos, si iudicas fili hominis, abominationes patrum eorum ostende eis* »! — hebr. per interrogationem : *nonne iudicas;* idque cum affectu repetitur, ut exprimatur quam vehementer velit eos coargui et reprehendi (cf. *Mald. Lap.*), quare *S. Hier.* in commentario bene per imperativum explicat : iudica eos, ut non prophetae sit responsio, sed sententia iudicantis pro iniquitatibus. Et quidem altius sumendum est principium, a sceleribus patrum, ut innotescat quanta usus sit Deus eousque clementia et longanimitate et quam diuturna et « ut ostendantur similia parentibus agere et hereditario malo longissimum funem trahere peccatorum » (*S. Hier.*).

Et primo quidem v. 5-9 exponitur quomodo in ipsa terra Aegypti invitationi Domini refragati sint. Ut quam graviter peccarint intelligatur et rite aestimetur, beneficia divina et immensam Dei commemorat benevolentiam v. 5 « *et dices ad eos : haec dicit Dominus Deus : in die qua elegi Israel et levavi manum meam pro stirpe domus Iacob et*

apparui eis in terra Aegypti et levavi manum meam pro eis, dicens : ego Dominus Deus vester, v. 6 *in die illa levavi manum meam pro eis, ut educerem eos de terra Aegypti in terram quam provideram eis fluentem lacte et melle, quae est egregia inter omnes terras* »; — *elegit* Israel בָּחַר quae vox de electione populi frequentius in Deuteronomio adhibetur 4,37; 7,6. 7; 10,15; 14,2; et quam firma sit electio ex parte Dei, iureiurando demonstravit; est enim *levare manum* gestus iurantis (cf. Gen. 14,22. Deut. 32,40); unde stirpi Iacob iuravit (*Mald. Sa, Mar. Calm. Loch, Troch. Schr. Keil, Sm.*) se velle illis esse *Iahve* Deum eorum, qui scil. omnia promissa fidelissime impleat et v. 6 duo illa a quibus initium sit capiendum commemorat; educere ex domo servitutis, introducere in terram optimam. Unde hisce id in medium affert Ezechiel quod in Pentateucho saepe legimus de terra quam vel pro quo iuravit Dominus patribus eorum : Gen. 50,23. Ex. 13,5. 11; 32,13; 33,1. Num. 11,12; 14,16. 23. Deut. 1,8; 6,10. 18. 23 et praeterea duodecies in Deut. — Pro *apparui* hebr. notus factus sum vel me eis manifestavi; verbum et res ipsa depromitur ex Ex. 6,2 seq. quo loco Deus declarat se iam quod nomine *Iahve* exprimitur opere impleturum et proinde sese tamquam foederis exsecutorem populo se praebiturum. Terram describit verbis pentateuchicis : *providere,* hebr. תור explorare, ergo data opera dispicere quaenam regio iis quam optime conveniat; vox est in Num. quindecim vicibus obvia et Deut. 1,33; *fluentem lacte et melle* vide Ex. 3,8. 17; 13,5; 33,3. Lev. 20,24. Num. 13,28; 16,14; qua terra est *decus,* ornamentum inter terras, צְבִי v. 15; 25,9; 26,20. Is. 13,19. Ier. 3,19. Dan. 8,9; 11,16. 41.

Cum tanta igitur eis provideret beneficia, id requirebat quod verbis illis continetur : ego Deus vester v. 7 « *et dixi ad eos : unusquisque offensiones oculorum suorum abiiciat et in idolis Aegypti nolite pollui : ego Dominus Deus vester* »! — hebr. *abominationes* oculorum; « ita vocat idola quod cum abominanda et exsecranda forent ab ipsis cum iucunditate suspiciebantur » (*Prad.*); notat *S. Hier.* גלולים in prima Aquilae editione verti inquinamenta, in secunda et apud *Sym. Theod.* idola; vocem alii explicant de stipitibus, truncis, acervis lapidum; ad contemptum dii ea appellatione designantur. Verum altas iam egerat in misera plebe radices idololatria v. 8 « *et irritaverunt me nolueruntque me audire; unusquisque abominationes oculorum suorum non proiecit nec idola Aegypti reliquerunt; et dixi ut effunderem indignationem meam super eos et implerem iram meam in eis in medio terrae Aegypti* »; — hebr. rebelles vel contumaces sese exhibuerunt; cum igitur talibus idololatriae sordibus in Aegypto essent immersi, etiam quae 16,4-7 dicuntur per parabolam, facile illustrantur. De ea quidem obstinatione

mentio aperta in Exodo non habetur; at bene iam advertit *Prad.* eius tamen vestigium ibi cerni, cum dicant Ex. 14,12 : nonne iste est sermo quem loquebamur ad te in Aegypto dicentes : recede a nobis, ut serviamus Aegyptiis! Si autem Moysen abire et a se recedere iusserunt, legatum Dei spreverunt et in eo Deum eiusque mandata; in desiderio illo serviendi Aegyptiis adesse quoque idololatriae consortium nemo negaverit. Insuper Ex. 6,9. 12 eos non acquievisse Moysi, eum non audivisse narratur; quod postea adeo celeriter vitulum aureum sibi conflaverunt et adoraverunt, etiam argumento est illos assuetos fuisse idololatriae. Quare cum Deo per Moysen loquenti rebelles exsisterent, iam in Aegypto simile evenit ei quod legimus Ex. 32,10 : dimitte me ut irascatur furor meus contra eos et deleam eos. Ad verba ipsa vide supra 5,13; 6,12; 7,8. At uti postmodum iis pepercit propter suam gloriam, ne gentes quasi de impotentia Dei Israel riderent (Ex. 32,12), ita iam in Aegypto v. 9 « *et feci propter nomen meum, ut non violaretur coram gentibus, in quarum medio erant et inter quas apparui eis ut educerem eos de terra Aegypti* »; — cf. Num. 14,16. Deut. 9,28. Is. 48,11; *apparui* ex hebr. me notum feci iis, uti v. 5. Ex gentis gloria et potentia ad numinis tutelaris potentiam concludere solebant; gentis strages quasi dei sui clades considerabatur; cf. Is. 46,1 Am. 1,15; simili modo loqui solent etiam reges assyriaci : Assur dedit mihi victoriam; Assur subiecit hostes etc.

Verum prior illa contumacia devicta est. Magnis portentis in Aegypto per Moysen patratis populus demum alacri animo Dominum invitantem secutus est, cuius obedientiae ac fidei laus legitur Ier. 2,2 hebr.; sed in ea fide minime erant firmi et constantes. Cum Ezechiel totus in eo sit, ut pudorem et poenitentiam excitet, eos solum enumerat eventus in quibus Deo exstiterunt rebelles. Eam autem rebellionem commemoratis beneficiis divinis magis accusat; v. 10-17 quae in deserto acciderunt recenset; v. 10 « *eieci ergo eos de terra Aegypti et eduxi eos in desertum* »; — hebr. *et eduxi eos*; ne igitur ex latino *eiicere* concludas exprimi Dei indignationem vel magnum conatum quem debuerit adhibere ut tandem inviti cederent; in deserto maxima cura legibus datis bono populi prospexit v. 11 « *et dedi eis praecepta mea et iudicia mea ostendi eis quae faciens homo vivet in eis* »; — cf. Lev. 18,5 qui locus fere ad verbum hic recitatur; similia leguntur Deut. 30,16. 19; in *vita* summa promissionum et bonorum continetur, sicut in morte summa minarum et poenarum; vide ad 18,9. 13. Inter reliqua legem sabbati effert, quia dies ille Deo sacer et sacra quiete celebrandus magno testimonio est et Dei in populum benignitatis quippe qui quietem illam concedit tamquam figuram et typum quietis divinae coelestis ad quam

eos invitat (cf. Hebr. 4,4-9), et populi in Deum obedientiae et religionis v. 12 « *insuper et sabbata mea dedi eis, ut essent signum inter me et eos et scirent quia ego Dominus sanctificans eos* » ; — verba eadem leguntur Ex. 31,13, quo loco observatio diei sabbati magnopere commendatur et urgetur. Ea celebratione publica et sollemnis adesse cernitur professio quod sint populus Dei eiusque cultui dicati, est etiam publica et sollemnis memoria qua divina beneficia et praeprimis electio illa in gentem Dei sanctam et sacerdotalem celebrantur et in perpetuum grata recordatione coluntur (*Prad. Lap.*). Unde observatione sabbati Deus eos *sanctificat*, sibi sacros et efficit et declarat et ei observationi sua adnectit beneficia, ut tandem et ipsi opere suo impleto intrent ad sabbatismum aeternum, quemadmodum Deus opere creationis facto introivit in requiem suam (cf. Ex. 20,11). Insuper vide Lev. 19,3. 30; 26,2.

At mox indoles illa contumax et perversa iterum manifestabatur v. 13 « *et irritaverunt me domus Israel in deserto, in praeceptis meis non ambulaverunt et iudicia mea proiecerunt quae faciens homo vivet in eis et sabbata mea violaverunt vehementer; dixi ergo ut effunderem furorem meum super eos in deserto et consumerem eos* »; — eius rei exempla habes Ex. 32,1 seq. Num. 14,1 seq. 16,2 et 21,5; 25,2 etc.; de violatione sabbati Ex. 16,27 et Num. 15,32. Eos consumere et delere voluit Deus Ex. 32,10; 33,3. Num. 14,12. Deut. 9,14. Sed uti iisdem quoque locis refertur, populo pepercit ne nomen suum contemptui haberetur apud gentes : ne dicant : non poterat introducere populum in terram pro qua iuraverat, idcirco occidit eos in solitudine (Num. 14,16) v. 14 « *et feci propter nomen meum ne violaretur coram gentibus de quibus eieci eos in conspectu earum* »; — cf. v. 9; hebr. *eduxi* eos. Neque tamen eos impune abire permisit; crimen quidem ita dimisit, ut eos non plane abiiceret et deleret, attamen contumaces illi et rebelles in deserto mortui sunt nec viderunt terram promissam, uti narratur Num. 14,20 seq. et ex ea narratione hic quoque dicitur v. 15 « *ego igitur levavi manum meam super eos in deserto, ne inducerem eos in terram quam dedi eis fluentem lacte et melle, praecipuam terrarum omnium* » ; — manum levare i. e. iurare, uti v. 6; quae fuerit iurandi formula, refertur Num. 14,21 : vivo ego; de צְבִי vide ad v. 6; v. 16 « *quia iudicia mea proiecerunt et in praeceptis meis non ambulaverunt et sabbata mea violaverunt; post idola enim cor eorum gradiebatur* »; — cf. v. 13; de idololatria in deserto vide Ex. 32,4. Lev. 17,7. Num. 25,2. 3. Deut. 4,3; 32,17. Ios. 22,17. Os. 9,10. Am. 5,26. Attamen Deus a foedere cum populo non recessit v. 17 « *et pepercit oculus meus super eos ut non interficerem eos, nec consumpsi eos in deserto* »;

— iunior enim generatio introducta est in terram promissam; de verbis vide 11,13 consummationem facere, et 16,5.

Sed iunior quoque generatio contumaciam et rebellionem patrum est imitata v. 18 « *dixi autem ad filios eorum in solitudine : in praeceptis patrum vestrorum nolite incedere nec iudicia eorum custodiatis nec in idolis eorum polluamini*, v. 19 *ego Dominus Deus vester, in praeceptis meis ambulate, iudicia mea custodite et facite ea*, v. 20 *et sabbata mea sanctificate, ut sint signum inter me et vos et sciatis quia ego sum Dominus Deus vester* »! — *ego Dominus*, quibus verbis saepius exprimitur potissima legis latae sanctio et confirmatio quae ex Dei maiestate et ex foedere inito eiusque minis et promissis efficacissime depromitur; cf. Ex. 20,2. Lev. 11,45. Num. 15,41. Deut. 5,6 etc. Adhortationes eiusmodi datas esse et legibus a Num. 15,1 et deinceps promulgatis et munere Moysis ducis et prophetae aliorumque prophetarum officio constat; de sabbato ut signo vide ad v. 12. Monita autem parum profuerunt v. 21 « *et exacerbaverunt me filii; in praeceptis meis non ambulaverunt et iudicia mea non custodierunt ut facerent ea, quae cum fecerit homo vivet in eis, et sabbata mea violaverunt, et comminatus sum ut effunderem furorem meum super eos et implerem iram meam in eis in deserto;* v. 22 *averti autem manum meam et feci propter nomen meum ut non violaretur coram gentibus, de quibus eieci eos in oculis earum* »; — rebellionis eorum documenta et exempla leguntur Num. 14,41; 15,32; 16,1 praesertim in rebellione Core, Dathan et Abiron, qua facta Deus omnes perdere voluit pepercitque dum Moyses et Aaron intercederent Num. 16,21; et iterum Num. 16,41-48 (hebr. Num. 17, 9 seq.). De eorum pervicacia Moyses conqueritur Deut. 29,4; de v. 22 vide ad v. 14. Sed uti priorem generationem punivit, ita alteram quoque v. 23 « *iterum levavi manum meam in eos in solitudine, ut dispergerem illos in nationes et ventilarem in terras*, v. 24 *eo quod iudicia mea non fecissent et praecepta mea reprobassent et sabbata mea violassent et post idola patrum suorum fuissent oculi eorum* »; — i. e. iureiurando interposito minatus est fore ut dispergantur inter gentes; eiusmodi minas revera legimus Lev. 26,33 et Deut. 28,33. 64 (*Loch, Troch. Keil*), ita ut in hac quoque re plenus adsit consensus inter legem pentateuchicam et vatem; et si *Sm.* negat verbis istis probari Lev. 26 et Deut. 28 vati fuisse cognita, rem negat quae tota hac disceptatione vatis clarissime constat. Atque merito iurisiurandi mentionem infert, quia totum foedus et speciali modo minae et promissiones datae iuramento firmata esse dicuntur et verba iuramenti vocantur Deut. 29,13. 19. Prout igitur Deus Lev. 26 et Deut. 28 seq. generationem in deserto alloquens ea minatur et promittit quae per omnes futuras po-

puli generationes valere debeant neque tamen singula fieri in ipsa illa ad quam loquitur generatione, eodem modo Ezechiel quoque rem refert, minas iam illi generationi esse denuntiatas, quamvis ipsa exsecutio demum longo post tempore acciderit. Ita scil. ab una illa generatione iam ad universum populum per varias generationes et saecula sermonem transfert atque id quoque valet pro sequentibus.

Nam quia suavia Domini praecepta neglexerunt, Deus illis per hostes et tyrannos duras servitutis leges imponendas curavit et quia Deum colere et adorare renuebant, permisit ut in abominandum cultum delaberentur idololatricum v. 25 « *ergo et ego dedi eis praecepta non bona et iudicia in quibus non vivent,* v. 26 *et pollui eos in muneribus suis, cum offerrent omne quod aperit vulvam propter delicta sua, et scient quia ego Dominus* » ; — hebr. non legitur *propter delicta sua,* sed *ut facerem eos stupescere,* ut horrorem iis incuterem. Locum hunc aliter ab aliis tentatum praeclare explicavit *Prad.* : « existimamus sermonem esse non de legibus divinis sed humanis, non Moysis sed tyrannorum quibus Hebraei traditi sunt ob legis divinae violationem; dein de sacrificiis quae falsis gentium diis offerebant, ut duo commemorentur supplicia respondentia duobus beneficiis collatis, scil. leges durae tyrannorum pro suavi Dei lege reiecta et nefariae oblationes pro sanctissimis sacrificiis despectis »; similia apud *Mald. Est. Tir. Lap. Calm. Troch.* neque ab ea acceptione abesse videtur *S. Ephr.* qui quattuor illas plagas a Deo immissas : gladium, captivitatem, malas bestias, pestem, in praeceptis non bonis declarari censet. In v. 26 describitur quam gravia onera sibi imposuerint pro diis : primogenitos filios (qui vulvam aperiunt; cf. Ex. 13,12) consecrabant per ignem idolis, speciatim Moloch. Id lege prohibitum fuit Lev. 18.21; 20,2. Deut. 18,10. Si Deus nunc dicit *contaminavi eos,* intelligitur in poenam idololatriae permisisse ut tanto scelere se polluerent. Id autem permisit, ut ipso sceleris horrore tandem obstupescerent et flagitium ex abominatione agnoscerent. Ceterum vide ad 16,20. Modum autem loquendi *pollui eos* explica sicut Rom. 1,24. 2 Thess. 2,11. Act. 7,42 vel secundum ea quae ad Is. 6,10 dicta sunt.

Quaenam sint praecepta non bona quae dederit Deus vario modo explicarunt. Haud raro intellexerunt leges caerimoniales v. g. ut *Theod.* ait, de lepra, de ossibus cadaveris, de morticino etc., ea non dici mala, sed *non bona,* neque enim virtutem esse ab iis productam, e contra fuisse multarum offensionum causam. Alii de vetere lege in universum explicarunt quippe qua nihil sit ad perfectum adductum, vel eo sensu dici non bona, quia Iudaeis facta sint occasio peccatorum secundum illud : inventum est mihi mandatum quod erat ad vitam hoc esse ad mortem (Rom. 7,10). Alii : per-

misi eos ritus et leges observare gentilium in cultu idolorum, quam explicationem quidem iam *Theod.* explodit : « perspicuum est eos nequaquam eorum quae dicta sunt sensum percepisse; impiam enim idolorum religionem nemo recte sentiens *non bonam* dixerit, sed admodum malam »; at saepius est proposita (*Men.*). Iuremerito *Mald.* explicationem de legibus caerimonialibus, quae nihil natura sua utilitatis afferant ideoque dicta sint non bona i. e. inutilia, vocat subtiliorem eamque ex praecepto de sabbato v. 12. 20 refutat. Idem etiam magis valet de lege in universum. Insuper advertere oportet leges de sacrificiis iam antea datas fuisse, ita ut ex temporum quoque serie haec explicatio ad nostrum locum minime conveniat. A quibus Patribus ea sit proposita, referunt *Prad. Lap. Calm.;* sensum fere attigit *Chald.* : « quia praevaricati sunt in Verbum meum (Memra) et noluerunt obedire prophetis meis, proieci eos et tradidi eos in manum inimicorum suorum et post concupiscentiam suam insipientem abierunt et fecerunt decreta non recta et leges in quibus non vivetis ».

Deinde illis exprobrat idololatriam multiplicem quam ingressi in terram promissam exercebant v. 27 « *quamobrem loquere ad domum Israel fili hominis et dices ad eos : haec dicit Dominus Deus : adhuc et in hoc blasphemaverunt me patres vestri, cum sprevissent me contemnentes* v. 28 *et induxissem eos in terram, super quam levavi manum meam ut darem eis, viderunt omnem collem excelsum et omne lignum nemorosum et immolaverunt ibi victimas suas et dederunt ibi irritationem oblationis suae et posuerunt ibi odorem suavitatis suae et libaverunt libationes suas* »; — ad ceteras perfidias (hebr. מָעַל cf. 14,13; 15,8; 17,20; 18,24) id addebant, ut in omni colle excelso etc. offerrent victimas et ponerent *irritamentum* doni sui i. e. talia dona et sacrificia quibus iram et indignationem Dei provocarent. Quattuor modis quam frequenter ibi immolaverint victimas et adoraverint explicat vocibus ex ritu sacrificali quem Dominus praescripsit depromptis, ut appareat quam turpiter ritus sacros profanaverint. Praecipitur Deut. 12,13 : cave ne offeras holocausta tua in *omni loco quem videris*, illi autem *viderunt omnem* collem excelsum et obtulerunt; קָרְבָּן *oblatio* de sacrificiis cruentis et fertis dicitur in Lev. et Num., item odor suavitatis de omni sacrificio quod in ara crematur (Gen. 8,21. Ex. 29,25. Lev. 1,9. 13. 17; 2,2. 9. 12 etc.) et vide ad 16,19. De cultu in collibus etc. exercito vide Is. 57,6. 7. Ier. 2,20 et supra 6,13. Et quamvis Deus cultum illum toties reprobasset, nihilominus eum retinuerunt perfracte v. 29 « *et dixi ad eos : quid est excelsum ad quod vos ingredimini? et vocatum est nomen eius excelsum usque ad hanc diem* »; — interrogatio est indignantis : quid sibi vult excelsum? ut quid itis ad excelsum? qua indicatur eos saepe a Deo per prophetas de isto crimine

esse admonitos. Praescriptum enim erat Deut. 12,2 : subvertite omnia loca in quibus coluerunt gentes deos suos super montes excelsos et colles etc.; at nihilominus usque ad diem hunc *vocatur nomen eius* i. e. exsistit et usurpatur excelsum et antiquus error (*S. Hier.*) cum nomine permansit. In interrogatione quare frequentatis excelsum? iam exprimitur reprobatio et increpatio, praesertim si Dei mandatum respicitur : omnia excelsa vastate (Num. 33,52); quare non opus erit הַבָּאִים *vos ingredientes* cum aliquibus explicare : vos fornicantes (*Ewald, Sm.*).

Sceleribus enumeratis redit oratio ad v. 3 ex quo egressa est : peccatoribus contumacibus Deus non dat responsum v. 30 « *propterea dic ad domum Israel : haec dicit Dominus Deus : certe in via patrum vestrorum vos polluimini et post offendicula eorum vos fornicamini,* v. 31 *et in oblatione donorum vestrorum cum traducitis filios vestros per ignem, vos polluimini in omnibus idolis vestris usque hodie, et ego respondebo vobis domus Israel? vivo ego, dicit Dominus Deus, quia non respondebo vobis* »! — i. e. qua fronte ii qui eiusmodi abominationibus indulgent a Domino exquirere possunt responsum, quo scil. mala imminentia et poenas iam diu intentatas se auferre vel non opere complere promittat? quam longa generationum serie scelera Deus longanimiter toleravit? quot adhibuit conatus ad ea removenda? iam dudum poenas minatus est v. 21; qua igitur impudentia scelesti qui nolunt emendari postulant immunitatem? Iurat Deus se fausta iis non responsurum; proin firma manere et rata oracula de ruina toties edita. Ita senioribus declaratur simul, cur pro regno iudaico non relinquatur nisi excidium; notat *S. Hier.* : « non quod haec seniores in captivitate faciant, sed quod illi qui Ierosolymis morabantur et quibus captivitas imminebat haec omnia facere non cessent ». Culpa describitur totius populi, quia de regni ruina agitur.

b) **Deus castigatione populum emendabit 20, 32-44.**

Ab ineunte igitur populi memoria usque ad tempus vatis res gestae Israel ita conformatae sunt, quasi populus ex sua parte omni conatu et studio in id incumberet, ut sese separaret a Domino, eius foedus redderet irritum, eius consilium et opus theocratiae everteret et se plane daret in viam gentium. Id enim ex maxima illa et adeo diuturna corruptione morum cultusque divini consequi videbatur. Verum Deus profitetur se non permissurum, ut suus populus *totus* in perversa illa via permaneat; sed tamquam *rex* suum in eos sibi vindicabit dominium et uti olim in Aegypto et in deserto rebellionem eorum et con-

tumaciam suis iudiciis compescuit atque fregit, ita iam simili modo animos eorum duros ab inveterata iniquitate sanabit. Quid ergo boni ac salutiferi ex regni ruina oriundum sit, iterum proponitur; apud omnes enim prophetas illud valet et explicatur documentum providentiae Dei in rebus israeliticis : Sion in iudicio redimetur (vide ad Is. 1,27). Unde postquam Deus ruinam non iri impeditum respondit, statim ea subiungit quae ex ruina inflicta consequi debeant v. 32 « *Neque cogitatio mentis vestrae fiet dicentium : erimus sicut gentes et sicut cognationes terrae, ut colamus ligna et lapides* »; — illi quidem pro viribus in gentium ordinem et censum se redigere volunt; « ne putetis cogitationes vestras posse compleri; dicitis enim : nolumus esse sub Domino, nec populus illius appellari » (*S. Hier.*). Sed v. 33 « *vivo ego, dicit Dominus Deus, quoniam in manu forti et in brachio extento et in furore effuso regnabo super vos* »; — manu forti et brachio extento Deus patrasse dicitur portenta in Aegypto quibus populum a servitute redemit Ex. 6,1; 13,3. 9; 14,8. Deut. 6,21; 7,8. 19; 9,26 etc.; iam eandem potentiam cum furore coniunctam adhibebit, ut rebelles ad suam reducat obedientiam; « non vos relinquam neque contemnam, ut fugaces servos domini negligentes solent contemnere, sed ad meum retraham imperium et brachio extento ac percutiente ac furore effuso in pristinam vos redigam servitutem et regnabo super vos, ut velitis nolitis me habeatis regem et sentiatis regem iratum cuius clementiam neglexistis » (*S. Hier.*).

Id autem efficietur iudicio et castigatione; ipsi volunt esse ut gentes, ut colant ligna et lapides (cf. Deut. 4,28; 28,36. 64; 29,17), Dominus autem animos eorum ab ista societate avellet et prout olim in deserto populum castigavit, emendavit, et ad terram possidendam praeparavit, ita nunc quoque aget v. 34 « *et educam vos de populis et congregabo vos de terris in quibus dispersi estis, in manu valida et in brachio extento et in furore effuso regnabo super vos,* v. 35 *et adducam vos in desertum populorum et iudicabor vobiscum ibi facie ad faciem;* v. 36 *sicut iudicio contendi adversum patres vestros in deserto terrae Aegypti, sic iudicabo vos, dicit Dominus Deus* »; — i. e. vos vultis inter gentes et eorum ritu vivere; id ego non permittam, sed educam vos (*Mar. Mald.*). In desertum populorum eos adducit i. e. ut apud Os. 2,14 : ducam eam in solitudinem et loquar ad cor eius; ita vocatur ipsum exsilium, *desertum* scil. cum allusione ad commorationem in deserto qua populus ad possidendam terram praeparabatur, *populorum* autem quia inter alienas nationes illud exsilium transegerunt. Ibi *disceptabit* cum eis, ibi poenas sumet, eos reprehendet, eos corriget inflicta castigatione, sicut olim in deserto; idque *facie ad faciem*,

modo quam maxime claro, aperto, ita ut manum Domini eiusque providentiam non possint non agnoscere.

Huius autem disceptationis et iudicii fructus erit, ut populus Domini iterum ad Deum quasi grex ad pastorem congregetur v. 37 « *et subiiciam vos sceptro meo et inducam vos in vinculis foederis* » ; — hebr. *et transire vos faciam sub baculum* scil. pastoralem, quasi pastor numerans singula pecora eorumque curam gerens (*Prad. Lap. Mar. Vat.* et recentiores); vide ad Ier. 33,13; sub pastoris virga transire i. e. singula numerare et curare cf. Lev. 27,32. Dum autem tamquam pastor gregem colligit, eos iterum *in vincula* foederis inducit i. e. denuo foedus cum iis init et foedus erigit stabile cui fideliter et constanter adhaerebunt; vide Os. 2,18-20. Ier. 31,32. Unde hoc quoque loco tamquam fructum exsilii instaurationem significat, qua conditio populi fide et religione conspicua efficienda sit. Sed uti olim rebelles in deserto prostrati sunt, ita nunc quoque non omnes instaurationis beneficii erunt participes, sed ii solum qui exsilii castigatione revera emendati sunt v. 38 « *et eligam de vobis transgressores et impios et de terra incolatus eorum educam eos et in terram Israel non ingredientur, et scietis quia ego Dominus* »! — rebelles vel contumaces (hebr.) ab iis separabit et secernet « non ad possidendum sed ad abiiciendum; et educam eos de terra incolatus, ut educti non ingrediantur terram Israel, sed in diversis pereant regionibus, et distinctione bonorum et malorum cognoscatis quia ego sum Dominus qui facio cuncta iudicio » (*S. Hier.*). Proinde exsilium et tempus instaurationis designatur tamquam tempus quo Deus iterum iudicio separationis in populum instituto secernit et seiungit inter bonos et malos, inter electos et reprobos. Est enim exsilium, uti Amos iam indicavit (9,9), quasi si populus per cribrum cerneretur : glumae et quisquiliae separantur et pereunt, triticum servatur et in horrea Domini colligitur.

Quare Deus suo consilio non frustrabitur. Etsi enim nunc sint qui idolis serviant et vocem Domini audire detrectent, tamen Dominus populum sanctum sibique placentem in suam gloriam et honorem sibi efficiet v. 39 « *et vos domus Israel, haec dicit Dominus Deus : singuli post idola vestra ambulate et servite eis! quodsi et in hoc non audieritis me et nomen meum sanctum pollueritis ultra in muneribus vestris et in idolis vestris,* v. 40 *in monte sancto meo, in monte excelso Israel, ait Dominus Deus, ibi serviet mihi omnis domus Israel; omnes inquam in terra in qua placebunt mihi, et ibi quaeram primitias vestras et initium decimarum vestrarum in omnibus sanctificationibus vestris* » ; — textu mas. quem *Syrus, Aq. Sym. S. Hier. Chald.* exprimunt, prius concessionis forma edicitur : etsi nunc serviant idolis, *sed postea, profecto*

audietis me et nomen sanctum meum non profanabitis ultra in muneribus vestris et idolis vestris; ita in hebr. mox post primum membrum infertur quae fausta mutatio efficienda sit. Verti tamen etiam potest : sed postea, si nunc non auditis me, nomen meum non profanabitis (*Schr.*); sed communiter illud praeferunt. Tempus instaurationis fore describitur : in terra sancta, in monte sancto iterum adorabunt Dominum, ibi eos cum gratia suscipiet (hebr.), ibi iterum *requiret* et accipiet *oblationes* eorum et *primitias* vel *optima donorum* cum omnibus quae Deo dicabunt vel consecrabunt (hebr.). Cultum igitur instauratum iri a populo Deo accepto et magna religione multisque oblationibus sponte etiam factis eum iri peractum edicitur. Unde indoles sancta et magna declaratur pietas quae instaurationem consequatur. Pro *primitiis* hebr. legitur תְּרוּמָה quae vox latioris est notionis; cf. Ex. 25, 2. 3 et 33,5. 21. 24 et 36,3. 6 de oblationibus auri, argenti etc. dicitur ad tabernaculum sacrum exstruendum ornandumque; ceterum vide Ex. 30,13. Num. 15,19; 31,52 etc.; primitias in hebr. expressas habes potius ultimo membro, in quo tamen non solum de decimis, sed generatim de donis sacris mentio infertur. Dicuntur *sanctificationes* vel sanctificata (ita Lev. 22,15 *S. Hier.* vertit) ea quae Domino consecrantur vel voventur.

In textu graeco illa quasi concessio ironica : ite et servite idolis, non legitur, sed eius loco habetur : unusquisque adinventiones suas auferat ἐξάρατε; quare iam *Houbig.* legendum esse proponit הַעֲבִירוּ; eandem emendationem adoptat *C.* : auferte idola vestra. Ceterum hoc loco varietatem adesse interpretationis meminit *S. Hier.* : « hunc locum manifestius interpretatus est Symmachus : unusquisque idolis suis euntes servite, quia noluistis audire me; nomen autem meum sanctum nolite ultra polluere... Aquila vero Symmacho ex parte consentiens in parte discordat : *ite*, inquit, *post idola vestra et servite eis*, quia indigni estis meo imperio nec me vestra cultura delectat. Quod si et in hoc nequaquam audieritis me, sed nomen sanctum meum pollueritis, dum mihi offerre simulatis quae offertis idolis et nomini meo tantum blasphemiam facitis, ut qui idolorum cultores estis meos vos esse dicatis, hoc scitote quod in monte sancto meo servitura sit mihi omnis domus Israel quae postea creditura est ». Unde perspicimus *S. Hier.* in sua versione hoc loco Aquilam secutum esse prae Symmacho quem tamen dicit manifestius interpretatum esse. Quod eo magis mirum est, quia etiam apud LXX *S. Hier.* legit : post haec si vos audieritis me et nomen meum sanctum *non* pollueritis ultra.

Quam praeclara futura sit instauratio amplius delineatur : maximo cum amore Deus populum suscipiet in eoque sibi complacebit et coram gentibus quoque gloriam suam manifestabit v. 41 « *in odorem suavitatis suscipiam vos, cum eduxero vos de populis et congregavero vos de terris in quas dispersi estis et sanctificabor in vobis in oculis nationum* »; — tamquam munus vel sacrificium sibi acceptissimum sus-

cipiet populum reducem; ergo omni favore et benevolentia eum complectetur et populum talem sibi exhibebit, ut coram gentibus Domino sit gloriae et honori, « ut omnes in circuitu nationes videntes populum Domini esse salvatum glorificent Deum » (*S. Hier.*); glorificabor, sanctus, potens, mirabilis praedicabor (*Prad. Pint. Mald. Mar.*); cf. Lev. 10,3. Num. 20,13. Is. 5,16, et infra Ez. 28,25; 36,23; 38,16; 39,27. Ita ad eum finem res perducuntur qui est excellentissimus omnium et ultimus: plena est omnis terra gloria eius (Is. 6,3).

In qua instauratione ex una parte agnoscetur Dei maiestas, fidelitas, benignitas, ex altera autem parte ii qui adeo divinis favoribus cumulantur profitebuntur ea dona sibi conferri qui minime meruerint, sed qui satis superque habeant cur de vita inique transacta summo afficiantur dolore et pudore. Aderit igitur cognitio Dei et agnitio propriae infirmitatis apud servatos v. 42 « *et scietis quia ego Dominus, cum induxero vos ad terram Israel, in terram pro qua levavi manum meam ut darem eam patribus vestris* v. 43 *et recordabimini ibi viarum vestrarum et omnium scelerum vestrorum quibus polluti estis in eis et displicebitis vobis in conspectu vestro in omnibus malitiis vestris quas fecistis*, v. 44 *et scietis quia ego Dominus, cum benefecero vobis propter nomen meum et non secundum vias vestras malas neque secundum scelera vestra pessima domus Israel, ait Dominus Deus* »; — levare manum i. e. iurare; cf. v. 5. 6. 15. Instaurationem a Deo concedi gratuito propter gloriam nominis sui v. 9. 14 et eam concedi quamvis populus sua perversitate Deum summopere offenderit, denuo explicite effertur. Quam magna sit gratia Dei illustratur; pariter autem docemur velle Deum ut firmam retineamus memoriam quam indignos nos ipsius beneficiis praestiterimus. Similiter describit Ieremias reduces de suis iniquitatibus flentes et dolentes 3,21 seq. et Mich. 7,9; cf. Bar. 2,5. Dan. 9,3 seq. In hebr. vox est satis gravis, non solum displicebitis vobis, verum potius taedio ac fastidio afficiemini de vobis ipsis (6,9), LXX et percutietis facies vestras. Hic est igitur exsilii fructus, ut ad agnitionem peccati adducantur, quae agnitio, ut *Theod.* dicit, pudoris est initium. Quam vere autem Deus sit *Iahve,* tum potissimum elucet, cum peccatores in gratiam suscipit; fides enim Dei et gratia eo magis illustratur, quo indignioribus opem fert, « ut iustificeris in sermonibus tuis et vincas cum iudicaris. Numquid incredulitas eorum fidem Dei evacuabit? absit » (Rom. 3,3. 4)!

c) **Parabolae de exsequendo supplicio 20, 45-21, 17.**

In sequentibus per parabolas explanatur qua via iudicium Dei in urbem et populum decretum sit exsecutioni mandandum. Et priore qui-

dem parabola magnum nobis proponitur incendium quo saltus in regione meridionali sit absumendus; ad imaginem saltus cf. Is. 10,18. 33, quo potentia et exercitus regis assyriaci saltui comparatur, et cf. Zach. 11,2. 3; incendio saltus ruinam quoque adumbrant Isaias 9,17 et Ieremias 21,14. Tale incendium annuntiare vates iubetur v. 45 « *Et factus est sermo Domini ad me dicens :* v. 46 *fili hominis pone faciem tuam contra viam austri et stilla ad africum et propheta ad saltum agri meridiani* »! — ponere faciem cf. 6,2; 13,17; 15,7; « obfirmatione enim vultus opus est et frontis duritia, ut quae imperantur prophetae loquatur intrepidus, maxime cum ad totam populi multitudinem tristia nuntiata sint » (*S. Hier.*). Stillare i. e. prophetare; cf. Am. 7,16. Mich. 2,6. 11. Cum in libris propheticis Assyria et Babylonia communiter tamquam regio aquilonaris designetur (Ier. 1,14; 4,6; 6, 22; 25,9 etc.), vates in Babylonia constitutus de urbe Ierusalem et regno iudaico ut de terra australi loquitur. Ceterum cum ultimo loco hebr. *negeb* nominetur qua voce pars regionis meridionalis Palaestinae et terrae Iuda designari solet, quae regio intelligatur statim patet. In saltu habitationem bestiarum et ferocium hominum notari *S. Hier.* vult, *Theod.* declarari cernit fructuum sterilitatem, mentis duritiem et confusionem et ferarum receptaculum. Uti iam 10,6 prophetae ostensum est, etiam nunc incendio excidium fieri declaratur v. 47 « *et dices saltui meridiano : audi verbum Domini : haec dicit Dominus Deus : ecce ego succendam in te ignem et comburam in te omne lignum viride et omne lignum aridum ; non exstinguetur flamma succensionis et comburetur in ea omnis facies ab austro usque ad aquilonem* »; — incendium describitur quo omnia vastentur et quod ab hominibus nequeat cohiberi. Lignum viride et aridum dicitur, ut omne lignum designetur; « omne enim lignum vel viride est vel siccum » (*Lap.*); alii nobiles et plebeios, divites et pauperes, frequentius autem bonos et malos intelligunt (*S. Hier. Prad. Mald. Sa, Mar. Tir. Loch, Troch.*). Ad incendii vehementiam declarandam dicitur *flamma flagrans,* quae per totam regionem ab austro usque ad aquilonem pervadit, ita ut omnes *facies* i. e. omnes homines ignescant vel aestu percutiantur; vide ad 21,3. Ultionem in eo cerni Domini eamque inevitabilem dicit v. 48 « *et videbit universa caro quia ego Dominus succendi eam nec exstinguetur* »; — tanta scil. est flamma, ut omnes a Deo succensam agnoscere debeant.

Verum Iudaei talia oracula magna animorum levitate suscipiunt et fere de propheta rident quod parabolis otiosis tempus terat; de qua petulantia vates conqueritur v. 49 « *et dixi : a a a Domine Deus, ipsi dicunt de me : numquid non per parabolas loquitur iste* »? — hebr. *heu* Domine; vide ad 4,14. Ier. 1,6; 14,13. Cum igitur animos a parabola,

utpote re obscura, avertant eamque spernant, iam modo prorsus indubitato quid rei sit annuntiatur 21,1 « *et factus est sermo Domini ad me dicens :* v. 2 *fili hominis pone faciem tuam ad Ierusalem et stilla ad sanctuaria et propheta contra humum Israel* »! — cf. 20,46; en quid sibi velit regio et saltus meridionalis; de sanctuariis cf. 7,24; v. 3 « *et dices terrae Israel : haec dicit Dominus Deus : ecce ego ad te et eiiciam gladium meum de vagina sua et occidam in te iustum et impium* »; — gladio bellum designari patet; cf. 5,12; unde haec de gladio parabola magis inservit ad priorem declarandam. In bello et in eiusmodi cladibus communibus iusti pariter et impii affliguntur, neque si 9,4 et 18,9 iusto vita promittitur, id ita poterit intelligi, ut toto tempore belli cum Chaldaeis et obsidionis et expugnationis urbis nemo iustus vel gladio occidatur vel sagittis transfossus pereat; unde non est asserendum adesse h. l. contradictionem cum antecedentibus, sed id potius est ex hoc loco colligendum promissa de vita iusti non concludi huius vitae spatio. Adde quod sicut hoc loco iusti quoque occidi dicuntur, ita supra dictum est multos eosque egregie impios ex urbis ruina servatum iri 14,22. 23. Hisce igitur perpensis explicabis, ut rei natura fert, in plaga communi et sontes et insontes pariter abripi, Deo autem non deesse quibus iusto mercedem, poenam impio tribuat secundum normam antea statutam. Eam cladem describit sicut 20,47 ut cladem per omnem regionem pervadentem et inevitabilem v. 4 « *pro eo autem quod occidi in te iustum et impium, idcirco egredietur gladius meus de vagina sua ad omnem carnem ab austro usque ad aquilonem,* v. 5 *ut sciat omnis caro quia ego Dominus eduxi gladium meum de vagina sua irrevocabilem* »; — hebr. *et non redibit amplius,* donec scil. id effecerit quod in v. 4 dicitur, donec totum regnum est destructum.

Quae verbis dixit, doloris significatione confirmare iubetur, qua et eorum qui audiunt maior attentio excitetur et quam magna futura sit ruina declaretur; « consequatur ea quae dicuntur tua quoque doloris societas et doceto eos suspiriis tuis vera esse quae dicuntur » (*Theod.*) v. 6 « *et tu fili hominis ingemisce in contritione lumborum et in amaritudinibus ingemisce coram eis* »! — i. e. ingemisce eo dolore ut lumbi, in quibus tamen viri robur consistit, ob suspiria et gemitus conteri ac disrumpi videantur (*Mald. Mar. Lap. Men.*); cf. Is. 21,3. Ier. 30, 6. Nah. 2,10; gemitus igitur ex imis visceribus et amaritudine animi proferre iubetur (*S. Hier.*). Ea rei novitate perculsi cur ita gemat et doleat interrogabunt v. 7 « *cumque dixerint ad te : quare tu gemis? dices : pro auditu quia venit et tabescet omne cor et dissolventur universae manus et infirmabitur omnis spiritus et per cuncta genua fluent aquae; ecce venit et fiet, ait Dominus Deus* »; — auditus i. e.

nuntius, qui auditur uti vox quoque latina quandoque adhibetur et certe hebr. שְׁמוּעָה; vide ad Is. 53,1. Nuntius ille est id quod propheta audivit a Domino eiusque terrorem ita describit, ut quam inepti omnes futuri sint ad resistendum quam clarissime efferatur. Cor, sedes roboris vitaeque, liquescit et quasi diffluit omni virtute destitutum; unde manus quoque plane redduntur infirmae et inutiles (Is. 13,7); hebescit omnis spiritus et torpescit, nullus iam consilium dare vel viam salutis vel remedium excogitare valet; robur demum omne corporis perit; de verbis vide 7,17. Additur confirmatio verbis Domini : ecce quod annuntiatum est fiet; cf. 7,6.

Nuntius ille de gladio Domini latius explicatur v. 8 « *et factus est sermo Domini ad me dicens :* v. 9 *fili hominis propheta et dices : haec dicit Dominus Deus : loquere : gladius, gladius exacutus est et limatus,* v. 10 *ut caedat victimas exacutus est, ut splendeat limatus est; qui moves sceptrum filii mei, succidisti omne lignum* »! — gladius igitur optime est praeparatus; exacutus est et politus etiam ut fulgeat, tersus ut fulgore suo iam terrorem incutiat; « tu es qui moves atque subvertis sceptrum filii mei, imperium videlicet populi Israel, et omne lignum succidis, universam populi multitudinem » (*S. Hier.*) et alia scil. regna; nam ex Ier. 25,9 regi Nabuchodonosor, quo Deus utitur ministro ultionis, datae sunt omnes in circuitu nationes; unde gladius omne lignum succidere dicitur. Ita interpretes latini verba latina concipiunt. Is sensus satis est facilis; cum Deus loquatur, *filius* est vel populus electus in universum, uti Ex. 4,22 et saepius, vel ratione speciali rex theocraticus secundum 2 Reg. 7,14 : ipse erit mihi in filium. Textum *mas.* aliqui vertunt : *vel numquid laetemur? virga (sceptrum) filii mei spernit omne lignum* (apud *Prad. Vat. Calm. Loch, Troch. Schr. Keil*); at in explicatione non consentiunt. Saepius ita verba concipiuntur : vel numquid nos eo laetari possumus, quia sceptrum Iuda prae omni alio sceptro manet; verba referunt ad Gen. 49,10 et cum sceptrum Iudae etiam ex 2 Reg. 7,14 sit aeternum, omnem aliam virgam regiam spernere dicitur. Sententia haec in se quidem vera est; at hoc loco tamen verba ipsa tam coacte contextui imponuntur, ut is sensus non possit esse a vate prolatus. Deus enim loquitur in antecedentibus et in consequentibus; proinde iam improbabile est eum sermonem subito interrumpi inserta populi vel vatis interrogatione; dein plane non intelligitur, quomodo populus vel vates sceptrum Iuda vocare possit sceptrum *filii mei?* omne lignum dici pro omni regno etiam est inauditum et cum שֵׁבֶט nomen sit masculinum, ne forma quidem grammaticalis מֹאֶסֶת femin. ad eam versionem congruit.

Praeter eam interpretationem sat multae aliae afferuntur, ex quibus paucas delibare satis erit : virga filii Iuda quae contemnit omne lignum est punitio pro Iuda decreta, quae omnes alias severitate superet secundum normam Luc. 12,47 promulgatam (*Hengstenberg*); virga qua filius meus punitur nemini parcit (*Loch*); tribus filii mei respuit omnem castigationem; tribus Iuda respuit omne idolum. Alii propter formam gen. fem. supplent ex antecedenti חֶרֶב fem. : num gaudebimus de gladio qui tribum Iuda et omnem arborem perdit et abiicit? vel qui percutit Israel, reliquis autem parcit? vide apud *Vat. Prad. Schr. Currey*. Veteres quoque versiones multum inter se discrepant. LXX hoc loco praebent : (ῥομφαία ἑτοίμη) εἰς παράλυσιν, σφάζε, ἐξουδένει, ἀπόθου πᾶν ξύλον; *Syrus* : compara te ad exagitandam stirpem filii mei; sperne omne lignum. *Sym.* : ἢ φεύξομεν ἀπὸ τοῦ ῥάβδου, υἱέ μου; de *Theod.* autem haec verba servata sunt εἰ κινοῦσα ῥάβδον υἱῶν μου; ex quibus videmus *S. Hier.* eius versionem esse secutum. Hae igitur versiones verbum *laetandi* non exprimunt; solum *Chald.* eius habet vestigium in paraphrasi quae multum recedit a textu *mas.* : pro eo quod laetatae sunt tribus domus Iuda et Beniamin ob tribus Israel, quando migrarunt (in captivitatem) eo quod servissent idolis. — Quid a veteribus pro textu hodierno lectum sit, inde restitui coniectura potest; pro אוֹ נָשִׂישׂ LXX fortasse legerunt, ut *C.* coniicit לְאַנְשָׁה; *Sym.* certe legit אוֹ נָסוּם; *Theod.* legisse videtur verbum נשׂא (*Hald.*) : מְנַשֵּׂיא?

Multi quoque sunt recentiorum conatus ad textum sanandum et explicandum; *Ges.* : contra principem אל נשׂיא tribus filii mei quae spernit omne lignum i. e. virgam qua hucusque punita est; *Haevernick* : vel eritne eminens (exaltatum, arrogans אוֹ נִסִּים; cf. Zach. 9,16) sceptrum filii mei, spernens omne lignum? Alii voci נשׂישׂ vindicant notionem *virgae* : o virga, sceptrum filii mei, gladius spernit omne lignum (*Schnurrer*); *Ewald* vocem ex aram. explicat : non *debilis* virga filii mei, tenerrimum lignum (מאסה a מסס); *Hitz.* ex arabico : vel num *regemus* (dirigemus, ducemus) eam quae virgam spernit, omne lignum contemnit; instituit scil. comparationem cum vacca lasciviente, uti Os. 4,16; simul *Hitz.* ex LXX sibi verbum בזה deprompsit pro בני. *Wellhausen* prope ad Ewald accedit : non debilis est virga, non (בלי pro בני) contempta inter omne lignum. *Sm.* : vae princeps אוי נשׂיא baculum sprevisti, contempsisti omne lignum. *C.* ex textu graeco coniicit ita vatem scripsisse לאנשׁי שׁחט ובז מואסי כל עז (gladius tersus est) pro hominibus qui trucidant et praedantur qui contemnunt omne robur; tali scil. hosti tradi gladium a Domino v. 11. Ad tantam varietatem adhuc noto iam ante *Ewald* et *Wellhausen* ad aram. נשׁשׁ *debilitare* confugisse *Houbigantium* qui legendum proponit ותנשׁישׁ *et deiiciet* gladius sceptrum filii mei. Sensum quem *Houbigantius* effert bene esse ad contextum patet; postquam dictum est gladium esse acutum et fulgere ut caedat victimas, additur : ut deiiciat vel conterat sceptrum Iuda et spernat omne aliud regnum. Redit ergo eius interpretatio ad eam quam de sensu dedit *S. Hier.*; in versione *S. Hier.* id offensioni est quod sermo subito ad secundam personam, ad alloquendum gladium delabitur, quae loquendi forma neque ad v. 9 neque ad v. 10 neque ad v. 11 apte convenit.

Non sine verborum gravitate denuo monet gladium optime esse praeparatum et a Deo dari in manum percussoris v. 11 « *et dedi eum ad levigandum, ut teneatur manu; iste exacutus est gladius et iste limatus est, ut sit in manu interficientis* »; — hebr. explicari potest :

et datus est ad poliendum. Et qualem stragem hostis percussor tali gladio a Domino instructus sit editurus, depingitur lamentationis praecepto v. 12 « *clama et ulula fili hominis, quia hic factus est in populo meo, hic in cunctis ducibus Israel qui fugerant; gladio traditi sunt cum populo meo, idcirco plaude super femur* »! — i. e. lamentare vehementer quia gladius iste destinatus est et impendet populo et ducibus; sunt enim omnes gladio traditi, proiecti ad gladium; illud *qui fugerant* non adest in hebr., neque in commentario *S. Hier.* illud respicitur, quamvis in versione eius adsit : « hic gladius nulli pepercit; factus est in populo, factus est in ducibus Israel, factus in hospitibus meis ac sacerdotibus qui habitabant in templo meo ». Femur percutere habitus est plangentis et vehementer dolentis (Ier. 31,19). Hunc habitum assumere iubetur v. 13 « *quia probatus est, et hoc cum sceptrum subverterit et non erit, dicit Dominus Deus* »; — « hic enim gladius probatus est mihi et hoc cum sceptrum meum regnumque subverterit, quod ultra non erit et in Sedecia rege finietur » (*S. Hier.*); gladius ille iam caedibus probatus et ostensus est exacutus. vel Deo probatus est et gratus ad regnum Iuda succidendum.

Etiam hic textus hebr. simili subiacet difficultati, sicut v. 10 praesertim propter שֵׁבֶט מֹאֶסֶת; vertunt aliqui : experimentum factum est; quid si sceptrum contemnens non erit? i. e. si sceptrum Iuda vim illam quam ei putatis insitam non exseret? Sed adest idem incommodum quod supra; שֵׁבֶט non est femin.; dein ipsa haec locutio esset nimis abrupta. Melius congruit quod *Mald. Calm. Currey* in medium proferunt : quid vero dices, ubi ensis ita sceptrum comminuat, ut prorsus esse desinat? LXX versum hoc modo exhibent ὅτι δεδικαίωται, καὶ τί εἰ καὶ φυλὴ ἀπωσθῇ; et similiter *Syrus*; בחן *Aq.* vertit ἠρεύνησεν, *Sym.* tamquam substantivum : ἡ δοκιμασία uti ex cod. syr. hexapl. colligitur (*Field* ad h. l.). *Chald.* hanc proponit paraphrasin : quia prophetaverunt ad eos prophetae et non sunt conversi et quid erit in fine eorum, dic ! Ex hoc *conversi non sunt C.* textum ita emendat ומה אם גם שבו מטמאתם nam in benignitate בֹּחַן quid? i. e. quid efficerem si uterer benignitate? num conversi sunt ab immunditia sua? non erit (gratia, benignitas). Textus ita lectus satis prope accedit ad consonantes traditas. Mentione haud indigna videtur coniectura *Houbigantii*; monet חרב esse femin.; interrogationem praeposteram esse postquam dictum sit *percute femur*; per interrogationem enim rem quodammodo in dubium adduci quae tamen demonstretur ut certa, cum dicatur *percute femur*; unde emendat כי בחונה ואם : quia probatus est (gladius) et cum excusserit (gladius) sceptrum, sceptrum regium iam non erit.

Gladio illo ingens edetur vastatio, quae alia dicendi figura describitur v. 14 « *tu ergo fili hominis propheta et percute manu ad manum et duplicetur gladius ac triplicetur gladius interfectorum, hic est gladius occisionis magnae qui obstupescere eos facit* v. 15 *et corde tabe-*

scere et multiplicat ruinas; in omnibus portis eorum dedi conturbationem gladii acuti et limati ad fulgendum, amicti ad caedem »; — annuntiationi addere iubetur complosionem manuum ad vehementiam stuporis et doloris declarandam (*S. Hier. Prad. Mald. Mar. Lap. Calm.*) et attentionem excitandam, ut non solum verbis sed gestibus quoque vaticinetur : gladius multiplicetur tripliciter ad magnam cladem demonstrandam. ut exprimatur quomodo in omnem partem caedat et ingentem stragem edat, quomodo eos undique *circumdet* vel obsideat (hebr. חדר; *S. Hier.* legit litteris transpositis חרד; *Mar. Lap.;* quam lectionem etiam sequuntur LXX, *Syr. Aq. Chald.; Sym.* autem hebr. exprimere videtur). Haec gladii multiplicatio in v. 15 eo quoque declaratur quod Deus, ut cor tabescat vel liquefiat et ruinae, offendicula multiplicentur, contra omnes eorum portas posuit gladium micantem (? hebr.) : *heu, factus est ad fulgurandum, eductus ad caedendum* (hebr.).

In hebr. v. 15 legitur ἁπ. λεγ. אִבְחַת; LXX habent εἰς σφάγια, unde legisse videntur לטבחת (*Schleusner*, V p. 237); *Sym.* ex syr. hex. vertisse videtur δόκιμον. *S. Hier.* vocem refert ad conturbationem; recentiores explicant de gladio coruscante vel secundum Gen. 3,24. Aliam viam init *Delitzsch*, Prolegomena p. 74; verbum enim אבח saepius ait inveniri in assyriaco notione immolandi vel torquendi; et assyriacum *abachu* esse synonymum ad tabachu; unde אבח esse eiusdem notionis atque טבח, et versionem LXX optime intelligi (idem apud *Baer*, p. X). Quod *S. Hier.* habet : gladii *acuti*, hebr. legitur אָח, LXX εὖ, *Sym.* ὀξεῖα, *Chald.* heu; alii legi debere censent אך (*Hitz. Sm.*). *C.* textum emendat hunc in modum : traditi sunt tamquam victima gladio acuto נתנו לטבחת חרב חדה.

Demum Deus ipsum alloquitur gladium eumque quaquaversus stragem edere iubet; immo eius vastationi Deus applaudit v. 16 « *exacuere, vade ad dexteram sive ad sinistram, quocumque faciei tuae est appetitus!* v. 17 *quin et ego plaudam manu ad manum et implebo indignationem meam; ego Dominus locutus sum* »; — quocumque *acies* tuae sunt directae vel destinatae! « ego plaudam manu ad manum, ut saevientem te contra adversarios meos quasi fautor tuus et exhortator instigem » (*S. Hier.*). Notionem *acuendi* etiam LXX exprimunt eaque erit retinenda etiam pro hebr.; quod alii vertunt : unitor, vel collige te, minus congruit; adhortatio in id potius ferri censenda est, ut gladius aciem suam quam optime adhibeat et omni vi et conatu caedat. Est gladius ex utraque parte acutus, unde in utramque partem ut caedat admonetur. Legitur in aliquibus codd. התאחרי converte te retro, ita ut si השימי verti posset : verte te in directum, quattuor exprimerentur partes, in quas acies gladii sit dirigenda. Quidquid interpretaris, summa quaedam et exitialis clades denuntiatur.

d) Gladius Domini per regem Babylonis 21, 18-32.

Cuius sit gladius ille vel per quem Dominus comminationem suam opere sit completurus declaratur actione haud absimili illi cap. 4; v. 18 « *Et factus est sermo Domini ad me dicens :* v. 19 *et tu fili hominis pone tibi duas vias, ut veniat gladius regis Babylonis; de terra una egredientur ambae, et manu capiet coniecturam, in capite viae civitatis coniiciet* »; — i. e. describe tibi et designa duas vias, per quas gladius regis venire possit; de una terra egrediantur ambae et *exscinde manum* i. e. signum positum quo via ducat, *in initio viae urbis exscinde* vel designa, ibi ubi via qua ad urbem pervenitur incipit, ibi efforma eiusmodi signum quod sit dux et index viae. Ita in textu hebr., quocum etiam graecus satis consentit καὶ χεὶρ ἐν ἀρχῇ ὁδοῦ πόλεως, ἐπ' ἀρχῆς ὁδοῦ διατάξεις. Idque sequentibus declaratur v. 20 « *viam pones ut veniat gladius ad Rabbath filiorum Ammon et ad Iudam in Ierusalem munitissimam* »; — duae ergo viae designantur, quarum altera ad urbem praecipuam Ammonitarum, altera ad urbem munitam Ierusalem pervenitur; in initio *utriusque* viae signum est ponendum quo indicatur quo via ducat; unde bene habet *Sym.* ὁδοῦ ἑκάστης πόλεως v. 19. Utraque via designatur quia per utramque viam gladius venire debeat et ad urbem Ammonitarum et ad Ierusalem; quaestio solum est, ad utram prior venire debeat. Rabbath Ammon, urbs *magna* Ammonitarum, a Iordane orientem versus, ab Hesebon septemtrionem versus, prope superiorem fluvium vel torrentem Iaboc sita erat (cf. 2 Reg. 12,26).

Quid haec delineatio sibi velit iam declaratur v. 21 « *stetit enim rex Babylonis in bivio, in capite duarum viarum, divinationem quaerens, commiscens sagittas; interrogavit idola, exta consuluit* »; — ubi scil. rex ad bivium, ad divortium duarum viarum pervenit, incertus haeret, utra via sit eligenda. Quare consistens auspicium instituit : commiscet sagittas, interrogat theraphim, inspicit iecur (hebr.). Ad rem notat *S. Hier.* : « stabit rex in ipso compito et ritu gentis suae oraculum consulet, ut mittat sagittas suas in pharetram et commisceat eas inscriptas sive signatas nominibus singulorum, ut videat cuius sagitta exeat et quam prius civitatem debeat oppugnare; hanc autem Graeci βελομαντίαν sive ῥαβδομαντίαν nominant ». De theraphim vide ad Os. 3,4. Iecur victimae inspiciebatur, ut ex eo augurium de rei successu et eventu caperetur, qui divinandi modus (extispicium) longe lateque invaluit; cf. *Scholz*, Goetzendienst, p. 76.

Auguriis via indicabatur Ierusalem versus v. 22 « *ad dexteram eius*

facta est divinatio super Ierusalem, ut ponat arietes, ut aperiat os in caede, ut elevet vocem in ululatu, ut ponat arietes contra portas, ut comportet aggerem, ut aedificet munitiones »; — sors cecidit ad urbem Ierusalem oppugnandam; *aperire os* i. e. clamorem proelii attollere, fremitum exsultantis et ululantis exercitus concitare (*S. Hier.*); de voce דָּיֵק vide ad 4,2; 17,17. LXX habent aperire os ἐν βοῇ, *Syrus* in potentia; de voce hebr. רֶצַח quae proprie significat *contritionem* vel confractionem iam dubitavit *Houbigantius* qui בצרח legendum emendatione facillima proponit; atque revera Is. 42,13 vox haec de clamore bellico adhibetur. *C.* ברנה substituit. — Dein falsam depingit Iudaeorum securitatem et fiduciam ostendens quam parum sibi persuaserint fieri posse, ut Ierusalem expugnaretur; id quod apte ad antecedentia ita describitur, ut sors illa et divinatio iis visa sit omnino fallax et eventu destituta v. 23 « *eritque quasi consulens frustra oraculum in oculis eorum et sabbatorum otium imitans; ipse autem recordabitur iniquitatis ad capiendum* »; — « hoc, inquit, faciens videbitur habitatoribus Ierusalem oraculum frustra consulere et quasi sabbatorum otium terere, ludere videlicet et nihil operis perpetrare » (*S. Hier.*). Ille autem e contra memor iuramenti a Sedecia violati veniet ad capiendam urbem; ita *iniquitatem* intelligunt *Prad.* qui addit : « nobiscum sensere Polychronius et scholiastes qui iniquitatem vel iniustitiam, quod vertunt LXX, appellant Sedeciae periurium », *Mald. Mar. Sa, Lap. Men. Tir. Calm. Loch.* Hebr. ille *in memoriam revocabit* iniquitatem.

Ubi *S. Hier.* habet : et quasi sabbatorum otium imitans, in hebr. legitur להם שְׁבעֵי שׁבעות quae verba a LXX et *Syro* non exprimuntur, leguntur autem apud *Theodotionem, Sym. Aq. Theodoretum*, in recensione Luciani et alibi (cf. *Field, C.*). Sed varia verborum fertur expositio. Graeci vertunt generatim hebdomadas; sed varie : ἑβδομάζοντες ἑβδομάδας αὐτοῖς (Theodotio, Theodoretus) *Aq. Sym.* septem hebdomades eis; in cod. syr. hexapl. καὶ ἑβδομάσει ἑβδομάδας αὐτοῖς. Hisce accedit quoque *Chald.* qui e verbis illis eruit quadraginta et novem vicibus (7 × 7!) auguria esse observata et responsum idem datum. Etiam recentiores aliqui vertunt : hebdomades hebdomadarum eis i. e. censent multum superesse tempus donec rex Babylonis venturus sit (*Ewald, Sm.*). Sed communiter in vocibus *iuramenta* exprimi censent, quamvis ii quoque non uno modo vertant : iurantes iuramenta eis, vel : iuramenta iuramentorum eis, quod ultimum generatim praeferunt (cf. *Prad. Mald. Mar. Lap. Calm. Loch, Troch. Schr. Keil*). Neque tamen una ratione explicant. Aliqui enim sollemnes Dei promissiones intelligunt quibus perperam confidant (*Lap. Troch.*), alii foedus initum cum Chaldaeis, quare a Chaldaeis nihil sit timendum (*Mald. Mar.*); potius illa explica iuramenta quibus fidem se servaturos esse Chaldaeis iuraverant et quae foedere cum Aegyptiis inito et rebellione facta violarunt 17,18, quam iniquitatem iis rex Babylonis (non Deus, *Troch. Keil*) in memoriam revocat.

Cum igitur peccatis sine ullo pudore commissis iniquitatem suam omnibus manifestent, necesse est ut divino iudicio coerceantur et demum respublica tot flagitiis onerata corruat v. 24 « *idcirco haec dicit Dominus Deus : pro eo quod recordati estis iniquitatis vestrae et revelastis praevaricationes vestras, et apparuerunt peccata vestra in omnibus cogitationibus vestris, pro eo, inquam, quod recordati estis, manu capiemini* » ; — hebr. *quia iniquitatem vestram in memoriam revocatis eo quod palam fiunt praevaricationes vestrae, dum apparent peccata vestra in omnibus vestris facinoribus* (*quia in memoriam reducimini*), *manu capiemini;* etiam *S. Hier.* bis vertit : pro eo quod in memoriam revocastis iniquitates vestras, et ita erit etiam in hebr. secundo loco legendum, ut scil. sit emphatica repetitio, sicuti revera legunt LXX, *S. Hier. Chald.;* manu capi i. e. in hostium potestatem tradi. Probrum autem periurii quam maxime adest in Sedecia rege, quia sese iuramentis obstrinxerat ad fidem servandam et quia ad eam submissionem etiam ex Domini mandato per Ieremiam saepius admonitus erat. Unde in eum qui sua perfidia ultimum excidium urbi et regno affert sermo dirigitur v. 25 « *tu autem profane, impie dux Israel, cuius venit dies in tempore iniquitatis praefinita* »! — hebr. *cuius dies venit tempore iniquitatis finis* i. e. tempore quo iniquitas tua per supplicium finienda est (*Mald. Mar.*) vel quo iniquitas tua erit causa finis vel interitus (*Vat. Troch. Keil*); ita scil. *finis* legitur 7,2. 3; a qua notione longius abest aliorum acceptio : tempore quo iniquitas tua ad cumulum vel fastigium pervenit (*Prad. Lap. Calm.*); cum peccatum et poena peccati arcte inter se iungantur, alii accipiunt de tempore *poenae* qua regno demum finis et interitus obvenit (*Loch, Sm.*). Ipsa allocutio regem omni dignitate theocratica maxime indignum declarat. Vocatur *profanus, Sym.* LXX βέβηλε, *Syrus* ܡܛܢܦܐ immunde, impure, quae notio etiam pro hebr. חָלָל retinenda est, ut scil. impietate sua dicatur profanatus, sacra dignitate regis theocratici qui sedet in solio Iahve super Israel spoliatus et exutus et abiectus a Deo; de notione cf. Lev. 21,7. 14; alii explicant : transfossus vel morti obnoxius, uti iam *Chald. Vat. Prad. Mar. Calm. Keil, Sm.* et comparant v. 14 (19 hebr. et 34). Sed cum finis eius et supplicium in ultimo membro enuntietur, cum insuper Sedecias morte vel transfixione perfidiam suam non luerit, prior explicatio cum veteribus versionibus, *Lap. C.* erit praeferenda. Cur autem sit profanus vel pollutus, ratio additur *impie dux* Israel, cf. 12,10; cum enim rex sederet in throno regni Iahve vel in solio Domini (1 Par. 28,5; 29,23) et proinde quam maxime Dei causam agere et promovere deberet, patet quantopere impietate et sceleribus se indignum reddat qui sit dux Israel, populi sancti Dei, cui nomen

est a pietate et obedientia et desiderio divinae benedictionis patriarchae Iacob (Gen. 32,28. Os. 12,4).

Impietate demum efficitur, ut regnum iudaicum corruat; haec est enim Dei sententia v. 26 « *haec dicit Dominus Deus : aufer cidarim, tolle coronam; nonne haec est quae humilem sublevavit et sublimem humiliavit* »? — in hebr. leguntur infinitivi : auferre cidarim, tollere coronam, quibus tamen stricte praecipitur, ut regia haec insignia auferantur, ut iis rex spolietur vel ut ipse Dominus censeatur dicere : auferam, tollam (*Chald. Prad. Mald. Vat. Sm.*). Utroque nomine, cidari et corona, vel diademate et corona intelligitur dignitas regia, insignibus illis declarata. Ita plerique (*Prad. Pint. Mald. Mar. Lap. Men. Tir. Calm. Loch, Troch. Sm.*) et merito; nam ad unum ducem Israel sermo dirigitur et *Prad.* recte monet נָשִׂיא nunquam de sacerdote dici, neque sacerdotium cessavit, cessavit vero regia potestas. Cidarim alii tamen de tiara sacerdotali quo sensu vox saepius in Pentateucho legitur capiunt; ita iam *S. Ephr. Theod. S. Hier. Vat. Sa, Keil,* et in paraphrasi chaldaica. At vox cognata de diademate regio adhibetur Is. 62,3 et hoc nostro loco etiam ex v. 27 colligitur, de una solum dignitate et de uno insigni esse sermonem. Neque dici potest cum *S. Hier.* propter Sedeciam sacerdotium quoque interiisse. Nam ex v. 27 haec dignitas iacet prostrata et plane sepulta, donec is venturus est, ad quem titulo iuris pertinet; id quod de regia dignitate verum est quae non revixit nisi in rege Messia, cui Deus dedit thronum patris eius David (Luc. 1, 32), minime autem de sacerdotali; pontifices enim et sacerdotes exstiterunt usque ad Messiam. — Altera versus pars ita in hebr. *hoc non hoc; humile evehere et excelsum deiicere* i. e. eveham, deiiciam, ut norma Dei promulgetur (cf. *Prad. Vat. Mald.*). *Hoc* i. e. res ea quae per cidarim et corona signata est, regnum vel is rerum status iam *non* erit *hoc* quod eousque fuit; ergo mutatio declaratur : quae nunc est rerum conditio non manebit. Pro futuro autem norma assignatur, qua simul praesens illa mutatio explicatur : humile evehendum est, sublime vel superbum deprimendum. Voluit scil. rex theocraticus esse sicut alii reges nationum, uti in parabola 19,2. 3. 6 describitur; talem fastum et pompam Dominus deiiciet, sicut iam multis oraculis portenderat (Is. 2,12 seq. Ier. 9,24. Am. 9,11. Mich. 5,10). Humile vero erit exaltandum : regnum messianicum ex parvis initiis orietur, uti iam 17,22 ramo tenero indicatur, quem Dominus a cedro distringit et quem servat, ut tandem suo tempore erumpat in germen et faciat fructum et sit in cedrum magnam; eundem ortum regni messianici et ipsius Messiae clare etiam indicat Isaias 11,1. Am. 9,11. Mich. 5,1.

Iterum annuntiat vates interitum dignitatis regiae, sed ita ut iam

clarius ostendat eam reponi a Deo et servari regi qui ex promissione olim Iacobo patriarchae facta ius habet regni et sceptri aeterni v. 27 « *iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam; et hoc non factum est, donec veniret cuius est iudicium et tradam ei* » ; — hebr. *eversionem, eversionem, eversionem ponam illud; etiam hoc non est, donec venit cui est ius* (*debitum*) *et dabo illud;* i. e. in ruinas redigam illud, regnum destruam; et regnum hoc iam non consistit, interiit, donec veniat is qui regni eius habet ius, cui regnum debetur; ei Dominus regnum dabit. Clarior et simplicior est textus LXX : οὐαὶ αὐτῇ. τοιαύτη ἔσται ἕως οὗ ἔλθῃ ᾧ καθήκει i. e. talis erit regni scil. prostratio et ruina, donec venturus sit; in hebr. *etiam hoc non est* considerari debet tamquam iterata assertio regni ruinae; textus est facilior si *non* cum LXX et *Syro* omittitur; *C.* textum hebr. secundum LXX corrigit : vae ei, sic erit, donec... In ultima parte Ezechielem celebre illud oraculum Gen. 49,10 ob oculos habere, ipsis verbis suadetur et a plerisque explicite agnoscitur (cf. *S. Hier. Theod. Vat. Pint. Calm. Troch. Schr. Keil, Sm.*); unde sensus planus est : nullus in posterum ex genere davidico sceptrum feret usque ad Christum qui vere est rex et per quem promissio de throno aeterno facta Davidi complebitur. Ita explicatur parabola 17,22 proposita; regni splendor et dignitas iam non apparet; at promissio manet intacta; fit quod Deus iam praedixerat Davidi 2 Reg. 7,14 seq.; promissio scil. de throno aeterno est absoluta; hanc sollemni modo Deus promittit se non ablaturum; sed qua via ad illam perveniendum sit, relinquit libero arbitrio regum davidicorum; unde Davidi de iis praedicitur eos iri punitum si inique se gesserint. Haec iniquitas iam ad culmen pervenit; unde in eius poenam dignitas regia iacet prostrata; at quia promissio illa de throno aeterno est absoluta, manet solum prostrata donec veniat Messias. Messias iam in aliis oraculis ante Ezechielem clarissime tamquam rex et dominator designatus est : ita iam Gen. 49,10 ut talis cui erit obedientia gentium (hebr.), ita Is. 11,4. Os. 3,5. Mich. 5,2. Ier. 23,5; 33,15; praeterea Ps. 2. 71. 109 etc.; quare cui sit regni ius et cui Deus illud sit daturus, ex serie oraculorum nullo modo dubium esse potest.

Quare de Messia etiam longe plerique explicant; cf. *S. Ephr. Hier. Theod. Vat. Pint. Prad. Tir. Mar. Lap. Gord. Calm. Loch, Troch. Keil, Sm.* etc.; solum *Mald. Sa, Men.* explicant : paulatim hactenus coronam afflixi tempore Ioakim, Iechoniae, Sedeciae, sed non est penitus auferenda, donec veniat Nabuchodonosor, cui ego iudicium tradidi, quem iudicii mei et ultionis administrum feci. At haec explicatio iam ex antecedentibus excluditur. Nam in v. 25. 26 Sedecias et cum eo dignitas regia iam abiicitur; unde improbabile est in v. 27 illam de Sedecia reprobationem limitari; neque ver-

bum hebr. עַוָּה afflictionem dicit quae paulatim fiat, ita ut ad tres reges referri possit, sed sermo est non de singulis regibus, sed de regno, cui eversio et ruina denuntiatur. Deinde duo adsunt membra in v. 26 : humile sublevare, sublime deiicere. Iam *duo* haec membra in v. 27 forma chiastica explanantur : eversione id deiicitur quod sublime erat; restitutione iuris id erigitur quod humile erat. Quare hac solum acceptione utraque sententia et uterque versus apte inter se cohaeret et respondet. Praeterea de rege Babylonis dici nequit eum habere ius vel iudicium et ideo ei dari a Deo. Is est enim sensus verborum obvius ut *adesse ius* et inesse ei iam supponatur antequam ei de facto a Domino detur. Id facile habetur in Messia, cuius est ius ex antiquis promissis antequam ei regnum de facto confertur. Sed unde regi Babylonis inest ius ultionis nomine Dei exercendae vel iudicii in theocratiam perficiendi, antequam ei detur? in eo is solum ordo concipi potest, ut ius ei detur et tum demum eius sit. Igitur quomodocumque *iudicium* concipitur, vel ius, vel ultio exercenda, vel recta rerum ad normam divinam institutio divinitus mandata, perperam dicitur de rege Babylonis; aptissime autem de Messia, qui ut rex iustitiam quoque et iudicium restituere dicitur Ier. 23,5. Ps. 71 etc.

Sententia גַּם־זֹאת לֹא הָיָה varie explicatur. Alii acceperunt : tale quid adhuc factum non est, vel : etiam haec (corona) nihil factum erit vel ad nihilum redigetur. *S. Hier.* vertit : et hoc non fiet, et sic pro tempore futuro plerique capiunt v. g. *Mar.* : etiam haec non erit i. e. nullus eam suo capiti imponet coronam, donec veniat Christus, cui servatur regnum; sim. etiam *S. Hier.* intelligit, cum scribat : « qui postea usque ad adventum Christi reges fuerunt, frustra sibi hoc voluerunt vindicare, cum regnum eis non deberetur post Sedeciam, sed illi cui repositum erat » atque *Theod.* : « non tamen penitus exstinguam regiae cognationis scintillam, donec venerit ad quem attinet cuique convenit et ipsi tradam regnum ». Alii, uti *Theod.* iam innuit, *non fiet* ita explicant, ut non omnino deiiciatur corona, donec veniat cui est ius ad regnum (*Lap. Men. Vat.*) vel prout *Prad. Tir.* concipiunt : ultimus et completus regni iudaici casus dilatus est, donec veniat ille ad quem de iure illud pertinet regnum; *Prad.* et *Tir.* igitur regnum iudaicum tum plane interire dicunt, quando venit Messias. Id quidem dici potest; at in verbis prophetae *duplex* regnum non distinguitur, sed *unum* consideratur regnum, quod nunc evertitur, donec veniat cui est ius, cui Dominus illud dabit. Atque haec explanatio de *uno* regno concordat non solum cum 17,22, sed etiam cum Gen. 49,10 : nam si sceptrum *non* aufertur donec ille venit qui in aeternum regnabit, nunquam auferetur et idem habes in throno *aeterno* Davidi promisso. Alii demum verba illa referunt ad conditionem eversionis : etiam haec eversio non durabit, et ea tamquam parenthesi includunt, ita ut *donec veniat* ad prius membrum redigatur : eversionem ponam (etiam haec non manebit stabilis), donec veniat (cf. *Reinke*, *Troch. Keil*). Alii textum hebr. mutant, uti *Hitz. C.*; quod *Hitz.* affert plane est arbitrarie excogitatum : et etiam signum non erit i. e. iam non erit prophetia; *C.* autem secundum LXX scribit : אוי לה כזאת תהיה.

Regi Babylonis e sua terra egredienti duae offerebantur viae v. 19; per utram prius esset ingrediendum sorte didicit, versus Ierusalem scil.; ea urbe expugnata ipse divisionis ordo poscebat, quid de sinistra via factum esset (*S. Hier. Prad.*). Unde adnectitur oraculum contra Ammonitas, quibus simul exprobrari oportet quod irrisione et blasphemiis populum Dei lacessant (Soph. 2,8. Ez. 25,6. *Mald. Mar. Lap. Calm.*). Quare v. 28 « *et tu fili hominis propheta et dic : haec dicit Dominus Deus ad filios Ammon et ad opprobrium eorum, et dices : mucro, mucro, evagina te ad occidendum, lima te ut interficias et fulgeas* »! — ad opprobrium quo populum Dei irrident propter cladem a rege Babylonis inflictam; hebr. *mucro eductus ad caedendum, exacutus ad interficiendum!* Notat *Prad.* : « librariorum errore ex casibus vocativis evaginate, limate facti sunt modi imperativi; errorem detegunt codices hebr. et graeci et *S. Hier.* qui suam versionem sic explanat : o mucro qui paratus es ad caedem, qui limatus, ut fulgeas et interficias ». Talis gladius eductus est adversus Ammonitas, qui eo interficientur, quamvis divinatores faustissima quaeque vaticinentur v. 29 « *cum tibi viderentur vana et divinarentur mendacia, ut dareris super colla vulneratorum impiorum, quorum venit dies in tempore iniquitatis praefinita* »; — i. e. dum harioli tibi vana et inania praedicunt, gladius iam paratus est, ut tu quoque prosternaris et ad cumulum addaris impiorum qui iam gladio transfossi poenas iniquitatis dederunt; de ultimo membro vide ad v. 25.

In v. 28 לְהָכִיל veteres versiones ex כלה interpretantur; LXX εἰς συντέλειαν, sim. *Chald.*, ad interficiendum *S. Hier.*; recentiores aliqui scribi censent pro האכיל ad devorandum; alii a כול ad sufficiendum, ut scil. quam optime sit exacutus, vel ut sufficiat ad multos occidendos (*Vat. Lap. Ewald*). Cum syncope τοῦ א quandoque inveniatur (cf. 2 Sam. 19,14;20,9. Is. 13,26) explicatio a *Keil* aliisque proposita potest admitti. *C.* legi vult לההל ad splendendum. In v. 29 mirum est, cur *super colla* vulneratorum gladio sint prosternendi, vel cur gladius eos *dare* debeat *ad colla* occisorum; an quia sint corpora decollatorum? vel quia collis vel gutture sint transfixi? *Hitz. C.* scribunt אותה dare gladium *ad colla*; qui interpretandi modus admitti potest, si חלל explicatur eadem ratione qua in v. 25 : ad colla pollutorum scelere et impietate.

Cum talia divinitus statuantur contra Ammonitas, frustra cladem avertere tentant; immo iubet eos Deus sui defensionem omittere v. 30 « *revertere ad vaginam tuam, in loco in quo creatus es, in terra nativitatis tuae iudicabo te* »! — hebr. *reduc* (gladium) *in vaginam suam;* prohibentur ne defensionem parent; ab incepta iubentur absistere; in sua ipsorum terra quam ab antiquissimo tempore possederunt, quae

igitur tuta habitatio esse videtur, iudicium Dei in se experientur. Haec dicuntur, ut *S. Ephr.* notat, ne in regione patria fiduciam ponant; nam « forti praesidio tenebantur termini Ammonitarum » (Num. 21, 24). Cladem a Domino iri inflictum qui gladio regis Babylonis ut instrumento utatur, propheta docet belli eventus dimetiens ex causa altissima. Quare incendium belli ignis est divini furoris v. 31 « *et effundam super te indignationem meam; in igne furoris mei sufflabo in te daboque te in manus hominum insipientium et fabricantium interitum* »; — hebr. explica : ignem furoris mei sufflabo in te (cf. Is. 54, 16) i. e. « furorem meum quasi sufflando magis magisque accendam in te » (*Lap. Mald. Mar.*). Demum terror augetur descripta hostium feritate, crudelitate, qui in id unum omnes nervos intendunt ut feroci bestiarum indole — cf. בער Ps. 92,7; 94,8. Ier. 10,8. 14. 21 — perditionem et interitum fabricentur; fabri sunt exitii (hebr.), qui in caedibus faciendis versati peritique sunt (*Mald.*); mentio *fabri* ex Is. 54, 16 derivanda videtur. Extrema pernicies alia dictione declaratur v. 32 « *igni eris cibus, sanguis tuus erit in medio terrae, oblivioni traderis, quia ego Dominus locutus sum* »; — igne enim destructio efficitur quam maxima, celerrima, horrore plena; sanguine profuso vita exstinguitur; unde si sanguis populi media in eius regione esse dicitur, vita populi exstincta esse pariter affirmatur. Aliis addere placet : sub dio, publice, audacter trucidaberis neque ullus comparebit amicorum qui sanguinem et cadaver colligat, sepeliat, plangat; vel : sanguis tuus absorbebitur a terra, erit in media terra obtecta, ut nemo exsurgat qui necem tuam ulciscatur; vide 24,7 et Iob 16,18 : terra, ne operias sanguinem meum (cf. *Prad. Pint. Lap. Tir. Sm.*). Demum omnis memoria gloriae et nominis interibit.

Plerique interpretes v. 30 seq. non de Ammonitis accipiunt, sed ipsis Babyloniis interitum praedici censent; ita iam *S. Hier. Theod.* etc. et etiam e recentioribus haud pauci. Censent scil. in v. 30 sermonem fieri ad eundem gladium, de quo in v. 28. Sed cum oraculum hoc inscribatur : haec dicit Dominus ad filios Ammon et eadem formula concludatur : quia ego Dominus locutus sum, totum ad Ammonitas referendum erit. Esset enim prorsus mirum, si post illam inscriptionem maior oraculi pars tamen non ad Ammonitas pertineret. Sensus qui in v. 30 adest, ut scil. Ammonitae iubeantur referre gladium in suam vaginam, aptus est et obvius; per se enim concipitur eos aliquam sui defensionem esse molituros; unde ea prohibitio facile fluit, quae deinceps iterata assertione fulcitur; haec enim uberior ruinae a v. 30 descriptio et affirmatio apte adnectitur, ut quam inani ratione defensio suscipiatur ad oculum demonstretur. Cur autem longius oraculum

subito inferatur contra Chaldaeos, nulla inscriptione praemissa, nulla iis facta allocutione, verbulo ad solos Babylonios designandos adiecto nullo, haud facile explicaveris. Unde cum *S. Ephr.* cuncta de Ammonitis enuntiari censendum erit.

e) **Quam necessario poena inferatur 22, 1-16.**

In antecedentibus duplici parabola vates delineavit qua via iudicium Dei populo immineat. Iam ulterius ostendit quam iustum ac necessarium sit eiusmodi iudicium; iustum est propter tot ac tanta populi scelera; inde necessitas quoque elucet, quia populus ita flagitiis maculatus non poterit salutem recipere, nisi Deus fontem et originem peccatorum sua castigatione sustulerit. Quare vates denuo iubetur iis causas malorum, peccata, proponere et acri reprehensione in memoriam revocare v. 1 « *Et factum est verbum Domini ad me dicens :* v. 2 *et tu fili hominis nonne iudicas, nonne iudicas civitatem sanguinum* »! — i. e. redargue, increpa, expostula cum illa (*Prad.*); civitatem vocat sanguinum, ut quae multas caedes iniustas fecerit (*Theod.*); ex uno et gravissimo iniustitiae genere reliqua disce; vide Is. 1,15; 59,3. Ier. 2,30. 4 Reg. 22,16. Duo arguuntur quibus omnia facinora comprehenduntur : summa in homines iniustitia et maxima Deo illata iniuria, peccata igitur in Deum et homines, contra utramque decalogi tabulam; v. 3 « *et ostendes ei omnes abominationes suas et dices : haec dicit Dominus Deus : civitas effundens sanguinem in medio sui, ut veniat tempus eius, et quae fecit idola contra semetipsam ut pollueretur* »! — iura gravissime violantur palam et audacter (*Prad.*); quare tempus ultionis constitutum sibi ipsi attrahunt. Pariter se maculant spurcitiis idolorum; has maculas sedulo sibi inurunt conficiendis erigendisque idolis intenti. Hisce autem foedus cum Deo initum turpiter resciderunt. Quare poena eis annuntiatur sceleribus consentanea v. 4 « *in sanguine tuo qui a te effusus est deliquisti, et in idolis tuis quae fecisti polluta es et appropinquare fecisti dies tuos et adduxisti tempus annorum tuorum, propterea dedi te opprobrium gentibus et irrisionem universis terris;* v. 5 *quae iuxta sunt et quae procul a te triumphabunt de te, sordida, nobilis, grandis interitu* »! — i. e. sanguine effuso te obnoxium et reum fecisti et propter idola te reddidisti immundum; ita dies ultionis et annos suppliciorum sibi adduxerunt; iam enim instat tempus quo minae dudum propositae implebuntur, minae scil. de opprobrio et ruina cf. Deut. 29, 23 seq. Ier. 18,16; 19,8 etc. Tam vicinae quam remotae gentes civitatem Ierusalem irrisione et dicteriis proscindent utpote quae sit *sordida nomine* hebr. i. e. urbs male famosa, malae fa-

mae, nomen habens flagitiis notum ac maculatum; ergo nobilis scelere et *plena conturbatione,* tumultu, insania (uti Am. 3,9 *S. Hier.* vocem hebr. vertit) i. e. corruptione morum et perturbatione qua iura omnia evertuntur. *S. Hier.* suam versionem ita declarat: « sordida, quia munda esse desisti; nobilis in malo, quae quondam in bono cunctas urbes nobilitate superasti; grandis interitu, ut quanto sublimior eras, tanto fortius rueres ».

Ab accusatione generali iniustitiae et idololatriae ad increpationem magis particularem descendit v. 6 « *ecce principes Israel singuli in brachio suo fuerunt in te ad effundendum sanguinem* »; — « principes tui non iustitia, sed roboris et brachii fortitudine iudicantes fuderunt in te innoxium sanguinem » (*S. Hier.*); in brachio i. e. ut cuiusque erat potentia, pro virili quisque caedes patrare conatus est (*Mald. Pint. Mar. Lap.*), non iustitia, sed potentia et violentia usus in rerum administratione. Eos vocat Isaias socios furum (1,23; cf. Mich. 3,9. 10); exempla leguntur 4 Reg. 21,16. Ier. 26,23. Et exemplum principum alii suo modo suisque in conditionibus pro viribus imitabantur v. 7 « *patrem et matrem contumeliis affecerunt in te; advenam calumniati sunt in medio tui; pupillum et viduam contristaverunt apud te* »; — cum emphasi repetitur *in te,* in civitate sancta scil. in centro theocratiae, in urbe quae templum Domini habebat; *calumniari* idem est quod vi opprimere et vexare iniuste. Ea recensentur praecepta quae lege summopere commendabantur; primo enim post officia erga Deum loco praescribitur honor parentibus praestandus; cura advenae, pupillorum, viduarum repetito et gravibus adiectis rationibus praecipitur Ex. 22,22. Deut. 10,18; 14,29; 16,11. 14 etc. Haec in universum dici neque solum de principibus iam *S. Hier.* advertit. Uti homines spreta lege Dei iniuriis affecerunt, ita in ipsas res Deo sacras contumeliosi exsistebant v. 8 « *sanctuaria mea sprevisti et sabbata mea polluisti* »! — cf. 20,13; *sancta* appellantur quaecumque ad Dei cultum lege praescriptum pertinent; haec spreverunt; templum v. g. eo quod idola ibi collocabantur; ritus et caerimonias eo quod illa negligebant. Nota eos accusari de violatione sabbati; inde vides perperam ab aliquibus monitum Isaiae 58,13 ad exsilii tempus referri.

Sancta Dei eo quoque contempserunt quam maxime quod cultum illicitum et idololatricum exercebant; id quod inter alia reprehenditur v. 9 « *viri detractores fuerunt in te ad effundendum sanguinem et super montes comederunt in te, scelus operati sunt in medio tui* »; — falsis accusationibus vitam aliorum in periculum vocabant et sanguinis caedisque se reos faciebant. In excelsis sacrificabant, epulas sacrificales instruebant; scelus זִמָּה praecipue de vitiis impuris adhibetur; cf. Lev.

18,17. Ier. 13,27. Ez. 16,27. Cum idololatria canaanitica eiusmodi vitiis esset inquinata, vocem iure ita explicabis et sic via etiam sternitur ad ea impuritatis genera quae praeterea extra cultum idololatricum perpetrabant v. 10 « *verecundiora patris discooperuerunt in te, immunditiam menstruatae humiliaverunt in te* » ; — cf. Lev. 18,7. 8; ex qua lege illud peccatum intelligitur quod S. Paulus in incestuoso reprehendit, ut quis uxorem patris sui habeat; ita *S. Hier.* : novercae contra fas et licitum copulabantur; idem *Theod. Pint. Prad. Lap.* etc.; Lev. 18,19 prohibetur ne quis ad mulierem quae patitur menstrua accedat; *humiliare* i. e. vi opprimere talem feminam non verebantur; v. 11 « *et unusquisque in uxorem proximi sui operatus est abominationem et socer nurum suam polluit nefarie; frater sororem suam filiam patris sui oppressit in te* » ; — hebr. unumquodque membrum incipit וְאִישׁ *et alius quidem* abominationem adulterii commisit, *alius* nurum suam incestuose adiit etc.; cf. Lev. 18,9. 15; similia reprehendit Os. 4,14. Ier. 5,8. Praeter luxuriam etiam avaritiae magnopere dediti sunt v. 12 « *munera acceperunt apud te ad effundendum sanguinem; usuram et superabundantiam accepisti et avare proximos tuos calumniabaris, meique oblita es, ait Dominus Deus* » ; — iudices muneribus corrupti damnare et interimere innocentes non dubitabant; Ex. 23,8 : nec accipies munera quae etiam excaecant prudentes et subvertunt verba iustorum; Deut. 16,19; at legem eam minime esse servatam prophetae conqueruntur (Is. 1,23; 5,23. Mich. 3,11). Alii fenus et usuram capiebant a contribulibus suis; ab extraneis accipere licuit; de תַּרְבִּית vide ad 18,8. 13. 17; et praeterea alia quoque ratione fratres vi et fraude spoliabant vel variis artificiis et dolis circumscribebant aut vi et *violentia fraudabant* (hebr.). Omnium peccatorum radix et causa demum reponitur in oblivione Dei; solo enim timore Dei malae hominis concupiscentiae compescuntur; eo freno ablato homines in omnia vitia se profundunt; « memoria Dei excludit cuncta flagitia » (*S. Hier.*).

In tali vero populi sui conditione Deus habitum assumit irascentis (*S. Hier.*) v. 13 « *ecce complosi manus meas super avaritiam tuam quam fecisti et super sanguinem qui effusus est in medio tui* » ; — irascentis et dolentis cum indignatione habitum describit oratio (*Prad.*). Unde secum perpendant scelerati illi, valeantne indignationem Domini sustinere v. 14 « *numquid sustinebit cor tuum aut praevalebunt manus tuae in diebus quos ego faciam tibi? ego Dominus locutus sum et faciam* » ! — habentne vires animi et corporis satisque roboris, ut iracundiam Dei perferant vel eam avertant? illis scil. diebus quando Dominus cum iis sit acturus (hebr.), et ea opere completurus quae toties minatus erat. Quomodo homo animo et corpore misellus ulto-

rem Deum sustinebit? Ea quoque consideratione illos ad resipiscentiam revocare vates exoptat. Quodsi ipsi noluerint ad meliorem redire frugem, Deus acri suo iudicio et poenis inflictis efficiet, ut sordes scelerum igne tribulationum purgentur v. 15 « *et dispergam te in nationes et ventilabo te in terras et deficere faciam immunditiam tuam a te* v. 16 *et possidebo te in conspectu gentium et scies quia ego Dominus* »; — igitur hic quoque exsilium declaratur fore tempus quo populus emendetur; cf. Is. 4,4 promittit se velle abluere sordes spiritu iudicii et ardoris. Populum ita mundatum Deus palam coram gentibus iterum in gratiam recipiet et tamquam peculium suum pristinae restituet dignitati. Hisce Deus omnibus tamquam Iahve, Deus foederis, innotescet.

Sensus qui in *vulg.* exprimitur optime in contextum convenit eoque aptus habetur sermonis progressus : annuntiatur exsilium, dein fructus ex punitione oriturus, demum instauratio; atque revera postquam dictum est sordes iri ablatum, quid restabat nisi ut populus denuo tamquam populus Dei publice agnosceretur? Idem rerum ordo etiam apud alios prophetas deprehenditur et ipso eventu est demonstratus. Eundem sensum reddunt LXX καὶ κατακληρονομήσω ἐν σοί et eodem modo lege in hebr. personam primam נחלתי et explica a verbo נחל accepit possidendum; hereditate accepit : *cepi hereditatem in te*. Primam enim personam in hebr. praeter LXX et *S. Hier.* etiam legerunt *Syrus*, *Aq. Sym. Theod. Chald.*; unde haec contra textum *mas.* omnino erit restituenda. Sed etiam ea significatio quam LXX et *S. Hier.* reddunt retineri debet; eam proxime assecutus est *Chald.* quoque, qui habet : et sanctificabor in te. De aliis haec refert *S. Hier.* : « sin autem interpretationem Symmachi et Theodotionis sequimur, quorum alter ait : et vulnerabo te sive confodiam, alter : contaminabo te in conspectu gentium, ad malam partem cuncta referenda sunt »; sed simul bene notat id esse contrarium ei quod supra dicebatur : *et deficere faciam immunditiam tuam a te*, « defectio enim immunditiae restitutio puritatis est ». Idem valet contra acceptionem recentiorum; qui puncta *mas.* servanda esse censent, vertunt : et profanaberis per te (*Hitz. Keil*) i. e. tibi ipsi eris tu ignominiae coram aliis; sed quomodo hoc fieri potest, postquam Deus abstulit sordes? Neque melius est quod *Sm.* sequitur relicta punctatione *mas.* : et ego me profanabo in te, dum scil. te interire permittens ipse videor esse impotens et impar ruinae avertendae. Quae acceptio neque ad antecedentia apta est, neque ad id quod sequitur et *scies* etc. Hunc scopulum *C.* quidem evitat, dum textu mutato vertit : auferam immunditiam, per quam profanatus sum in oculis gentium; at minime opus est textum mutare ea ratione quae omnibus testibus contraria est, cum sensus exsistat ex LXX etc. praeclarus.

f) **Domus Israel in scoriam versa 22, 17-31.**

Quam iusta et necessaria sit poena, alia parabola declaratur v. 17

« *Et factum est verbum Domini ad me dicens :* v. 18 *fili hominis versa est mihi domus Israel in scoriam; omnes isti aes et stannum et ferrum et plumbum in medio fornacis; scoria argenti facti sunt* »; — metaphora scoriae ex Is. 1,22 petita est. Argento admixta sunt metalla viliora; hisce argentum est vitiatum. Israelitae ex pristina pietate et integritate in vitia delapsi sunt; « similis est, inquit, populus iste argento adulterino, cui multum aeris et ferri et stanni ac plumbi commistum est » (*Theod.*). Quae partes argento admixtae sint, aere, stanno etc. declaratur; ita domus Israel facta est « ceu metallorum mistura, argentum vitians; secernenda sunt metalla, liquanda, fornace excoquenda, purgandumque argentum » (*Calm.*). Talem eliquationem et purgationem Deus iam per Ieremiam prophetam frustra instituit Ier. 6,28-30; quia igitur minis et monitionibus nihil est effectum, iam duriora et efficaciora remedia Deus applicabit v. 19 « *propterea haec dicit Dominus Deus : eo quod versi estis omnes in scoriam, propterea ecce ego congregabo vos in medio Ierusalem* v. 20 *congregatione argenti et aeris et stanni et ferri et plumbi in medio fornacis, ut succendam in ea ignem ad conflandum; sic congregabo in furore meo et in ira mea et requiescam et conflabo vos* »; — aliqui singulis metallis singula peccatorum genera describi volunt v. g. plumbo delineari graves avaritia, ferro tyrannos (cf. *Pint. Prad. Lap.*); Deus eos in mediam urbem congregabit, sicut colliguntur metalla illa in fornacem, ut igne accenso conflentur et liquefiant; « babylonia obsidione circumdabo, ut succendam in vobis ignem ad conflandum » (*S. Hier.*). Pro *requiescam* verte hebr. הִנַּחְתִּי *ponam* vos vel dimittam vos in fornace (*Mald. Lap.*). *S. Hier.* vocem *requiescam* explicat : contemptus dolorem poenarum vestrarum ultione compescam; sed de ultione completa nondum sermo instituitur; nam v. 21 « *et congrebabo vos et succendam vos in igne furoris mei et conflabimini in medio eius,* v. 22 *ut conflatur argentum in medio fornacis, sic eritis in medio eius et scietis quia ego Dominus, cum effuderim indignationem meam super vos* »; — imagine hac conflationis et liquefactionis angustiae obsidionis urbis exprimuntur; quod in fornace « facit flammarum ardor immensus, hic fames et pestilentia faciet; et hoc totum faciam, ut postquam effudero indignationem meam super vos, finis vestri cruciatus mei notitia sit : et sciatis quod ego sim Dominus iudex omnium et retributor » (*S. Hier.*). Metaphoram per singula prosequitur *Theod.* : fornacem vobis constituo urbem, carbonum instar hostes iniiciam, meamque vim ac voluntatem veluti quoddam sufflatorium commovebo et simul vos conflabo, ut qui sanari nolunt absumantur, qui autem curationem admiserint veluti argentum purgatum reddantur.

Quaenam sint illae scoriae et vilia illa metalla argento admixta, sequentibus describitur. Propheta enim totus in id incumbit, ut populo demonstret ac persuadeat ruinam urbis regnique iustam esse poenam; ad id autem necesse erat quantopere a viis Domini recessissent clare aperteque iis proponere, idque eo magis, quia non deerant qui sibi immunitatem promitterent (cf. Ier. 7,4). Unde v. 23 « *et factum est verbum Domini ad me dicens :* v. 24 *fili hominis dic eis : tu es terra immunda et non compluta in die furoris* »! — urbs Ierusalem est sicut regio contaminata, cui Deus iusta indignatione omnem negavit imbrem et quae propterea arida est et sterilis, omni carens ornamento. Deum enim pluviam mittere vel cohibere pro hominum moribus saepius asseritur; vide Deut. 11,17. Am. 4,7. Urbs monita prophetarum quae cum imbre quandoque comparantur (Am. 7,16. Mich. 2,6. Ez. 20,46; 21,2) sprevit; unde ipsa facta est veluti regio cui omnis benedictio Dei sit subtracta (*Calm.*). LXX prius verbum vertunt οὐ βρεχομένη; unde pro מְטֹהָרָה formam legerunt verbi מטר, quae forma utpote alteri membro concinna etiam ab *Houbig. Sm. C.* praefertur. Vocem hebr. alii explicant ex טֹהַר *splendor :* terra quae solis splendore non illustratur, cui igitur ad fecunditatem et sol et pluvia desunt, quae proinde omnino est horrida (*Troch. Keil*).

Quod metaphora regionis sterilis et Dei maledicto oneratae innuit, verbis propriis et enumeratione peccatorum manifestum reddit v. 25 « *coniuratio prophetarum in medio eius; sicut leo rugiens rapiensque praedam animas devoraverunt, opes et pretium acceperunt, viduas eius multiplicaverunt in medio illius* »; — i. e. ad eorum interitum pseudoprophetae foedere inito conspirant. Sed secundum LXX non prophetae ita describuntur, sed principes; legerunt ergo non נביאיה sed una littera mutata נשיאיה; et revera quae dicuntur potius principes iniustos et crudeles, quam prophetas tangere videntur. Leonibus enim reges et principes feroces et crudeles comparari saepius audimus; cf. 19,2 seq. 32,2; 38,13. Ier. 2,15; 4,7; 49,19. Soph. 3,3; prophetas autem ita describi nullo exemplo poterit confirmari. Insuper viduas multiplicare, ergo maritos occidere non tam a pseudoprophetis perpetrari videtur quam a principibus iniustis, iudicibus, magistratibus. Adde quod infra v. 28 prophetae eo modo describuntur quo apud Ezechielem cap. 13 depicti sunt. Unde lectio graeca erit praeferenda, cui non obstat quod in v. 27 שָׂרֶיהָ nominantur; nam in v. 25 principes regiae domus summosque magistratus intelligere poteris et in v. 27 capita et duces tribuum, familiarum (*Keil*). Etiam in v. 6 enumeratio a principibus est incepta. Praeterea in textu gr. legitur

ἧς οἱ ἀφηγούμενοι; quare pro קשר (coniuratio) legebatur אשר : cuius (terrae) principes sicut leones, quam lectionem *Houbig. C.* adoptant.

Etiam sacerdotes qui interpretes et custodes legis divinae esse debebant (cf. Mal. 2,5-7) plane aberrarunt a tramite recti et veri v. 26 « *sacerdotes eius contempserunt legem meam et polluerunt sanctuaria mea; inter sanctum et profanum non habuerunt distantiam et inter pollutum et mundum non intellexerunt et a sabbatis meis averterunt oculos suos et coinquinabar in medio eorum* »; — hebr. proprie : vim inferebant legi meae, eam oppresserunt, uti iam Soph. 3,4 conquestus erat; observantiam igitur legis omnino in se et in aliis exstinguunt; quae Deo sacra sunt profanant, indigne tractant, negligunt; vide ad v. 8. Eius negligentiae exemplum in eo cernitur quod non distinguunt inter sanctum et profanum, mundum et immundum, in qua re describitur quantopere leges caerimoniales spernant, ita ut maxima praeceptorum divinorum cultusque Deo pendendi pars prostrata et conculcata iaceat. Iis enim praeceptis non solum sacrificia regebantur et aliae sacrae functiones, verum etiam delectus ciborum et alia permulta quae in vita quotidiana erant observanda; vide v. g. praecepta de lepra, de cadaveribus, de fluxu seminis, de menstruis, de morticino etc. Oculos autem *obvelare* a sabbatis (hebr.) idem est ac minime curare ut sabbatum eo quo debeat modo servetur, sed connivere et permittere ut profanetur et tamquam dies communis habeatur (*Theod.*). Proinde eum quoque cultum turpiter negligunt quem Deus publice ab omni populo sibi tamquam supremo terrae Domino regique fieri mandarat. Tali contemptu in vita privata et publica Deus inter eos quam maxime profane tractabatur et summa afficiebatur ignominia.

Neque meliores erant qui populo praefecti auctoritate valebant v. 27 « *principes eius in medio illius quasi lupi rapientes praedam ad effundendum sanguinem et ad perdendas animas et avare ad sectanda lucra* »; — etiam *S. Hier.* dicit duces comparari in v. 25 leonibus, principes inferioris gradus homines luporum imitari rapinam, ut effundant sanguinem et avare sectentur lucra; etiam Soph. 3,3 lupis comparantur iudices; atque hic quoque praecipue iudices describi eo patet, quia ad lucra facienda sanguinem fundunt i. e. muneribus inducti ius pervertunt; cf. v. 12 vel ex avaritia alios spoliant; vide ad Is. 5,8. Quare Ex. 18,21 praescribitur ut iudices constituantur qui oderint avaritiam. Corruptam iudicum fidem etiam Amos 2,6 accusat. Pseudoprophetae autem adulatores confirmabant et laudabant quae a primoribus male fiebant v. 28 « *prophetae autem eius liniebant eos absque temperamento videntes vana et divinantes eis mendacium dicentes : haec dicit Dominus Deus, cum Dominus non sit locutus* »; —

hebr. *prophetae obducebant eis tectorio* i. e. quidquid illi faciebant, prophetae quasi fuco quodam ornabant; de locutione hebr. vide ad 13,10; falsis enim et fallacibus oraculis eorum agendi modum a Deo approbari mentiebantur; igitur se pessimos praebebant malorum principum assentatores, quales perstringit Isaias : propheta docens mendacium ipse est cauda (9,15), more canino blandiuntur. Et si utrique magistratus et civiles et religiosi ea morum corruptione erant infecti, quid mirum quod populus eorum exempla pro viribus et pro sua quisque conditione aemulabatur? v. 29 « *populi terrae calumniabantur calumniam et rapiebant violenter; egenum et pauperem affligebant et advenam opprimebant calumnia absque iudicio* »; — hebr. *populus terrae* i. e. plebs, plebeii *opprimebant oppressione;* advenam vel peregrinum sine iure i. e. inique et iniuste affligebant et vexabant; cf. 18,12; 22,7.

In tanta omnium ordinum iniquitate nihil restat, nisi ut Dominus pro sua iustitia capiat vindictam, neque enim adsunt in populo iusti propter quos alias etiam impiis parcere solet Deus v. 30 « *et quaesivi de eis virum qui interponeret sepem et staret oppositus contra me pro terra ne dissiparem eam, et non inveni* »; — cf. 13,5; nam iusti reliquis quoque praesidio esse solent; ita decem iusti si inventi fuissent in pentapoli salutem civibus attulissent Gen. 18,32; immo Ier. 5,1 : quaerite in plateis, an inveniatis virum facientem iudicium et quaerentem fidem et propitius ero urbi; ergo pauci iusti id effecissent apud Dominum, ut urbi regnoque parceretur. Id quoque ex eo elucet, quia Sedecias si se voluisset tradere Chaldaeis obsequens mandato divino urbem ab incendio servasset (Ier. 38,17). Locutionem qua ne unum quidem esse inventum iustum dicitur esse hyperbolicam patet, cum Ieremias propheta et Baruch et certe alii quoque viri probi in urbe exstiterint; similem habes dictionem Ps. 13, 1-3 et humano sermone fertur dici neminem, quando comparatione instituta cum ingenti multitudine pauci reperiuntur; parum enim pro nihilo reputari in adagium abiit. Quantum valeat deprecatio iustorum et quae sit eorum in urbe utilitas, etiam ex hoc loco apparet; cf. Ex 32,10 : dimitte me et deleam eos. Voluit igitur Deus parcere urbi, si qui adessent qui votis ac bene gestis iram Dei placarent et ita se tamquam murum aut sepem inter Deum et populum opponerent (*Calm.*); at invalescente iniquitate postea saepius declaravit iam nullis precibus se velle poenam avertere; vide Ier. 7,16; 11,14; 14,11; 15,1. Ez. 14,14 seq. Atque etiam hic asserit Deus se effusurum iram in iniquos v. 31 « *et effudi super eos indignationem meam et igne irae meae consumpsi eos; viam eorum in caput eorum reddidi, ait Dominus Deus* »; — iam *Pint. Mald. Mar. Lap.*

Men. monent verba esse explicanda *et effundam* etc. agi enim de tempore futuro. De singulis dictionibus vide 7,4; 9,10; 11,21; 16,43; 20,13.

g) Duorum regnorum flagitia 23, 1-35.

Idem argumentum quo populi iniquitas demonstratur alio modo vates prosequitur. Regna enim Israel et Iuda imagine duarum sororum depingit quae artibus meretriciis se dederint; v. 1 « *Et factus est sermo Domini ad me dicens :* v. 2 *fili hominis, duae mulieres filiae matris unius fuerunt;* v. 3 *et fornicatae sunt in Aegypto, in adolescentia sua fornicatae sunt; ibi subacta sunt ubera earum et fractae sunt mammae pubertatis earum;* v. 4 *nomina autem earum : Oolla maior et Ooliba soror eius minor; et habui eas et pepererunt filios et filias; porro earum nomina : Samaria Oolla et Ierusalem Ooliba* »; — ex una stirpe, immo ex una matre, Sara, duae gentes ortae sunt. Samaria, regnum israeliticum vocatur *Ohola,* tabernaculum suum; Ierusalem, regnum iudaicum *Oholiba*, tabernaculum meum in ea, prout iam *S. Hier.* nomen rite explicat. Erat enim in Ierusalem templum Domini, dum Samaria vel decem tribus suum sibi tabernaculum erigerent et contra Dei praeceptum in monte Garizim, in Dan, Bethel etc. sanctuaria instituerent (*Mald. Mar. Lap. Men. Loch. Troch.*). Samaria est soror maior, utpote regnum numero tribuum praestans magisque amplum. Tribus autem illae iam in Aegypto cultui idololatrico erant deditae; commoratio in Aegypto est adolescentia populi (cf. Ez. 16,7); eo iam tempore haud raro idololatriam viguisse, vide ad 20,8. Ea autem populum foede esse maculatum, imaginibus exprimit quibus virginitatis decus ablatum esse declaratur et puellas tamquam scorta haberi. Nihilominus Deus populum ex ea abiectione ad foedus secum ineundum assumpsit et populus numero crevit. Pro ultimo membro v. 3 LXX praebent solummodo ἐκεῖ διεπαρθενεύθησαν; sim. *Syrus.*

Iam describitur quomodo Samaria in re religiosa et civili recesserit a Deo et ab indole theocratica et se insano studio tradiderit moribus gentilium v. 5 « *fornicata est igitur super me Oolla et insanivit in amatores suos, in Assyrios propinquantes,* v. 6 *vestitos hyacintho, principes et magistratus, iuvenes cupidinis, universos equites, ascensores equorum* »; — *super me* i. e. quamvis esset uxor mea. Foedera cum Assyriis etiam Osee vituperat 5,13; 8,9; 12,1; exemplum refertur de Manahem qui dedit Phul mille talenta argenti, ut esset ei in auxilium et firmaret regnum eius (4 Reg. 15,19). Ex inscriptionibus cuneatis refertur iam Iehu tributum solvisse regi Salmanassar II; etiam Ram-

manirar rex Assyriorum terram Amri i. e. regnum israeliticum (cf. 3 Reg. 16,23) inter regiones sibi vectigales enumerat (cf. *Schrader*, Keilinschr. u. A. T. ad 1 Reg. 16,23 et 2 Reg. 9,2 et 10,32 et 15,17). Ex reprehensionibus Osee et Ezechielis colligitur Israelitas amicitias iniisse cum Assyriis eorumque mores et idololatriam esse aemulatos. Vocantur Assyrii *propinquantes*, LXX ἐγγίζοντες αὐτῇ, qui ad eam accesserint; vel propinqui, quos scil. Israelitae amabant tamquam ingenio et moribus sibi vicinos et similes (*Vat. Keil*). At mentione digna est emendatio a *C.* e v. 23 petita, ut scil. Assyrii appellentur non קרובים, sed קרואים celebres, nobiles, nominati. Gloria enim Assyriorum effectum est ut Israelitae eorum foedera ambirent; ad quam gloriam etiam pertinet splendor vestium variegatarum : vestiti hyacintho; hebr. תְּכֵלֶת purpura caerulea. In imaginibus expressus cernitur hodiedum Assyriorum luxus vestimentorum. Dein describuntur tamquam dignitate potentes : principes vel satrapae et magistratus; de voce פֶּחָה vide quae notavi ad Agg. 1,1 (Proph. min. II p. 175. 176); סָגָן vide Is. 41,25. Ier. 51,23; vocem ex assyriaco explicant de praefecto vel satrapa vel generatim de homine nobili ac potenti (cf. *Schrader* l. c. ad Is. 41,25). Ad potentiam accedit venustas et elegantia : iuvenes elegantiae, equites igitur formosi, quos insano amore puellae deperire solent.

In eos igitur insatiabili libidine Oolla ferebatur v. 7 « *et dedit fornicationes suas super eos electos, filios Assyriorum universos et in omnibus in quos insanivit in immunditiis eorum polluta est* »; — pro immunditiis verte ex hebr. *in omnibus idolis eorum* polluta est, uti iam *Mar.* monet. Unde perspicitur etiam hic praeprimis idololatriam et defectionem a Deo denotari. Sed dum cum Assyriis cultus foederisque societatem inirent, minime cultum vitulorum ex idololatria aegyptiaca desumptum relinquebant v. 8 « *insuper et fornicationes suas quas habuerat in Aegypto non reliquit; nam et illi dormierunt cum ea in adolescentia eius et illi confregerunt ubera pubertatis eius et effuderunt fornicationem suam super eam* »; — in adolescentia i. e. cum versarentur in Aegypto et dum morarentur ad montem Sinai, idololatria aegyptiaca sese foedarunt. Et quanto studio id perpetrarint, ipsa verborum ignominia exprimitur; atque in libris historicis aperte traditur quantopere a Ieroboam et deinceps cultus vitulorum in Bethel et Dan exercitus sit, ita ut singulari ratione peccatum Israel dicatur (cf. 3 Reg. 12,30; 15,26. 34; 16,13. 19. 25. 26. 30 seq. 4 Reg. 10,31; 13,2 etc.). De singulis enim regibus Israel fere memoriae traditur peccata Ieroboam quibus peccare fecerit Israel diligenti imitatione esse ab iis expressa; vide insuper Os. 4,15; 8,5. 11.

Eius apostasiae poenas dederunt Israelitae; per Assyrios regnum

eorum destructum est v. 9 « *propterea tradidi eam in manus amatorum suorum, in manus filiorum Assur, super quorum insanivit libidine,* v. 10 *ipsi discooperuerunt ignominiam eius, filios et filias eius tulerunt et ipsam occiderunt gladio; et factae sunt famosae mulieres et iudicia perpetraverunt in ea* »; — hebr. et facta est nomen (exemplum) mulieribus i. e. eius sors abiit in proverbium inter mulieres; similiter LXX καὶ ἐγένετο λάλημα εἰς γυναῖκας, ut *Theod.* explicat : omnis civitas ea divulgavit quae illi acciderunt; mulieres enim per translationem rursus civitates nuncupavit. Nomen et sors Samariae in ludibrium vertebatur; cf. Ier. 19,8. Ez. 36,3. De iudicio in meretricem cf. Ier. 13,26. Ez. 16,37. Os. 2,10. Mich. 1,11. Nah. 3,5. Opprobrium in eo consistit quod populus in alienam regionem abductus sit captivus et regnum israeliticum deletum.

Verum exemplo et punitione sororis maioris minor nequaquam est erudita; sed etiam maiore lascivia se libidini tradidit; v. 11 « *quod cum vidisset soror eius Ooliba, plus quam illa insanivit libidine, et fornicationem suam super fornicationem sororis suae* v. 12 *ad filios Assyriorum praebuit inpudenter, ducibus et magistratibus ad se venientibus, indutis veste varia, equitibus qui vectabantur equis et adolescentibus forma cunctis egregia* »; — hebr. verte v. 11 *et vidit soror eius et peiorem exhibuit libidinem prae illa et fornicationes peiores quam fornicationes sororis suae* i. e. eas auxit plus quam Samaria (*Vat. Mald. Mar.*). Est eadem accusatio quae Ier. 3,8-11 et Ez. 16,47. 51 profertur; in regno etiam iudaico idololatria et scelera ei adiuncta et foedera cum alienigenis invalescebant. Cum Assyriis v. g. Achaz foedus iniit mittens nuntios ad Theglathphalasar et dicens : servus tuus et filius ego sum etc. 4 Reg. 16,7; frustra eum ab hac amicitia dimovere studuit Isaias, maluit Achaz Dominum reiicere quam recedere ab Assyriis; vide Is. 7,4 seq. Quare eodem tempore ei ruina domus regiae et castigatio per eosdem Assyrios infligenda praedicitur (vide ad Is. 7,15 seq.). Quanta cupiditate et ambitione eiusmodi foedera expetierint, v. 12 declaratur *in filios Assur insanivit amore* vel exarsit (hebr.), in satrapas et praefectos, splendidissime indutos; hebr. מִכְלוֹל LXX h. l. vertunt εὐπάρυφα (in A legitur ευπορφυρα quam vocem etiam Ar exprimit), sed 38,4 θώρακας; eodem loco etiam *S. Hier.* loricas transtulit, dum hic sequitur Theodotionem παντοῖα vertentem; vocem explicant de perfectione; ita iam *Aq. Chald.* et cum *Vat. Mald. Mar.* etiam plerique recentiorum (*Troch. Keil, Schr. Sm.*), dum alii de armis, πανοπλία, exponunt (*C.*). Ierusalem, sicut Samaria, foedere peccavit assyriaco v. 13 « *et vidi quod polluta esset; via una amba-*

rum »; — i. e. utriusque sororis mores ac turpitudo eadem erant (*Mald. Mar.*) eo sensu quod ambae cum Assyriis se iungebant.

Sed soror minor hisce minime se continuit; post Assyrios se iunxit Chaldaeis v. 14 « *et auxit fornicationes suas; cumque vidisset viros depictos in pariete, imagines Chaldaeorum expressas coloribus,* v. 15 *et accinctos balteis renes et tiaras tinctas in capitibus eorum, formam ducum omnium, similitudinem filiorum Babylonis terraeque Chaldaeorum, in qua orti sunt,* v. 16 *insanivit super eos concupiscentia oculorum suorum et misit nuntios ad eos in Chaldaeam* »; — i. e. iam sola fama de gloria et potentia Chaldaeorum Iudaei ita quasi fascino capti sunt, ut legatos mitterent ad eos et foedus eorum et amicitiam expeterent. De eiusmodi conatibus nihil quidem nobis refertur in aliis V. T. libris, nisi de legatione tempore Sedeciae (Ier. 29,3; 51,59); sed primum quasi gressum ad amicitiam cum Babyloniis ineundam iam cernere licebit in modo quo Ezechias rex legatos babylonios apud se recepit Is. 39,1 seq. Et quomodo soror minor ad amorem Chaldaeorum sit inducta et pellecta, gloria eorum scil. audita, eleganter et ad parabolam aeque apte sicut ad rei veritatem accommodate ita describitur, ut vates eas ipsas imagines nobis depingat quas parietibus palatiorum impressas post tot saecula nostrum aevum explorationibus factis iterum aspexit. In monumentis enim recenti tempore detectis reges, duces, milites simili ornatu et vestitu cernuntur. Hebr. et vidit... *imagines Chaldaeorum depictas minio, balteis cinctos ad lumbos,* tiaras tinctas[1] gestantes in capitibus, qui omnes forma et aspectu nobilibus, ducibus similes erant; de voce שָׁלִישִׁים vide quae disputat *de Hummelauer* ad 2 Reg. 23,8. Vidit itaque *formam filiorum Babel, quorum patria est Chaldaea* (hebr.). Militari ornatu et gloria mentes puellarum facillime capi solent; unde vates exhibet sororem amore ducum babyloniorum capi quorum imagines splendidas aspexisset.

Neque frustra illos ad se invitavit v. 17 « *cumque venissent ad eam filii Babylonis ad cubile mammarum, polluerunt eam stupris suis et polluta est ab eis et saturata est anima eius ab illis* »; — hebr. *ad cubile amorum* (*Vat. Mald. Mar.*) i. e. foedera inierunt cum eis et Iudaei cultu idololatrico Chaldaeorum et commercio cum eis maculati sunt; mox autem eius commercii damnum et pondus sentiebant; unde eos coepit taedere Chaldaeorum : *anima eius recessit ab eis.* Chaldaei enim se amicos praestabant tales quales expertus erat Achaz rex Assyrios;

---

1. Notat *Delitzsch* (apud *Baer* p. XII) : « participium טְבוּל non id quod tinctum est significat sed id quod circumvolutum est et quo quis est redimitus »; *tublu* assyriace vittam dicere.

dedit Achaz munera, sed nihil ei profuit, rex assyrius eum afflixit 2 Par. 28,20. 21. Et quomodo Babylonii regnum iudaicum afflixerint, lege 4 Reg. 24,1 seq. Sed propter illa flagitia Dominus quoque abalienatus est a Iuda v. 18 « *denudavit quoque fornicationes suas et discooperuit ignominiam suam, et recessit anima mea ab ea, sicut recesserat anima mea a sorore eius* » ; — explica : quia vel postquam Iudaei se ita in idololatriam abiecerunt, etiam Dominus eos fastidire et prae taedio abiicere coepit, sicut prostravit Israel. Verum isti ira et indignatione Domini non sunt emendati, sed insuper se Aegyptiis adiunxerunt, eorum foedus appetentes et eorum flagitiis quoque se polluentes. Foedus cum Aegyptiis et spes in eis reposita etiam a Ieremia graviter reprehendebatur 2,18. 36. 37 et quam male habiti sint ab Aegyptiis, lege 4 Reg. 23,34. 35; 24,7. Ier. 37,4. Quod igitur Ezechiel 17,7 seq. exposuit de nefaria illa ad Aegyptios propensione, id hoc quoque loco alia dicendi forma declarat v. 19 « *multiplicavit enim fornicationes suas recordans dies adolescentiae suae, quibus fornicata est in terra Aegypti* v. 20 *et insanivit libidine super concubitum eorum, quorum carnes sunt ut carnes asinorum, et sicut fluxus equorum fluxus eorum,* v. 21 *et visitasti scelus adolescentiae tuae, quando subacta sunt in Aegypto ubera tua et confractae sunt mammae pubertatis tuae* » ; — uti in adolescentia se maculavit cum Aegyptiis, ita postmodum ad eandem sentinam rediit. Turpem idololatriam et mores Aegyptiorum reprehendit salacitate asinorum et equorum in comparationem adhibita; vide 16,26. Ier. 5,8; v. 21 *visitasti* i. e. repetiisti, renovasti, magno quodam libidinis aestu ad prisca scelera rediisti (*Mald. Lap.*); cf. v. 3.

Quare iam debitae poenae annuntiantur : per eos ipsos quorum foedus moresque tam studiose sectati sunt, Iudaei punientur; v. 22 « *propterea Ooliba, haec dicit Dominus Deus : ecce ego suscitabo omnes amatores tuos contra te, de quibus satiata est anima tua, et congregabo eos adversum te in circuitu :* v. 23 *filios Babylonis et universos Chaldaeos, nobiles, tyrannosque et principes, omnes filios Assyriorum, iuvenes forma egregia, duces et magistratus universos, principes principum et nominatos ascensores equorum* » ; — iam mala experti sunt a Chaldaeis; quare dicit : *a quibus abalienata est* vel recessit *anima tua* (hebr.); sed maiora experientur Deo Chaldaeos ad ultionem capiendam excitante. Dein enumeratione minaci omnes illos recenset ultores et vindices se adducturum, quorum gloria, dignitate, venustate ad amorem insanum Ooliba erat seducta; quasi dicat : « quibus de causis tu eos adamasti, iis ego de causis eos adversum te suscitabo » (*Mald.*) ; nam, ut *Pint.* notat, aequum est ut ea quae Deo relicto summe dili-

gimus, perniciem nobis moliantur. Praeterea autem in hebr. id magis effertur quod iam Ieremias vaticinatus erat : assumam universas cognationes aquilonis; nam in v. 23 enumerantur praeter Chaldaeos : Peqod et Schoa et Qoa et omnes filii Assur. De Peqod vide quae dixi ad Ier. 50,21 ; in cuneatis Puqudu recensentur inter tribus elamiticas Babyloniis finitimas; eodem modo in cuneatis nominantur tribus Babyloniis conterminae Qutu et Sutu vel nomine quoque breviore *Qu* et *Su*, quae igitur in קוֹעַ et שׁוֹעַ agnoscendae erunt; vide *Delitzsch*, Wo lag das Paradies p. 233 seq.; LXX nomina propria retinuerunt et, prout *S. Hier.* testatur, etiam *Sym. Theod.*, dum *Aq.* vertit ἐπισκέπτην καὶ τύραννον καὶ κορυφαῖον quem secutus est *S. Hier.*, qui tamen a multis gentes intelligi orientales fatetur. Assyrii quoque nominantur; regnum quidem assyriacum concidit, sed regio illa et gens babylonico serviebat imperio. Vocem שָׁלִישִׁים h. l. vertit *S. Hier.* principes principum ; notat eos vocari alias graece τριστάτας, quod sit nomen secundi gradus post regiam dignitatem. Hic quoque legimus קְרוּאִים quam vocem pro קְרוֹבִים esse legendam in v. 5. 12 *C.* existimat.

Isti omnes venient iam non ad vacandum libidini, sed bellico apparatu instructi et terrore formidabiles v. 24 « *et venient super te instructi curru et rota, multitudo populorum, lorica et clypeo et galea armabuntur contra te undique; et dabo coram eis iudicium et iudicabunt te iudiciis suis* » ; — i. e. Deus iis potestatem committit ut pro arbitratu animadvertant in Ierusalem urbemque crudeliter puniant. Immo eos excitabit ipse, ut duras ab urbe poenas repetant v. 25 « *et ponam zelum meum in te quem exercent tecum in furore; nasum tuum et aures tuas praecident, et quae remanserint gladio concident; ipsi filios tuos et filias tuas capient et novissimum tuum devorabitur igni* » ; — hebr. explica : Deus vindictam suam ex zelo et zelotypia ortam in urbem diriget, ut hostes cum ea faciant in furore; dein varias miserias quae belli ac cladis comites esse solent exemplis exhibet : « alios enim bello captos abducent, inquit, alios in proelio iaculis confodient, aliis extremas partes summo odio et crudelitate amputabunt et omnia quae ad te pertinent praedabuntur et igne plurimas res tuas consument » (*Theod.*). Naso auribusque praecisis redditur meretrix foeda omniumque irrisionibus exponitur ; quare aliqui volunt describi Chaldaeos sicuti amatores offensos et iratos qui meretricibus quarum libidine satiati sunt nasum auresque praecidunt, ut ita appareant turpissimae (*Mald. Mar.*) « quod supplicii genus feminis est ignominiosissimum, quippe quae in eo uno suam felicitatem locatam habeant, ut appareant hominibus formosae » (*Prad.*). Alii ex Diodoro siculo (1,78) aliisque

legis aegyptiacae meminerunt qua adulteris nasus praecidebatur (*Prad. Lap. Tir. Calm.*) et eiusdem poenae pro adultera et deprehensa in stupro etiam *S. Hier.* mentionem ingerit. Alii mutilationes illas designari censent quae bello victis et captis inferri solebant crudeli consuetudine (*Troch. Keil*).

In v. 24 הֹזֶן vel ut in aliis codd. legitur חֹזֶן (cf. *de Rossi*) dubiae est notionis. De armis bellicis explicant *Syrus*, *S. Hier. Chald.*; μεθ' ὅπλων etiam in aliquibus codd. graecis (22. 23. 36) legitur et apud Theodoretum, et cum vox simul cum curru et rota ponatur, apparatum bellicum designari facile concesseris. Sicut in lorica, clypeo, galea (vel ex hebr. in *scuto*, clypeo, galea) tria recensentur, ita in membro quoque priore concinnum est tria enumerari genera armorum quibuscum veniant. Sed satis mirum est praeter currus etiam rotas nominari et dici eos venturos esse cum curribus et rotis. Unde רֶכֶב fortasse de iumentis vectoriis (cf. *Ges.* Thes. p. 1287) vel de equitatu et equitantibus (רֹכֵב) intelligi poterit, ita ut armati pedites et vecti equis et curribus adventare dicantur. LXX praebent : venient ad te *ab aquilone*, currus et rotae... unde *C.* rescribit pro חזן מצפון (26,7); alii, ut *Boettcher*, *Sm.* emendant הֲמוֹן : cum tumultu vel strepitu curruum et rotarum veniunt; ad eandem notionem *Hitz.* pervenit legens הָצֵן infin. absol. a צנן per modum adverbii : cum strepitu vel sonitu. *Delitzsch* l. c. p. XI verbo notionem coacervandi ex assyriaco tribuit.

« Haec autem omnia faciam, ut perdita pulchritudine et vultu venefico deturpato quiescat aliquando scelus tuum » (*S. Hier.*); v. 26 « *et denudabunt te vestimentis tuis et tollent vasa gloriae tuae;* v. 27 *et requiescere faciam scelus tuum de te et fornicationem tuam de terra Aegypti, nec levabis oculos tuos ad eos et Aegypti non recordaberis amplius* »; — ad v. 26 vide 16,39; vasa decoris intellige gemmas, ornamenta etc.; ea punitione inflicta Deus efficiet, ut recedat a fornicatione cum Aegyptiis, neve eius desiderio et voluptate capiatur. Quid rei sit declaratur 17,15 seq. Foedere illo cum Aegyptiis inito defecerat Sedecias a Nabuchodonosor cui fidem et subiectionem iuramento dato spoponderat; qua perfidia ultionem Chaldaeorum et furorem in se et Iudaeos concitavit. Quare v. 28 « *quia haec dicit Dominus Deus : ecce ego tradam te in manus eorum quos odisti, in manus de quibus satiata est anima tua* »; — hebr. *a quibus abalienata est* vel recessit *anima tua;* cf. v. 17. 18; oderunt Chaldaeos etiam ex eo quia violato fidei iuramento eos offenderunt; est enim satis consuetum ut quem laeseris odio quoque maiori habeas iniuria illata. Chaldaei autem dure agent v. 29 « *et agent tecum in odio et tollent omnes labores tuos et dimittent te nudam et ignominia plenam et revelabitur ignominia fornicationum tuarum, scelus tuum et fornicationes tuae* »; — *labores* i. e. quaecumque labore, studio, industria tibi comparasti. Ruina et

excidium urbis et regni, spoliatio et abductio praedae, vastatio terrae designatur; ea autem castigatione omnibus gentibus innotescet quantam apud Deum iram Ierusalem incurrerit et quantis sceleribus sit foedata; unde urbs erit in proverbium et irrisionem et sibilum omnibus. Id declarat vates eo poenae genere descripto quod adulteris infligi solebat; vide 16,38. 39. Nah. 3,5.

Hisce luit poenas turpis amoris et libidinis v. 30 « *fecerunt haec tibi, quia fornicata es post gentes, inter quas polluta es in idolis earum;* v. 31 *in via sororis tuae ambulasti, et dabo calicem eius in manu tua* »; — cf. v. 13. Calix est sors et pars quae alicui contingit eique tribuitur. Ierusalem *viam* i. e. mores et agendi rationem Samariae, sororis maioris, aemulata est; quare idem subibit fatum, eundem calicem furoris Domini bibet (Ier. 25,15), qui erit crater amplissimus potu repletus amarissimo v. 32 « *haec dicit Dominus Deus : calicem sororis tuae bibes profundum et latum; eris in derisum et in subsannationem quae est capacissima* »; — hebr. in ultimo membro *magnus ad continendum* i. e. calix erit capacissimus; unde in derisum et subsannationem erit, quia calix adeo magnus est quem epotare debet (*Vat. Mar. Lap.* et recentiores). LXX verbis intermediis relictis legunt (τὸ ποτήριον) τὸ βαθὺ καὶ τὸ πλατὺ καὶ τὸ πλεονάζον; quare *C.* verba illa delet; at leguntur in A ἔσται εἰς γέλωτα (neque tamen in Ar[1], K) et apud Theodoretum et referuntur non ad urbem sed ad calicem, qui amplitudine sua movet risum. Unde v. 33 « *ebrietate et dolore repleberis, calice moeroris et tristitiae, calice sororis tuae Samariae* v. 34 *et bibes illum et epotabis usque ad faeces et fragmenta eius devorabis et ubera tua lacerabis, quia ego locutus sum, ait Dominus Deus* »; — vehemens dolor quo homo stupore percutitur et quasi hebescit solet comparari ebrietati (Is. 19, 14); quid eo in calice offeratur, vocibus stuporis et horroris (hebr.) vel solitudinis et vastationis declaratur. Ei continget quod Isaias dixit : usque ad fundum calicis soporis bibisti et potasti usque ad faeces (Is. 51,17); immo non tantum *exsuget* illum, sed et *testas eius rodet* vel lambet, ne scil. guttula ulla relinquatur, vel prae aviditate bibendi urceum testaceum dentibus mordebit, quasi simul cum potu etiam calicem deglutire vellet. Sequitur hebr. *et ubera tua evelles* (κατατιλεῖς *Aq. Sym. Theod.*) in signum rabiei ex dolore et ebrietate ortae. Utraque re, et morsibus urceo infixis et laceratione uberum, ad vivum adumbratur insania et culmen malorum; eo quippe

1. De his aliisque signis vide quae notavi in Comment. Ieremiae p. 12 seq.; brevitatis causa designo A codicem alex., Ar versionem arab., K versionem copticam, L veterem latinam, B codicem vatic., S codicem sinaiticum.

modo homines rabie laborantes menteque capti agere solent. Quod alii volunt, ubera testis urcei prae aviditate bibendi fricari, ad verbum נִתֵּק *avellere* non est accommodatum.

In textu graeco non est mentio testarum sed legitur καὶ τὰς ἑορτὰς καὶ τὰς νουμηνίας αὐτῆς ἀποστρέψω i. e. legerunt חדשיה; quare lectio hebr. חרשיה confirmatur. Utrumque textum et de testis et de festis Theodoretus praebet. *Syrus* nihil de testis, sed : et crines tuos tondebis; *Chald.* etiam plane aliud : et consummabis et ultionem recipies. Quod hebr. dicitur testas mordere vel confringere, aliquibus erat offensioni; *Ewald* corrigit חרציך *femora tua* conteres; *C.* autem coniectat שמריה תגמאי facces eius epotabis. Sed lectio hebr. satis confirmatur versione graeca, et quod de testis mordendis dicitur ad rabiem depingendam aptissimum est.

Demum mentione culpae iterum facta sententia de poena subeunda confirmatur v. 35 « *propterea haec dicit Dominus Deus : quia oblita es mei et proiecisti me post corpus tuum, tu quoque porta scelus tuum et fornicationes tuas* » ! — hebr. *proiecisti me post tergum tuum* i. e. me summa mea contumelia sprevisti et mei memoriam maximo meo dedecore penitus abiecisti; ad alterum membrum vide 16,52. 58.

h) **Poenae adulterae et homicidae 23, 36-49.**

Summa et quasi comprehensio scelerum continetur in defectione a Deo et in iniustitiis adversus alios admissis. Denuo haec crimina vehementer exagitat vates; latius autem prius illud prosequitur quippe quod est radix et fons malorum omnium. Se iterum iterumque iussum a Domino exhibet vituperare et arguere scelera eorum, qua re simul manifestatur quanto conatu Deus sensus poenitudinis excitare velit in animis peccatorum. Unde v. 36 « *Et ait Dominus ad me dicens : fili hominis, numquid iudicas Oollam et Oolibam et annuntias eis scelera earum* » ? — nonne iudicas? i. e. coargue, sententiam contra eas pronuntia; cf. 20,4 et 22,2; « mea, inquit, suscepta persona, o propheta, fac iudicium de Samaria et Ierusalem earumque scelera redarguito; quomodo scil. me relicto cum idolis commixti sint filiosque qui a me illis concedebantur in sacrificium illis obtulerint leges meas aspernantes meaque sabbata profanantes » (*Theod.*). Id enim eis obiicitur v. 37 « *quia adulteratae sunt et sanguis in manibus earum et cum idolis suis fornicatae sunt; insuper et filios suos quos genuerunt mihi obtulerunt eis ad devorandum* »; — cultus Moloch perstringitur; vide 16,20; 20,31. Rei indignitas effertur, cum filii Domino geniti esse dicantur, idque iure praecipuo quia plebs theocratica quasi sponsa Domini consideratur et quia in filiis illa cernitur promissio ac

benedictio Abraham facta; quare filii iam sacri sunt Deo quodam nativitatis iure; unde tales idolis offerre multis nominibus est sacrilegum. « Nec hoc fecerunt foris et in montibus ac lucis, ut saepe facere consueverant, sed ad extremum polluerunt templum meum, ut statuam Baal in eo ponerent; et sabbata mea profanaverunt, ut nec loci nec temporis custodiretur apud eos religio » (*S. Hier.*); v. 38 « *sed et hoc fecerunt mihi : polluerunt sanctuarium meum in die illa et sabbata mea profanaverunt;* v. 39 *cumque immolarent filios suos idolis suis et ingrederentur sanctuarium meum in die illa ut polluerent illud, etiam haec fecerunt in medio domus meae* »; — hebr. verte clarius : cum immolarent filios suos idolis, *veniebant* eodem die in sanctuarium meum ut illud profanarent; *et ecce ita* fecerunt in medio domus meae. A summo flagitio templum Dei ingrediuntur; *eodem die* cum emphasi additur, ut indigna commixtio cultus designetur qua quasi consulto et de industria templo Domini ignominiam inferre illudque profanare voluerint. Unde in fine graviter additur : ecce talia perpetrant et tales sese sistunt coram Dei maiestate quae in templo singulari ratione praesens est et ita pro viribus eum locum implent abominationibus, quem Dominus sanctificavit, ut poneret nomen suum ibi in sempiternum et essent oculi sui et cor ibi cunctis diebus (3 Reg. 9,3). Talia etiam reprehenduntur 4 Reg. 21,4. 5. 7. Ier. 7,9. 10; 17,22 seq. Ez. 20,13. 16. 31.

Cum defectione a Deo et idololatria arcte iunguntur foedera a theocratia aliena quae esse debebant; isto studio talia ineundi foedera apostasia a Deo completur: unde sicut Isaias 57,9 ita Ezechiel quoque eam reprehensionem subiungit idololatriae v. 40 « *miserunt ad viros venientes de longe ad quos nuntium miserant; itaque ecce venerunt; quibus te lavisti et circumlinisti stibio oculos tuos et ornata es mundo muliebri* »; — illas reprehendit legationes ad foedera iungenda et opem alienigenarum implorandam, quas eodem modo vituperarunt alii prophetae, Is. 30,2. 6; 31,1. Ier. 2,18. 25. Os. 5,13; 7,11; 12,1. Quos ut ad foedus invitaret efficaciter, cultu et habitu meretricio se ornavit : sese lavabat, ungebat, oculos stibio et fuco adhibito pulchriores ac magis fulgentes reddebat; cf. Ier. 4,30, prout oculos pinxit Iezabel ad Iehu amore capiendum 4 Reg. 9,30. Aliis verbis : ut Aegyptios ad foedus ineundum pellicerent, suas iactabant opes et divitias et munera dabant pretiosa; haud immerito *Lap.* monet de Ezechia rege omnes thesauros Babyloniis superbe ostentante Is. 39,3 seq. — En quibus artibus meretriciis usa est soror illa v. 41 « *sedisti in lecto pulcherrimo et mensa ornata est ante te; thymiama meum et unguentum meum posuisti super eam* »; — lautissima instruebat convivia;

nam hisce voluptates excitantur, ut fert adagium : sine Cerere et Libero friget Venus; ad omnium sensuum voluptatem habendam odoramenta quoque et unguenta providebat convivis; cf. Am. 6,4-6. Prov. 7,17 : aspersi cubile meum myrrha et aloe et cinnamomo. Cum indignatione Deus dicit *meum;* cum enim ipse sit peculiari modo dominus ac possessor terrae quam populo suo elocavit, ut sibi redderentur fructus (Deut. 26,3 seq.), terrae proventum suum vocat; vide ad 16,18 et Os. 2,8. 9. Et si respexeris Ex. 30,34 seq. quo Dominus prohibet ne thymiama (קְטֹרֶת) fiat in usus profanos quia sanctum est Domino, alius habetur titulus, cur conqueratur et moleste ferat quod thymiama suum alienigenis impendatur (cf. *S. Hier.*).

Praeterea magno cum tripudio et laetitia etiam viri de deserto venientes suscipiebantur ab illa i. e. uti videtur, Ierusalem etiam foedera iniit et appetiit cum Edom, Moab, filiis Ammon etc., quemadmodum patet ex Ier. 27,3 et 2,28 et 22,20; v. 42 « *et vox multitudinis exsultantis erat in ea et in viris qui de multitudine hominum adducebantur et veniebant de deserto; posuerunt armillas in manibus eorum et coronas speciosas in capitibus eorum* »; — sonos adiungi musicos conviviis consuetum erat; vide 2 Reg. 19,35. Eccli. 32,7. 8; 40,20. Is. 5,12: cithara et lyra et tympanum et tibia et vinum in conviviis vestris; Is. 24,8. 9. Am. 6,5. 6. Luc. 15,25. Quare laetitiam illam in convivio meretricio et exsultationem rite cum LXX explicabis : φωνὴν ἁρμονίας ἀνεκρούοντο, et cum *S. Hier.* qui omni genere musicorum ibi cani ait, ut non solum visu sed et auditu et odoratu et cunctis sensibus placeret soror illa amatoribus. In ea autem festivitate etiam suas habebant partes viri de deserto, quo nomine apte designari possunt tribus illae et gentes vicinae Palaestinae quibuscum, uti sors tulit, Iudaei quoque societatem belli, commercii, cultus inierunt. Ex versione latina viri isti a duabus illis sororibus ornabantur eo modo quo convivae honorari et ornari coronis solebant (Sap. 2,7. 8); unde idem exprimitur quod 16,33. 34 dicitur ab hac meretrice dona data esse amasiis. Unde *S. Hier.* : « et in tantam exarsistis, o sorores pessimae, insaniam voluptatum, ut armillas vestras et discriminalia imponeretis manibus et capitibus amatorum vestrorum, sive vobis ipsis, ut plenae ornatu turpaemini ». Quod in *sive vobis ipsis* innuit *S. Hier.* in hebr. habetur : manibus *earum*, capitibus *earum;* unde viri dicuntur ornasse sorores (*Vat. Mald. Mar.*) i. e. Ierusalem ex foederibus illis et commerciis sicut et Samaria v. g. ex pacto cum Syris aliquando utilitatem et commodum percipiebat atque eiusmodi amicitiae a multis magni aestimabantur tamquam regni ornamenta et decora.

Haec acceptio facilis est, verbis summopere accommodata, ipsis rebus gestis consentanea, qua simul in quantum alienigenis adhaeserint Iudaei bene adumbratur et in reprehensione quaedam gradatio et sermonis progressus habetur. Textus hebr. non una laborat obscuritate; iam in primo membro difficile dicitur quid sibi velit שָׁלֵו, cum ea notio ad *vocem tumultus* non apta sit; LXX legisse videntur שׁרו; *Sym. Theod.* ei subiiciunt significationem εὐθηνίας abundantiae et simile secutus videtur *S. Hier.*; *Syrus* : et vox laetitiae eorum procedebat; *Chald.* : et vox tumultus eorum qui tranquillitate fruebantur. Sed notio *tranquilli* non convenit ad vocem strepitus; quare alii שלו explicant impium, insolens; at quo iure? Textus gr. omnino ad contextum aptus est. *Keil* hebr. vertit : et strepitus factus est tranquillus; sed quo sensu id dicatur non intelligitur, praesertim cum cousque de strepitu nihil sit narratum. Etiam quae sequuntur in hebr. obscura sunt : et ad viros ex multitudine hominum arcessiti *ebriosi* e deserto; ita ebriosi vel potatores secundum kethib סובאים; qeri praebet סבאים; unde alii de Sabaeis mentionem fieri censent (*Prad. Vat. Mar. Lap. Tir.*). Eam vocem LXX non habent (legitur quidem οἰνωμένους i. e. kethib hebr. in A, apud Theodoretum et in 23. 26 sine aster. L; at in Ar, K vox ea deest); *Syrus* praebet שבא Saba; *Chald.* autem *undique*; proinde סביב legit. Alii eam vocem dittographia ex מובאים ortam censent, quia in textu gr. non legitur; *S. Hier.* באים legisse videtur, cum vertat et *veniebant*; at simul aliam quoque exhibet versionem : sive *ebrii* de deserto, uti *Aq.* quoque μεθυόντων praebet. Cum LXX solum praebeant ἥκοντας pro מובאים erit legendum באים; id quod magis consentaneum est, cum viri soleant venire, non adduci, et hoc loco certe sermo instituatur de iis qui Ierusalem convenerint ad foedus ineundum.

Multo magis textum traditum mutat *C.*; in primo membro sequitur LXX rescribens שׁרו; sed in altero omnino recedit ab omni traditione : et in lecto eorum erant pulvinaria varii coloris : ואל ערשם מרבדים טלואות. Alii aliter; *Sm.* v. g. supplet : et *miserunt* ad viros ex multitudine hominum; afferebantur ebriosi e deserto. Demum noto *Movers* in nostro loco cernere descriptionem sollemnitatis cuiusdam babylonicae (Phoenizier, I p. 494); quae sententia cum nullum invenerit laudatorem quantum equidem scio impune hic omitti potest.

De tanto flagitiorum ardore Dominus quasi secum miratur indignatus v. 43. 44 et dein poenam denuntiat; v. 43 « *et dixi ei quae attrita est in adulteriis : nunc fornicabitur in fornicatione sua etiam haec;* v. 44 *et ingressi sunt ad eam quasi ad mulierem meretricem; sic ingrediebantur ad Oollam et Oolibam, mulieres nefarias* »; — attrita est; ita scil. declaratur quanto studio et labore favorem et gratiam aliorum sibi acquirere conata fuerit; cf. Is. 57,10. Ier. 2,25; *nunc fornicatur...* explica per modum exclamationis qua Deus indignatur de illa scelerum colluvie; *S. Hier.* retenta parabola ita declarat rem : « sic attrivistis frontem, ut nequaquam secreto polluamini, vel mariti vel hominum vitetis aspectum; sed instar meretricum publice prostituamini ». Neque ab ea acceptione recedunt LXX qui per interrogationem efferunt : et dixi : nonne in his moechantur et opera meretricis et ipsa fornicata est? Eundem sensum clare et simpliciter exprimit *Syrus* quoque : et dixi

de eis : moechatae sunt et secundum opera meretricum fornicatae sunt. Satis obscurus est textus *mas.* quem communiter vertunt : nunc fornicatur fornicatio eius etiam ipsa. Sed ut sensus habeatur ad contextum aptus, textus lat. et syr. consulantur oportet. *C.* ita textum emendat : in hunc modum moechatae sunt; secundum opera meretricis fornicabantur : כאלה נאפו מעשי זונה תזנינה.

Quare iusta poena denuntiatur v. 45 « *viri ergo iusti sunt; hi iudicabunt eas iudicio adulterarum et iudicio effundentium sanguinem, quia adulterae sunt et sanguis in manibus earum* »; — viri iusti eas iudicent secundam normam qua adulterae et homicidae iudicari et puniri debent; « iusti enim viri sunt in eo quod adulteram et parricidam me iubente discruciant » (*S. Hier.* sim. *Theod. Mald. Sa*, *Lap. Tir. Calm. Loch*, *Troch. Keil*), ita ut Chaldaei dicantur iusti vel tamquam exsecutores iustae sententiae Dei vel quasi comparatione instituta cum Iudaeis qui propter maiorem suam rerum divinarum cognitionem et propter plura auxilia divina neglecta gravius ac turpius illis peccarunt. Eo modo debet explicari, si verba de Chaldaeis accipiuntur. Neque tamen id fiat necesse est. Nam sententia concipi potest magis in universum : omnes iusti eas condemnabunt (*Mar.*) vel ita ut Deus sententiam appellet iustorum ad earum condemnationem. Ceterum vide 16,38. Et quale iudicium sit ipse in eas exerciturus prosequitur v. 46 « *haec enim dicit Dominus Deus : adduc ad eas multitudinem et trade eas in tumultum et in rapinam*, v. 47 *et lapidentur lapidibus populorum et confodiantur gladiis eorum; filios et filias earum interficient et domos earum igne succendent* »; — in hebr. non est imperativus adduc, trade, sed infinitivus, quem potius reddes : *adducam*, *tradam* (*Vat. Mald. Mar.*) et tradam eas *in vexationem* Deut. 28,25 (hebr.). Quemnam *coetum* populorum sit advocaturus, iam Ieremias clare vaticinatur 25,9; in lege mosaica praescribitur, ut totus coetus populi vel universus populus lapidet hominem idololatram, blasphemum, sponsam vel puellam fornicariam (Lev. 20,2; 24,14. Deut. 13,10; 17, 5; 22,21. 24); quare hic quoque denuntiatio poenae secundum legis normam fit : *lapidibus eas obruet coetus* (hebr.); cf. 16,38. 41.

« Deinde ostendit utilitatem inde futuram » (*Theod.*); punit enim Dominus ut emendet et salvet et exemplo ultionis a peccatis retrahat v. 48 « *et auferam scelus de terra et discent omnes mulieres ne faciant secundum scelus earum;* v. 49 *et dabunt scelus vestrum super vos et peccata idolorum vestrorum portabitis, et scietis quia ego Dominus Deus* »! — « et haec omnia fient, ut auferatur de terra impietas et discant omnes mulieres universaeque provinciae procul positae poenis earum similia devitare, ut postquam receperitis quae meremini et por-

taveritis scelera idolorum vestrorum, tunc cognoscatis quod ego sim Dominus » (*S. Hier.*); cf. 16,58. Spe meliore ostensa et fructu qui ex castigatione oriundus sit proposito etiam hoc caput gravissima accusatione repletum concluditur. Deum monentem et toties per prophetas minantem scire noluerunt obsequi renuentes; iam scient et dure experientur punientem. « Utinam nos cognitione Dei fruamur, non malorum experientia docti, sed divina beneficia sentientes et ingratum animum abominantes et Dei memores in dies singulos renovati » (*Theod.*). — Quamvis regnum israeliticum iam ex longo tempore (an. 722) sit destructum, propheta tamen duabus sororibus poenam futuram annuntiat, id quod ex parabolae forma qua totius populi mores, peccata, poenas describit facile consequitur. Praeterea regno iudaico destructo quae est pars populi a patriarchis descendentis prior illa destructio completur et absolvitur ita ut una quaedam exsistat ruina, qua demum totus populus Iacob prosternitur; et *haec* ruina, dum propheta loquebatur, revera postero tempore erat futura.

i) **Parabola de angustiis obsidionis 24, 1-14.**

Hanc partem vates eo demum eventu absolvit ad quem omnis fere eius sermo propheticus hucusque dirigebatur i. e. oppugnatione et excidio urbis Ierusalem vel quod idem est destructione regni iudaici. Eodem die quo in Iudaea Nabuchodonosor urbem Ierusalem obsidere et vallare coepit, vates de ea re divinitus certior redditur in Babylonia eamque exsulibus enarrare et parabola proposita ad oculos demonstrare iubetur v. 1 « *Et factum est verbum Domini ad me in anno nono, in mense decimo, decima die mensis dicens :* v. 2 *fili hominis scribe tibi nomen diei huius, in qua confirmatus est rex Babylonis adversum Ierusalem hodie* »! — in anno nono a migratione Ioachin regis (1,2), qui est simul annus nonus Sedeciae regis in locum Ioachin suffecti. Idem dies quo obsidio est coepta refertur 4 Reg. 25,1 et Ier. 39,1 et 52,4. Magna emphasi hunc diem notare vates iubetur : *scribe tibi nomen diei, ipsissimum diem hunc : appropinquavit rex Babel ad Ierusalem ipsissimo die hoc* (hebr.) i. e. urbem cingere et obsidere, in eam incumbere cum exercitu coepit סָמַךְ. Eum diem sollemni ieiunio postea celebrarunt Iudaei (Zach. 8,19; *Prad.*); « revelata est res gesta Hierosolymis Ezechieli in Babylonia degenti et praeceptum ut eam concaptivis referret die ipso notato, ut et ipsi et obsessi tum ex tempore, tum ex rerum eventu discerent, non casui neque Babyloniorum potentiae urbis excidium esse adscribendum, sed eius voluntati qui multo ante praedixerat ob civium impietatem urbem esse

igni comburendam, Ezechielem quoque esse prophetam veridicum quippe qui Hierosolymae statum e Babylone tam longe dissita nosse potuit et palam facere » (*Prad.*). Verba enim adeo clara et determinata sunt, ut rem divinitus esse vati revelatam certissimum sit. Nam quod *Hitz.* vult esse vaticinium post eventum et diem postea adeo certo esse a vate determinatum, idem est ac mendacii audacissimi vatem accusare, quam impietatem vati impingere maxime impium est et ab ipsis protestantibus *Keil, Sm.* talis explicandi ratio cum indignatione reiicitur.

Eo autem die iis parabolam proponere iubetur, qua eorum proverbium alio plane sensu quam ipsi volebant **11,3** illustratur et explicatur; quare in eo loquendi modo simul reprehensio acerba et irrisio male confidentium continetur; v. **3** « *et dices per proverbium ad domum irritatricem parabolam et loqueris ad eos : haec dicit Dominus Deus : pone ollam, pone, inquam, et mitte in eam aquam* »! — domus vel familia, gens, contumax, rebellis vocatur; cf. **2,5**; **12,2**; v. **4** « *congere frusta eius in eam, omnem partem bonam, femur et armum, electa et ossibus plena* »! — collige in eam frusta carnis dissectae, LXX τὰ διχοτομήματα (sine *eius*), et quidem partes optimas, femur et armum, *electis ossibus imple* (hebr.), in quibus scil. medulla continetur; alii *membra* explicant, quia membra secundum ossa secari solent (*Vat. Mald.*); aliter LXX σκέλος καὶ ὦμον ἐκσεσαρκισμένα ἀπὸ τῶν ὀστῶν : crus et armum carne ab ossibus separata, « quod non male convenit, si verba hebr. paterentur » (*Mald.*). Irridet vates superbiam et vanitatem civium ducumque in Ierusalem qui se viros fortes et praeclaros iactabant. Utique carnis frusta pinguia quibus eximia praeparatur coctio et ignis praeclarus! v. 5 « *pinguissimum pecus assume, compone quoque strues ossium sub ea; efferbuit coctio eius et discocta sunt ossa illius in medio eius* »; — struem ossium in fundo ollae esse congerendam aliqui explicant (*Mald.*); alii volunt vice lignorum ossa adhiberi et ita significari caedem innocentum ossibus designatam esse causam obsidionis (*Vat. Lap. Mar. Calm.*) vel simul cum lignis ossa esse sub olla componenda; sed cum ossa ignem non nutriant, ad quid apponuntur? *S. Hier.* ita concipit : ossa compone sub lebete et fac strues et cumulos ossium; *Keil* explicat struem pro ossibus i. e. struem lignorum quibus accensis ossa in olla excoquantur; sed quae ambages? Omnes quidem versiones h. l. *ossa* praebent; at cum ignem ossibus accendi et strue ossium ad coquendum inflammari non sit probabile, pro עצמים levi mutatione erit legendum עצים *ligna*, uti legitur v. **10** (*Boettcher, Ewald, Hitz. Sm. C.*). Lignorum enim struem sub olla carnibus optimis plena poni exspectamus et postquam ligna multa sunt apposita, apte dicitur : *ebullire fac ebullitiones eius, etiam coquuntur*

ossa eius in medio eius (*Vat. Mald. Mar. Lap.*) i. e. fac ut vehementer olla ferveat, « ut effervescat non semel sed frequenter coctio lebetis et discoquantur carnes intrinsecus » (*S. Hier.*), immo ut ipsa ossa decoquantur. Proinde indicatur maximum ignem esse sub olla accendendum. In isto autem fervore ollae et ignis ardore adumbrantur angustiae et terrores obsidionis.

Et ad quid tendat symbolum hoc et quae sit olla, declaratur v. 6 « *propterea haec dicit Dominus Deus : vae civitati sanguinum, ollae cuius rubigo in ea est et rubigo eius non exivit de ea; per partes et per partes suas eiice eam; non cecidit super eam sors* »! — civitas dicitur sanguinum propter caedes innocentum et alia iniustitiae genera; rubigo in olla quae eousque non recessit est impietas, contumacia, flagitia quibus urbs est maculata. Neque igne supposito rubigo est deleta; perseveraverunt enim etiam tempore obsidionis in sua malitia et obstinatione, uti ex Ieremiae narrationibus satis superque elucet (cap. 37. 38); frustra quoque erant castigationes priores quibus Deus rubiginem auferre voluit; cf. v. 12. Olla illa frustatim evacuatur : per partes evacuant eam (ita hebr. concipe) i. e. paulatim urbs amittit incolas; singuli fame, gladio, peste, captivitate peribunt; non cecidit sors i. e. sine delectu interibunt; non sortito vel facto delectu, ut aliquando fieri solet, ut decimus quisque occidatur vel is solum qui sorte designetur, sed omnes sine ullo discrimine aliquo poenae genere punientur (cf. *Vat. Mald. Mar. Lap. Prad.*); « per partes et singillatim consumite eam; non cecidit super eam sors, ut alii perirent et alii salvarentur sed cunctis communis venit interitus » (*S. Hier.*). Pro imperativo *eiice eam* vel evacua eam melius cum LXX vertes : evacuat i. e. evacuant, uti iam *Mar.* advertit.

Ea autem pernicies urbi inferri debet, quia pro sanguine effuso et caedibus factis nullum datum est piaculum; explicatur enim *civitas sanguinum* v. 7 « *sanguis enim eius in medio eius est; super limpidissimam petram effudit illum; non effudit illum super terram ut possit operiri pulvere* »; — i. e. caedes illae nondum sunt expiatae; id autem ita metaphorice declaratur, ut sanguis adhuc adesse dicatur quasi sit effusus super saxum quod illum nequit imbibere; non est in terram effusus qua imbibatur, absorbeatur vel cuius pulvere operiatur; ergo sanguis ille in loco patenti effusus ibique expositus clamat vindictam; eandem habes locutionem Iob 16,19. Is. 26,21. Et cum dicatur *effudit illum supra petram* etc. iuremerito explicabimus cum *S. Hier. Prad. Pint. Vat. Mald. Sa, Lap. Tir. Calm. Troch.* : non operuit facinora, non dissimulavit, non in occulto patravit, sed palam maxima cum audacia et impudentia. Qua scelerum procacitate et iactantia ultio Dei

provocatur v. 8 « *ut superinducerem indignationem meam et vindicta ulciscerer, dedi sanguinem eius super petram limpidissimam ne operiretur* »; — *dedi* i. e. Deus agit cum iis sicut ipsi agunt et merentur; ipsi caedes non expiant, Deus iis culpam retinet; sanguinem in loco aperto ultionem expostulantem collocat neque permittit, ut operiatur vel quasi oblivione deleatur; habes idem quod Ps. 17,27 dicitur : cum perverso perverteris ; perversum perverse adhibebit.

Cum itaque sanguis tamquam actor et testis criminum in aperto positus exstet, etiam vindicta non poterit differri v. 9 « *propterea haec dicit Dominus Deus : vae civitati sanguinum, cuius ego grandem faciam pyram;* v. 10 *congere ossa quae igne succendam; consumentur carnes et coquetur universa compositio et ossa tabescent* »! — hebr. *etiam ego magnum faciam rogum,* magnam lignorum struem erigam; in v. 10 hebr. *multiplica ligna, accende ignem, percoque carnem... et ossa comburantur* vel candeant; talis ergo ignis accendendus ut prae eius ardore ipsa ossa in olla dissolvantur et in calcem et pulverem redigantur; « non solum carnes in te molles et teneras, sed durissima quoque ossa sic succendam, ut nihil in te remaneat quod non cremetur incendio » (*S. Hier.*).

Verba in v. 10 הָרְקַח הַמֶּרְקָחָה quae reddit *S. Hier.* : coquetur universa compositio, et veteres et recentiores varie vertunt. LXX ἐλαττωθῇ ὁ ζωμός imminuatur iusculum; מָרָק iusculum (Iud. 6,19. 20. Is . 65,4) et רקק tenue facere fortasse a LXX lectum est (cf. *Schleusner,* II p. 319); at in K legitur : aqua cum eis imminuatur, et in Ar : effervebit fervefactio. Idem praebet *Syrus* : fervet fervor; *Aq.* ἔψησις, ***Theod.*** σκευασία, ***Sym.*** ex syr. hex. vertisse videtur συνεψηθήσεται ἡ σκευασία quem fere secutus est *S. Hier.*; alii voces explicant ex Ex. 30,33. 35; 37,29 : condi condimentum (***Vat. Prad. Mar. Calm.***) i. e. aromata adhibe et misce in olla; vel coquam decoctionem pigmentorum (***Mald.***) q. d. excoquam illos sicut pharmacopolae pigmenta coquere solent. Recentiores quoque in varias abeunt partes : condi condimentum (***Hengstenberg***) id quod cum sarcasmo addatur; fac fervere iusculum (***Keil, Sm.***), agita vel permisce mixtionem (*C.*), fac liquescere adipem (*Schr.*). Cum de condimento h. l. vix sermo esse possit, notionem miscendi quae ab usu vocis non videtur aliena adoptare h. l. consultum esse videtur.

Insuper ipsa quoque olla excoquatur necesse sit, ut ardore et vi ignis rubigo absumatur v. 11 « *pone quoque eam super prunas vacuam, ut incalescat et liquefiat aes eius et confletur in medio eius inquinamentum eius et consumatur rubigo eius* »! — i. e. postquam urbis incolae vel fame, peste, gladio interierunt, vel in captivitatem sunt abducti (v. 10), ipsa quoque urbs igni est tradenda et redigenda in cineres, ut vi ignis immunditia eius excoquatur et urbs sanguinaria a sordibus flagitiorum et sanguine fuso expurgetur (*Prad. Mald. Lap.*), ut in-

quinamentum i. e. rubigo eius pereat « i. e. civitate incendio concremata malitia cum urbe dispereat » (*S. Hier.*). Peccatis enim populi terra quoque pollui et maculari dicitur (Lev. 18,25. Deut. 24,4. Ier. 3,2); quare simul cum peccatoribus haud raro domus quoque et urbes delentur et regio vastationi traditur, sicut propter hominem peccantem terra maledicto est percussa (Gen. 3,17; 6,13; 19,13 : delebimus locum istum eo quod increverit clamor eorum coram Domino etc.)[1]. Nunc demum maximum incendium est excitandum, quia eousque frustra saepius tentabatur urbem a malitia purgare v. 12 « *multo labore sudatum est et non exivit de ea nimia rubigo eius neque per ignem;* v. 13 *immunditia tua exsecrabilis, quia mundare te volui et non es mundata a sordibus tuis, sed nec mundaberis prius, donec quiescere faciam indignationem meam in te* »; — hebr. v. 12 explica : *molestiis fatigavit* me illa olla, q. d. urbs illa, fecit scil. me in se punienda inanem subire laborem, uti *Mald.* rite exponit; rubigo eius, malitia, auferri non potuit; unde per exclamationem additur hebr. *in ignem rubigo eius* proiiciatur, ut tandem ingenti incendio excitato purgetur; vel in igne rubigo eius consumatur (cf. *Mald. Mar.*). Conatus itaque frustra impensos recenset Deus, sicuti Is. 1,5. Ier. 6,29; 15,6. 7. Os. 6,5 (*Prad.*). Frustra urbem castigavit : *in impuritate tua abominatio* est (hebr.) vel summa foeditas זִמָּה (Lev. 18,17; 20,14) ei adhaeret; « immunditia in ea permanet scelesta et exsecrabilis; hoc enim *zemma* significat » (*S. Hier.*). Quare ad extremum remedium venire oportet : Deus indignationem suam in ea complebit, iram suam in ea exsatiabit, effuso furore eam perdet et tum defervescet indignatio eius (*Prad. Mald. Mar. Lap. Troch.*); cf. 5,13; 16,42.

Denique minas absolvit repetita confirmatione quasi sigillo apposito v. 14 « *ego Dominus locutus sum; veniet et faciam; non transeam nec parcam nec placabor; iuxta vias tuas et iuxta adinventiones tuas iudicabo te, dicit Dominus* »; — hebr. *non cessabo nec parcam nec me poenitebit* i. e. nulla iam re iudicium poterit averti; transiit omnis evadendi opportunitas; hae itaque minae non conditione aliqua vestitae eduntur; vide Ier. 18,7-10; Deum non poenitebit i. e. decretum ac consilium quod enuntiavit nullatenus mutabit. Hisce rem certissime fore declarari solet. Hebr. *secundum vias tuas et opera tua te iudicabunt* i. e. iudicio adulterarum et homicidarum 16,38 (*Mald.*). Ceterum merito addit *S. Hier.* explanationi verborum : « in hoc quoque ostendam clementiam meam instar medici, qui putridis non parcit carnibus,

---

1. Id non intelligens *Hitz.* vatem ineptiarum accusat, quia rubigo non domibus sed populo adhaereat; unde v. 11 male collocari post v. 9. 10.

ut sana membra salventur; non parcit ut parcat; crudelis est ut misereatur; nec considerat patientis dolorem, sed vulneris sanitatem iuxta illud evangelicum magis volens unum perire membrum quam totum corpus interfici ». Quam merito in eum finem minas fieri et opere compleri *S. Hier.* moneat, iam ex 23,27. 48 elucet.

k) **Luctus de ruina regni prohibebitur 24, 15-27.**

Quid in suprema calamitate, cum nuntius urbis captae et incendio deletae exsulibus affertur? Ne id quidem solatii habebunt ut publice edant luctum, ne scil. offendant victorum superbiam (*S. Hier.*). Id vates in se ipso exprimere et populo explanare iubetur; v. 15 « *Et factum est verbum Domini ad me dicens :* v. 16 *fili hominis ecce ego tollo a te desiderabile oculorum tuorum in plaga et non planges neque plorabis neque fluent lacrimae tuae ;* v. 17 *ingemisce tacens, mortuorum luctum non facies; corona tua circumligata sit tibi et calceamenta tua erunt in pedibus tuis nec amictu ora velabis nec cibos lugentium comedes* »! — Deus plaga vel ictu i. e. morte repentina tollet a propheta desiderium vel delicias oculorum eius, i. e. ex v. 18 uxorem eius; « nihil enim viro uxore bona amabilius, quae a Deo homini providetur et cui Domini lege coniungitur » (*S. Hier.*). Magnus in uxorem amor declaratur, quo acerbius fore significetur ab omni doloris et luctus levamine prohiberi in eius morte. In secreto tacitus permittitur gemitus, sed publice nullum prae se ferat luctus indicium : ne edat planctum neve ploratum immo *non veniet lacrima tua* (hebr.) neve illum permittat luctum fieri quo a praeficis, cognatis, amicis more gentis mortuis parentari solet; luctum mortuorum facere solebant ita ut humi sederent, vestes scinderent, caput cinere conspergerent, manus capiti imponerent vel pectus tunderent, femur percuterent, crines barbamque tonderent vellerentve, eiularent, carmina lugubria et lamentationes instituerent et a lamentatricibus et praeficis cantus lugubres canendos curarent. Accedebant quoque ad luctum demonstrandum ieiunia, vestes lugubres, capitis barbaeque obvelatio; omittebantur balnea, lotiones etc.; vide 1 Reg. 4,12. 2 Reg. 1,2; 15, 32; 19,4. 24. Ier. 16,6. Mich. 1,16 etc. Vates autem quidquam ex his facere prohibetur; e contra *ornatum* i. e. tiaram capiti circumliget, uti alias solebat, et calceis pedes induat — nudis pedibus enim David in signum luctus clivum olivarum ascenderat 2 Reg. 15,30 et Isaias ad calamitatem portendendam calceamenta tollere de pedibus iubetur Is. 20,2 — *neve obvelet barbam* seu *mystacem* (hebr.) neve admittat panem vel cibos quos amici mittere solebant lugentibus ad affectum

miserationis demonstrandum et ad solatium et levamen luctus; cf. Ier. 16,7. Os. 9,4 et Prov. 31,6 : date siceram moerentibus et vinum his qui amaro sunt corde. Talia igitur munuscula ab amicis submissa ne accipiat, ne ullo signo prodat se lugere.

Fit uti praedictum est atque praeceptum v. 18 « *locutus sum ergo ad populum mane, et mortua est uxor mea vespere; fecique mane sicut praeceperat mihi* » ; — mane locutus est ad populum ea quae a v. 3 etc. scripta sunt; et vespere eius uxor mortua est. Cum sequenti die nullum ederet luctus indicium, populus recte suspicatur aliquid subesse in modo agendi prophetae, v. 19 « *et dixit ad me populus : quare non indicas nobis quid ista significent quae tu facis* » ? — cur contra morem omnium faciat interrogant (*S. Hier.*); hebr. *nonne indicabis nobis* etc. idque melius sonat (estque modus petendi explanationem) quam expostulatio : quare non indicas? v. 20 « *et dixi ad eos : sermo Domini factus est ad me dicens :* v. 21 *loquere domui Israel : haec dicit Dominus Deus : ecce ego polluam sanctuarium meum, superbiam imperii vestri et desiderabile oculorum vestrorum et super quo pavet anima vestra; filii vestri et filiae vestrae quas reliquistis gladio cadent* » ; — Deus *profanabit* i. e. hostibus profanandum et delendum tradit templum, quod propter magnificentiam, gloriam et apud omnes admirationem vocat superbiam potentiae vestrae, desiderium (deliciae) oculorum vestrorum et amorem animarum vestrarum (hebr.). De templo, eximio artis et opulentiae monumento, gloriabantur apud alienigenas, in splendidissimo hoc opere totius gentis gloriam relucere considerabant idque tamquam decus praecipuum urbis et regni maximo animorum studio et amore prosequebantur eoque se ab exitio tutos existimabant (Ier. 7,4. Mich. 3,11). Cur in symbolo v. 16 uxor prophetae sit selecta et eo nomine amorem spirante designata, hac descriptione et appellatione templi declaratur. Sunt qui *desiderabile oculorum* etc. ad sequentia, ad filios filiasque referant vel referri posse censeant (*Tir. Calm.*); ultimum membrum iam LXX ita concipiunt, habent enim ὑπὲρ ὧν φείδονται αἱ ψυχαὶ ὑμῶν et ita quoque *Mald. Mar.;* sed ex collocatione verborum et forma sententiarum cum *S. Ephr. Hier.* et plerisque interpretibus de templo rectius explicabimus. Praeter hanc calamitatem communem suam quisque habebit privatam : filii vestri et filiae gladio cadent; ii scil. qui adhuc sunt in Ierusalem ex filiis et cognatis exsulum vario exitii genere interibunt.

Sed cum is nuntius ad exsules perferetur, non eis licebit sollemnem et publicum instituere luctum; neque enim Babylonii permittent, ut de sua victoria ab iis lugeatur; v. 22 « *et facietis sicut feci : ora amictu non velabitis et cibos lugentium non comedetis* » ; — hebr. barbam

vel mystacem (os cum barba) non obvelabitis; vestitu quoque utentur solito sine publico luctus indicio v. 23 « *coronas habebitis in capitibus vestris et calceamenta in pedibus; non plangetis neque flebitis sed tabescetis in iniquitatibus vestris et unusquisque gemet ad fratrem suum* »; — hebr. *decus vestrum super capita* i. e. solito more capita ornant, gestant tiaram, comam nutriunt; solum secreto, apud se moerore et dolore tabescent portantes et experientes poenam iniquitatum suarum et domi alter ad alterum gemet; cum soli sunt inter se neque testes Chaldaei luctum advertunt, iis licebit suspiria trahere. Dolor autem ita animis inclusus et vi cohibitus eos faciet magis *tabescere;* ita completur quod iam Lev. 26,39 dicitur: tabescent in iniquitatibus suis in terra inimicorum. Quid itaque agendi modus Ezechielis portendat, declaratum est v. 24 « *eritque Ezechiel vobis in portentum; iuxta omnia quae fecit facietis cum venerit istud, et scietis quia ego Dominus Deus* »; — Ezechiel re et actione sua eventum futurum adumbrat et vaticinatur; vide ad Is. 8,18; 20,3. Re impleta cognoscent minas Dei non fuisse inanes. Cum Ezechiel a Deo prohibitus sit ne publice ex more lugeat, quamvis dolorem senserit et secreto ei indulgere potuerit, cum praeterea dicantur v. 23 contabescere, inter se gemere, vis vaticinii et significatio non in eo est, ut praedicatur fore ut exsules calamitatem illam despiciant neque ulla eius tristitia vel dolore prae animi hebetudine tangantur; quae est sententia a *Hitz.* proposita qui insuper quasi de re inepta miratur, vatem ea praedicere de quibus a populo si alium agendi modum sequi voluerint mendacii coargui possit; posse enim populum pro lubitu ut vates esse deceptus videatur luctum peragere. Neque eo vaticinio animus plane impoenitens exsulum describitur (*Ewald*), neque a contrario dolor adeo magnus ut stupefacti et sui iam non compotes omnem luctum omittant et obliviscantur (*Keil, Sm.*); nam contra utrumque dolor ille secreto qui editur et suspiria intra parietes domesticos testantur. Verum ad exemplum Ezechielis qui a luctu prohibetur, ad verum vaticinium de eventu futuro, ad v. 23 *contabescere* et *inter se gemere* unice aptum est quod *S. Hier. Theod. Prad. Pint. Mald. Lap. Men. Calm. Loch* indicant, ipsis lugendi potestatem a victoribus non iri concessum neque eos propter metum Chaldaeorum ausuros esse lacrimari palam de sua calamitate.

Demum quid futurum sit urbe deleta vati innuitur v. 25 « *et tu fili hominis, ecce in die qua tollam ab eis fortitudinem eorum et gaudium dignitatis et desiderium oculorum eorum, super quo requiescunt animae eorum, filios et filias eorum,* v. 26 *in die illa cum venerit fugiens ad te, ut annuntiet tibi,* v. 27 *in die, inquam, illa aperietur os tuum*

cum eo qui fugit et loqueris et non silebis ultra, erisque eis in portentum et scietis quia ego Dominus »! — quanta spe et fiducia exsules animos et desideria in reliquias illas regni iudaici direxerint et quam firmiter sibi persuaserint fieri non posse ut Ierusalem templumque destruatur, ex vocibus in v. 25 patet; opinabantur enim ibi consistere firmum regni populique fulcrum; animis exsultabant de gloria et potentia urbis a Deo electae, illam appellabant *exsultationem decoris* (magnificam voluptatem), *desiderium oculorum, votum animae* vel vehementem animae cupiditatem, cuius scil. desiderio flagrent, ad quam possidendam summis votis aspirent. Praepostere quidem et inepte ita gloriabantur, quia veram pietatem qua unice tuta omnia consisterent non sequebantur; attamen iure monent *Prad. Lap. Tir.*, si vetus theocratia illis tam cara fuerit quanto magis nos deceat novam theocratiam, Ecclesiam Christi, summo complecti amore et de eius gloria exsultare; est quippe ea quam maxime fortitudo nostra firmumque tutamen, gaudium magnificum etc. Eo die quo prophetae nuntius afferetur de urbe capta et de regni ruina, aperietur os eius *cum eo qui fugit* i. e. simul atque ille expugnationis nuntius advenerit; usque ad illud tempus enim, prout 3,26. 27 indicatur, solum per intervalla locutus est ad populum mandato divino ad id speciatim accepto; sed illo nuntio perlato denuo cum omni libertate ad populum loquetur; interea autem silebit, ut populus vaticinio accepto ipsum rei eventum maiore exspectatione opperiatur. Quando nuntius iste advenerit, lege 33,21. Urbe enim expugnata et reliquiis regni destructis spes illa exsulum fatalis erat radicitus ablata; prophetae rerum eventu maxima accedebat auctoritas; quare animi exsulum iam melius disponebantur, ut monitiones prophetae audirent et ad instaurationem divinitus promissam eo modo se praepararent quo Deus vellet, vera scil. poenitentia et morum emendatione. Verus igitur exsilii fructus, quae erat vana exsulum spes urbe et regno aliqualiter stantibus, sperari non poterat nisi postquam concidit regnum; tum demum omni fulcro humano ablato et ira Dei effusa et apertissime demonstrata manifestum fiebat et in quantam miseriam se impietate abiecissent et non esse qui salvare posset nisi Deum. Ita discebant *scire* Dominum. Silentium autem propheticum per totum tempus obsidionis urbis etiam valebat, ut postmodum maiore aviditate loquenti aures praeberent.

Series quinta 25, 1-32, 32.

In antecedentibus iudicia Dei in populum electum descripta sunt.

Iam eadem iudicia in populos alios recensentur. Simili ratione vaticinia adversus alienigenas etiam apud Isaiam inseruntur, quibus ostenditur eandem normam valere quoque pro gentibus (vide Comment. in Is. I p. 296 seq.). Idem cernis apud Ieremiam qui iudicio in Iuda annuntiato eundem calicem furoris Domini reliquis quoque gentibus propinare iubetur (25,15 seq.) id quod in editione gracca etiam manifestius effertur, cum eo loco vaticinia contra gentes inserantur (cf. *Cornely*, Introd. II 2 p. 370. 384). Quanti autem momenti talia vaticinia sint, facile quisque perspexerit. Iis enim Dominus modo maxime sollemni omnibus proponitur tamquam gubernator ac moderator omnium, a cuius nutu et voluntate omnia terrae regna pendeant et qui ad suum regnum salutis stabiliendum etiam gentes in societatem operis vocare non dedignetur. Sicut itaque in vaticiniis messianicis theocratia describitur universalis omnesque complectens gentes, ita in oraculis contra gentes aperitur Dei dominium universale, aperitur quoque quomodo iam in V. T. in variis gentium fatis unum illud Dei consilium manifestetur quo omnia ad Dei regnum inter homines praeparandum diriguntur. Quae sit providentia supernaturalis in sortibus populorum et quibus ex normis de variis eventibus iudicium ferendum sit, prophetae in specula Dei constituti et divinis normis rerum cursum metientes nos oraculis suis docent.

Haec oracula in tres partes distinguuntur; in prima vaticiniis brevioribus gentibus vicinis Ammonitis, Moabitis, Edomitis, Palaestinis interitum denuntiat eo quod populum Dei afflixerint et de eius calamitate exsultaverint (cap. 25). In altera parte oraculo longiore (cap. 26-28) Phoenicibus, Tyro et Sidoni, exitium annuntiatur et ruina quae quo magis opibus et divitiis eminuerint eo erit terribilior. Demum tertia parte (cap. 30-32) Aegypti gloria, superbia, ruina describitur. Oracula ea vario tempore vates a Domino accepit; aliqua intra tempus obsidionis Ierusalem dum apud exsules silens morabatur (24,27) : ita effatum in Aegyptum 29,1-16 anno decimo Sedeciae decimo mense; illud 30, 20-26 anno eiusdem undecimo primo mense; illud 31 cap. anno eodem tertio mense; oraculum in Tyrum 26,1 anno pariter undecimo, sed quo mense? ex v. 2 et exsultatione Tyri videtur collocandum post expugnationem Ierusalem; oraculum cap. 32 anno duodecimo a transmigratione Ioachin mense duodecimo et effatum 29,17-21 anno eiusdem vigesimo septimo. Aliis oraculis tempus non est adscriptum. Apte autem ea oraculo hoc loco collocari, ex ipso argumento conficitur. Iis enim iudicia Dei in gentes describuntur, unde iis adiectis prior libri pars de iudiciis Domini in populum suum et in gentes rite absolvitur et symbola iudicii et ultionis divinae quae vati in theophania

ostensa sunt suam nanciscuntur explicationem. Ea autem iudicia in gentes effert quae a Babyloniis exercebantur quasi interpretans illud Ieremiae et in eo se continens : et servient omnes gentes regi Babylonis (Ier. 25,11); unde sicut Babylonius exsecutor est iudicii Dei in Ierusalem, ita eundem exhibet quoque administrum ultionis in gentes. Quare haud inepte priori libri parti inscribes : iudicia Dei per Chaldaeos.

1. *Oracula in gentes vicinas* 25, 1-17.

ARG. — Ammonitae tradentur vastationi et direptioni, quia magno cum contemptu populum Dei irriserunt de eius ruina exsultantes et tripudiantes (25,1-7). Propter similem iniuriam etiam Moabitae similem cum Ammonitis poenam subibunt (25,8-11). Propter odium et inimicitias Edomitarum et Palaestinorum in populum Dei ipsi iram Dei et ultionem experientur (25,12-17).

a) **In Ammon et Moab 25, 1-11.**

Urbe capta et templo Dei profanato et terra Domini vastata gentes, quae dei nationalis potentiam et gloriam ex populi potentia et gloria metiri solebant, ipsum Iahve quasi impotentem et devictum irridebant. Quare Dei honor vindicandus erat; vindicabatur autem efficaciter eo quod idem Iahve quem superatum credebant, per prophetam suum irrisoribus illis suam vim et potestatem puniendi demonstrabat et ab iis poenas irrisionis repetebat. Unde quales daturi sint poenas blasphemae derisionis propheta annuntiare iubetur v. 1 « *Et factus est sermo Domini ad me dicens :* v. 2 *fili hominis pone faciem tuam contra filios Ammon et prophetabis de eis* »! — ponere faciem vide 6,2; 13,17; de iis iam vaticinatus est 21,28-32; v. 3 « *et dices filiis Ammon : audite verbum Domini Dei : haec dicit Dominus Deus : pro eo quod dixisti : euge, euge super sanctuarium meum quia pollutum est et super terram Israel quoniam desolata est et super domum Iuda, quoniam ducti sunt in captivitatem,* v. 4 *idcirco ego tradam te filiis orientalibus in hereditatem et collocabunt caulas suas in te et ponent in te tentoria sua ; ipsi comedent fruges tuas et ipsi bibent lac tuum* »; — priore igitur oraculo quo eis propter derisum mucro Domini denuntiatur parum sunt eruditi; iterum insultarunt et gavisi sunt de templo Domini profanato, de terra Israel vastata, de Iudaeis in exsilium abductis; unde denuo commiserunt de quo iam conquestus est Sophonias 2,8. *Euge* hebr. הֶאָח praecipue adhibetur ab eo qui de casu inimici exsultat

triumphans et eius calamitati cum gaudio et voluptate insultat; cf. Ps. 35, 21; 40,16 (hebr.). Ez. 26,2; 36,2; vox sonum laetantis et cachinnantis imitatur et de hinnitu equi quoque dicitur Iob 39,25. Quia gavisi sunt de terra Israel vastata, ipsorum terra et possessiones Dominus tradet filiis orientis בְּנֵי קֶדֶם, quo nomine ii appellantur qui Arabiam tractusque terrae usque ad Euphraten incolunt (vide ad Iob 1,3). Unde postquam Ammonitae eo modo quo 21,28-32 dictum est puniti sunt et magnam partem interfecti, tribus vicinae in eorum possessiones migrabunt. Istis tribubus nomadum urbes Ammonitarum destructas et regionem datum iri confirmatur v. 5 « *daboque Rabbath in habitaculum camelorum et filios Ammon in cubile pecorum; et scietis quia ego Dominus* »; — urbs quae superbo nomine *maxima* (*S. Hier.*) vocatur erit stabulum camelorum. Ptolemaeus II Philadelphus rex Aegypti urbem instauravit eamque ex nomine suo Philadelphiam nuncupavit (*S. Hier.*), sed nomen quoque Amman apud indigenas et Rabbatamana apud Graecos conservabatur; ruinae eius hodiedum ostenduntur.

Non solum regio eorum aliis tradetur, sed etiam gens Ammonitarum interibit, quae poena gravissima est, cum tribus orientales stirpis generisque nobilitatem et conservationem maximi aestiment. Sed quia Ammonitae Domino quasi victo et cum suo sanctuario simul prostrato insultabant et de populo Dei inter gentes disperso et conculcato insolenter exsultabant, iuremerito eventurum dicitur id eorum genti quasi per poenam talionis quod ut fieret populo Dei vehementer optabant; v. 6 « *quia haec dicit Dominus Deus : pro eo quod plausisti manu et percussisti pede et gavisa es ex toto affectu super terram Israel*, v. 7 *idcirco ecce ego extendam manum meam super te et tradam te in direptionem gentium et interficiam te de populis et perdam de terris et conteram; et scies quia ego Dominus* »! — en quomodo gentibus procacibus vates ostendat Dominum nequaquam esse victum vel potentia destitutum. Hebr. *laetata es cum omni contemptu ex animo* (*Vat. Mald. Mar.*); « tanta fuit insultandi lascivia, ut cunctus simul populus manibus et pedibus concreparet et ex toto cordis clamaret affectu, eo quod terra Israel esset desolata; propterea ipse Dominus extendens manum suam ad percutiendum tradet eam in direptionem... gentibus, ut de populorum numero penitus eradicetur et pereat et redigatur ad nihilum, et postquam contrita fuerit, tunc intelligat quod ipse sit Dominus qui cuncta diiudicet et in omnes terras habeat potestatem » (*S. Hier.*).

Ab Ammon vates transfert prophetiam ad eius fratrem et finitimum, ad Moab (*Prad.*). Moabitae ex ruina Iudaeorum inferebant neque Deum Iuda diis esse potentiorem neque populum Iuda prae reliquis

gentibus eminere vel speciali numinis protectione frui; immo exsultabant triumphantes quod quae Iudaei de sua incolumitate et de stabili theocratiae ratione sibi promiserint iam prorsus concidissent. Ex verbis Moabitarum elucet peculiarem illam populi electi prae aliis dignitatem quam Iudaei sibi ex divina electione vindicabant iis cognitam fuisse; v. 8 « *haec dicit Dominus Deus : pro eo quod dixerunt Moab et Seir : ecce sicut omnes gentes, domus Iuda!* v. 9 *idcirco ecce ego aperiam humerum Moab de civitatibus, de civitatibus inquam eius et de finibus eius, inclytas terrae Bethiesimoth et Beelmeon et Cariathaim* v. 10 *filiis orientis cum filiis Ammon et dabo eam in hereditatem, ut non sit ultra memoria filiorum Ammon in gentibus,* v. 11 *et in Moab faciam iudicia et scient quia ego Dominus* »; — cur hic iam fiat mentio Seir vel Edom, mirum videri potest, quia in subsequenti commminatione de Seir non est sermo et statim proprium de eo oraculum subiungitur. Unde textus gr. qui ea voce caret praeferendus videtur; iam *S. Hier.* monet id in LXX non haberi sed de Theodotionis editione esse additum. « Isti insultaverunt domui Iudae putantes sicut in ceteris gentibus non ibi esse auxilium Dei et ideo regnum Iudae et Ierusalem Dei praesidio destitutum patuisse Babyloniae potestati » (*S. Hier.*); ne ergo Dominus ceteris idolis aequipararetur, necesse erat ut suam ostenderet potentiam; quare et irrisores puniuntur et populum suum propter nominis sui gloriam postmodum restituet: propter me, propter me faciam, ut non blasphemer (Is. 48,11). Verbis illis Moabitae simul produnt se invidia prosequi Iudaeos quia de divinis promissis gloriati essent, se in Iudaeis odio habere divinam electionem et favorem. Quare Deus *aperiet humerum* i. e. latus vel aditum ad Moab, fines Moab; ita *humerus* quoque de latere aedificii dicitur. Hostibus, filiis scil. orientis (v. 4) Deus viam aperiet ad regionem Moab et per regionem Moab (*Vat. Troch.*); cf. Is. 11,14. Alii *humerum* de robore et fortitudine, vel de praesidiis, arcibus, urbibus munitis accipiunt; ita iam LXX ut videtur παραλύω, *Theod.* : robur ipsorum destruam, *S. Hier. Chald. Prad. Mald. Mar. Lap. Calm.;* sed ex usu vocis alias conspicuo prior acceptio cum recentioribus erit eligenda.

Via autem in regionem Moab aperitur *de civitatibus,* ἀπὸ πόλεων, *ab extremo eius* (scil. Moab, hebr.) q. d. ut per civitates in limine terrae sitas via aperiatur, quibus scil. destructis et munimentis deiectis liber aditus omnibus patet. Aperietur porro tribubus nomadum *ornamentum terrae,* regionis pars praeclarissima, fertilissima, pecoribus nutriendis aptissima (cf. Num. 32,4) quae pars tribus urbibus nominatis accuratius determinatur. Bethiesimoth ad Iordanem contra Iericho situm erat (Num. 33,48. 49); eius urbis mentio quoque fit Ios. 12,3; 13,20;

Beelmeon i. e. Baal Meon vel pleno nomine Beth Baal Meon, etiam Beth Meon haud ita longe distabat meridiem versus ab Hesebon (cf. Num. 32,28. Ios. 13,17. 1 Par. 5,8. Ier. 48,23), cuius oppidi etiam Mesa meminit in inscriptione nomine suo nota; *et Cariathaim versus* hebr.; cf. Ier. 48,1. 23; iam ab *Eusebio* et *S. Hier.* sub nomine Καριάς, Coraiatha decem milliariis romanis occidentem versus a Medeba oppidum describitur. Haec regio olim Rubenitis erat attributa (Num. 32,37. Ios. 12,3; 13,20), quam Moabitae postmodum occuparant. Iam tradetur filiis orientis simul cum regione filiorum Ammon in hereditatem, « ut quomodo filiorum Ammon non est memoria ultra in gentibus, sic et in Moab ultiones faciam atque iudicia, ut cognoscant quod ego sim Dominus qui Iudam tradidi pro peccato et in filios Ammon et in Moab ultor exsistam » (*S. Hier.*). Iudicium autem tale in Moabitas et Ammonitas exerceri coeptum est, uti *Prad.* aliique ex Iosepho (Antiq. 10,9. 7) monent anno quinto post urbis Ierusalem destructionem, cum rex Babylonis in Syria inferiore castrametatus eam detineret et tribus quoque illas expugnaret. In regionem vastatam et magnam partem ab incolis destitutam Arabum nomadum tribus immigrasse facile intelligitur.

Alii in v. 9 מִן accipiunt sensu privativo : *sine civitatibus* sed ita ut explicent : regionem Moab reddam vacuam civitatibus (*Hitz. Sm. C.*); quod additur, *ab extremo eius* מִקָּצָהוּ exponunt simili modo sicut Gen. 19,4. Is. 56,11. Ier. 51,31 invenitur, ut totus rei ambitus designetur; igitur : regionem ab omnibus civitatibus vacuam reddam, vel aperiam humerum Moab, ita ut fiat sine urbibus omnino. Sed cum statim aliquae urbes nominentur quas aperiet, haec explicatio h. l. non videtur admitti posse.

b) **In Edom et Palaestinos 25, 12-17.**

Edomitarum in Iudaeos odium a prophetis non uno loco reprehenditur; cf. Ier. 49,16. Ioel 3,19. Am. 1,11. Abd. 10 seq. et quomodo gavisi fuerint in ruina urbis, lege Lament. 4,21. Ps. 138,7. Quod gaudium eo magis eorum ostendit perfidiam, sicut et Moabitarum et Ammonitarum, quia antea foedere cum Sedecia inito iugum babylonicum avertere studuerant (Ier. 27,3). Dum Moabitis et Ammonitis gaudium exprobratur et tripudium de ruina urbis, Edomitae gravioris iniuriae accusantur v. 12 « *Haec dicit Dominus Deus : pro eo quod fecit Idumaea ultionem ut se vindicaret de filiis Iuda, peccavitque delinquens et vindictam expetivit de eis*, v. 13 *idcirco haec dicit Dominus Deus : extendam manum meam super Idumaeam et auferam de ea hominem et iumentum et faciam eam desertam ab austro, et qui sunt in Dedan gladio cadent* »; — igitur Edomitae odium suum in

Iudaeos simili modo exercebant, sicut l. c. apud Ioel, Am. Abd. olim accusabantur, dum Iudaeos fuga dilapsos vel venderent in servitutem vel trucidarent; ita Ez. 35,5 Edom « inimicus sempiternus, conclusit filios Israel in manus gladii in tempore afflictionis eorum ». *Ultio* haec erat et vindicta, quia olim Iudaeorum regno erant subiecti saepius devicti armis Iudaeorum (cf. 2 Reg. 8,14; 4 Reg. 14,7. 22. 2 Par. 25, 11). Eo vero in populum cognatum odio culpam incurrit Edom haud parvam; quare Deus manum suam extendet, plagas infliget Edomitis et eam auferet benedictionem quam Esau a patre Isaac nactus erat: in pinguedine terrae et rore coeli desuper erit benedictio tua (Gen. 27,39); deletis hominibus et iumentis regio in solitudinem et desertum redigetur *a Theman et usque ad Dedan* (*Dedan versus*) *gladio cadent* (hebr.); Theman Idumaeorum regio est et vergit ad australem plagam, ut ait *S. Hier.* (cf. ad Am. 1,12. Ier. 49,7. Abd. 9), sed idem etiam villam novit nomine Theman distantem ab urbe Petra quinque millibus (idem *Eusebius* in Onom. s. v. Θαιμάν). Dedan appellatur gens quae a Iecsan, filio Abraham, descendit Gen. 25,3. Is. 21,13. Ier. 25,23. Regionem edomiticam in solitudinem redactam lege Mal. 1,3 : posui montes eius in solitudinem et hereditatem eius in dracones deserti, atque id quidem sine ulla instaurationis spe : isti aedificabunt et ego destruam et vocabuntur termini iniquitatis et populus cui iratus est Dominus usque in aeternum (Mal. 1,4).

Deus quippe quod olim statuerat : maior serviet minori (Gen. 25, 23) ratum fixumque esse vult. Unde « cum illi se de Iuda ulti fuerint, ego dabo ultionem super Idumaeos per manum sive in manu populi mei Israel, ut ab his opprimantur in quos exercuerunt vindictam » (*S. Hier.*); v. 14 « *et dabo ultionem meam super Idumaeam per manum populi mei Israel et facient in Edom iuxta iram meam et furorem meum et scient vindictam meam, dicit Dominus Deus* »; — quomodo Deus ultionem det *in manum* populi Israel, bene explicat *Mald.* allegans Abd. 17-19; adde Num. 24,18 : et erit Idumaea possessio eius et Is. 11,14 et Am. 9,12. Eius ultionis partem iure quoque videris cum *Pint. Lap. Men. Tir. Calm. Loch, Troch.* in victoriis tempore Machabaeorum de Edomitis reportatis et in eorum subiectione 1 Mach. 5,65. 2 Mach. 10,16. *Iosephus,* Antiq. 13,9. 1. Minus placet quod aliquibus placuit *per manum populi mei* posse significare : occasione vel causa iniuriae populi mei (*Prad.*).

Etiam Philisthaei odio et contemptu Iudaeos devictos prosecuti sunt; vide 16,27. 57. Probabile est urbe capta multos quoque Iudaeorum, sicut fugiebant in Moab, Ammon, Edom (Ier. 40,11), ita quoque ad vicinos Philisthaeos esse dilapsos, quos hi male tractabant quemadmo-

dum olim fecerant Am. 1,6. Id enim ex verbis ipsis colligitur v. 15 « *haec dicit Dominus Deus : pro eo quod fecerunt Palaestini vindictam et ulti se sunt toto animo interficientes et implentes inimicitias veteres,* v. 16 *propterea haec dicit Dominus Deus : ecce ego extendam manum meam super Palaestinos et interficiam interfectores et perdam reliquias maritimae regionis,* v. 17 *faciamque in eis ultiones magnas arguens in furore, et scient quia ego Dominus, cum dedero vindictam meam super eos* »; — hebr. *ulti sunt cum contemptu in animo ad perdendum inimicitiis sempiternis* (cf. *Vat. Mald. Mar.*); populum Dei igitur *perdere,* exscindere, plane delere cupiebant idque cum contemptu qui odio illo antiquissimo augebatur et inimicitia implacabili. In hebr. adest paronomasia הִכְרַתִּי אֶת כְּרֵתִים quam *S. Hier.* imitatus est, sed cum aliquo sensus dispendio; nam hebr. id fert quod rite transtulerunt LXX ἐξολοθρεύσω Κρῆτας; erant enim Crethi, Cerethi, tribus quaedam Philisthinorum partem meridionalem regionis incolens (1 Reg. 30,14) de quibus vide quae notavi ad Soph. 2,5 et quae scripsit *de Hummelauer* ad 2 Reg. 8,18. Perditum iri *reliquias* i. e. gentem integram ita ut ne reliquiae quidem supersint iam minatus erat Is. 14,30. Am. 1,8. Ier. 47,4.

Refert *S. Hier.* reliquos interpretes *Aq. Sym. Theod.* ipsum verbum hebr. retinuisse quod scribit *chorethim* et a verbo כָּרַת explicat *interfectores. Aq.* praebet Χερεθθιείν, *Theod.* χαριθείμ; *Sym.* ὀλεθρίους; ita ex codd. 86. 88. syr. hex. apud *Field.* A praebet χριτας σιδωνος, sed per itacismum facile deprehendes κρητας; K Cretenses.

2. *Oracula in Phoenices. Cap.* 26-28.

Arg. — Uti Tyrus maiore potentia et splendore insignis est quam gentes Moabitarum, Ammonitarum etc., ita oraculum de eius ruina magnificentiore quoque modo proponitur. Et in cap. 26 quidem quattuor strophis quae eadem formula : haec dicit Dominus, distinguuntur ruina Tyri praedicitur : v. 2-6 gentium exercitu diruetur; v. 7-14 hostis qui ruinam sit allaturus nomine designatur et qualis futura sit eversio pluribus describitur; v. 15-18 exponitur quanta stupefactione omnes eo nuntio audito sint afficiendi; v. 19-21 rei summa de vastatione et destructione breviter, sed graviter repetitur. Atque in cap. 27 hunc Tyri casum vates prosequitur carmine lugubri; prius enim sub metaphora elegantissima navis magnificentissimae Tyri opulentiam, splendorem, subsidia et apparatum bellicum depingit (27,1-11) et commercii amplitudinem et opes delineat (27,12-25). Dein urbis casum eidem insistens metaphorae tamquam naufragium describit, quo navis cum omnibus opibus subito perit, de qua calamitate ingens undique tollitur clamor et lamentatio (27,26-36). Demum cap. 28 idem argu-

mentum alio modo retractatur; praedicitur enim regis Tyri superbia castigata eius casus ignominia plenus (28,1-10), qui carmine lugubri et lamentatione funebri celebratur (28,11-19). Denique minae adduntur contra Sidonem ob peccatum in Israel commissum; populo autem Dei reditus ex captivitate promittitur, ut quo Dei consilio ultio exerceatur in gentes omnes addiscant (28,20-26).

a **Ruina Tyri 26, 1-14.**

Phoenices quoque de ruina Ierusalem exsultarunt; quare pari modo contra eos Deus ostendet suam potentiam; v. 1 « *Et factum est in undecimo anno prima mensis, factus est sermo Domini ad me dicens* »; — annum intellige undecimum transmigrationis Iechoniae (1,2) qui est idem undecimus Sedeciae regis; quotus mensis fuerit, deest; numerus casu excidit, in A *primus* assignatur mensis (neque tamen in K, Ar, L); sed cum v. 2 ruina urbis iam facta dicatur, ille mensis falso ponitur. Cum urbs quarto mense capta sit, complures quintum mensem supplent (*Prad. Lap. Men. Tir.*), alii, cum urbs quinto mense destructa sit, sextum (*C.*); *Vat.* mensem illum intelligi censet ipso textu a quo desolata fuit urbs. Sed quid scripserit vates, incertum manet; v. 2 « *fili hominis, pro eo quod dixit Tyrus de Ierusalem : euge confractae sunt portae populorum, conversa est ad me; implebor, deserta est!* v. 3 *propterea haec dicit Dominus Deus : ecce ego super te Tyre, et ascendere faciam ad te gentes multas, sicut ascendit mare fluctuans* »; — in subseq. ita saepius de Tyro loquitur, ut urbem in insula aedificatam clare designet; vide 26,5. 14. 19; 27,4. 32; 28,2. Aliis in locis urbem in terra continenti sitam respicit : 27,3 in introitu maris et 26,7 seq.; quare Tyrum intelligit urbem utramque et Palaetyrum in continenti aedificatam et urbem insulanam distantem a terra 1200 passus (cf. *Movers,* Phoenizier II 1 p. 183 seq.); igitur eo modo de urbe loquitur, quo scriptores etiam profani et poetae urbem nominant simul in mari et in terra sitam (*Movers* l. c. 189). Tyrii capta urbe Ierusalem et destructa gaudent quod confractae sunt portae populorum vel *porta* i. e. valvae (hebr.). Quo sensu? pervulgata est explicatio de urbe ad quam undique populi confluant, quae sit emporium frequens ad quod religionis et commercii causa ex toto orbe concursum sit (cf. *Prad. Pint. Mald. Lap. Calm. Loch, Troch.*), quo sensu verba iam accepit *Chald.* : quae praebebat commercium omnibus populis. Illi itaque urbem *portam* populorum dici censent quia magna in auctoritate urbs habebatur, qua re invidia Tyri excitabatur. Sed in textu hebr. proprie sermo est de valvis, de ianua et valvae dicuntur confrac-

tae. Si igitur valvae intelliguntur per quas populi ingredi solebant, cur urbe diruta valvae dicuntur fractae? Valvae non adhiberi solent pro emporio vel foro vel loco comitiorum, uti *porta* quandoque usurpatur; valvae fractae non sunt impedimento ingredientibus vel transeuntibus, ita scil. ut populi iam non ad Ierusalem sed ad Tyrum iter dirigant: ipsam urbem autem valvas populorum appellari eo modo ut effractio non ad valvas sed ad urbem valvis designatam referatur, satis coactum videtur. Unde aliqui recentiores (*Sm. C.*) urbem valvas populorum vocari opinantur quia a Iudaeis mercatores vectigalibus impositis impediti sint quominus libere Tyrum pergerent; proinde Ierusalem fuisse quasi ianuam clausam qua profectio tribuum et commercium cum Tyro impedita sint; unde Tyrum iam exsultare quod valvae illae effractae sint et iter apertum ac liberum. Quae sententia ad verba magis consentanea videtur. Sed ipsa dictio *valvae populorum* est plane singularis. Planus autem et facilis est textus graecus, quo duo verba exhibentur : συνετρίβη, ἀπόλωλε : Ierusalem scil. euge confracta est, interiit; unde mihi probabilius est gr. legisse דלתה pro mas. דלתות; verbum דלה Prov. 26,7 gr. redditur ἀφαιρεῖν. Ad gaudii significationem optime duplex exclamatio facta est. Pergitur gr. : gentes conversae sunt ad me. Alterius versionis meminit quoque *S. Hier.* omissa porta; confractae sunt gentes. Aliae quoque rationes emendandi textum propositae sunt : euge confracta est (Ierusalem); portae populorum convertuntur ad me i. e. portae populorum iam nullo modo referuntur ad Ierusalem, sed ad unamquamque gentem quae quasi in domo sua habitans consideratur et domus portas aperiens Tyrum versus, ut sicut antea in urbem Ierusalem migraverint, ita iam ad Tyrum se convertant.

Quomodocumque eam sententiam explicaveris, id ex sequentibus clare colligitur Tyrios ex ruina urbis Ierusalem non parvum sibi obventurum esse emolumentum sperasse; clamant enim tripudiantes : *conversum est ad me* i. e. res et opes quae antea in Ierusalem confluebant iam ad se dirigi censent; vel ut alii concipiunt : porta illa qua antea populi impediebantur iam aperta est ad me. Ierusalem enim dominabatur in mercatorum vias quibus e Phoenicia in Idumaeam et ad mare rubrum, et ex Aegypto ad Euphraten perveniebatur (*Movers* l. c. II 3 p. 204). Unde urbe destructa maius sibi lucrum promittunt; « quia illa deserta est, idcirco ego implebor » (*S. Hier.*). Phoenices sua superstitione suisque moribus gentes inficiebant; dum staret theocratia, impedimento esse videri iis poterat, ne sua auctoritate plurimum in omnes valerent; ipsum etiam commercium ab Hierosolymitanis magnam partem impediri vel tributo imposito difficilius reddi facile poterat. Verum pro aucto commercio et lucro aliud Deus minatur, non sine sar-

casmo : alia enim ratione quam ipsi sperant res convertetur ad Tyrum et Tyrus implebitur; confluent ad eam gentes, neque tamen ad lucrum et commercium, sed ad oppugnationem et ruinam. Idque Deo duce et imperatore erit v. 4 « *et dissipabunt muros Tyri et destruent turres eius, et radam pulverem eius de ea et dabo eam in limpidissimam petram;* v. 5 *siccatio sagenarum erit in medio maris, quia ego locutus sum, ait Dominus Deus, et erit in direptionem gentibus* »; — ultimum exitium iis statim ob oculos ponit. Munimenta urbis et altae turres penitus destruentur; immo ne vestigium maneat antiqui splendoris, ipsum ruinarum pulverem Deus radet de ea, ita ut denuo evadat limpida petra. Insula enim illa maximam partem petrosa erat, ita ut non sine ingenti labore necesse fuerit humum afferre (cf. *Movers* l. c. II 1 p. 193). Atque superba urbs quae in mari dominabatur ita demum evertetur, ut nihil remaneat nisi petra ad retia expandenda et siccanda opportuna. Et qui omnium gentium opes sibi lucrari sperabant, ipsi gentibus cedent in praedam.

Atque simul cum urbe in insula sita affligentur oppida in litore maris, in continenti terra v. 6 « *filiae quoque eius quae sunt in agro gladio interficientur et scient quia ego Dominus* » ; — « in agro sive in campo, hoc est in Phoenices litore, urbes et oppida, vici atque castella interficientur gladio; metaphoricῶς quia filias appellavit, interfectionem ponit gladii, ut rerum fine cognoscant me esse Dominum qui fieri ista praecepi » (*S. Hier.*). Quemadmodum apud Isaiam cap. 13 advertitur, propheta uno quodam conspectu proponit ad quem tandem statum et sortem urbs perventura sit. Uti Babylon non statim post occupationem Cyri in eam redacta est solitudinem quam Isaias describit, ita Tyrus quoque minime uno ictu est prostrata; in limpidissimam petram et in siccationem saginarum non est redacta nisi fere post 1900 annos; vide meum comment. in Is. I p. 445. Propheta igitur Dei normam summatim proponit ab omni tempore absolutam. Eo modo prophetas haud raro loqui multis exemplis indubie constat (cf. *Cornely,* Introd. II 2 p. 298 seq.); Ezechielem vero etiam h. l. ita esse explicandum neque dicendum eum putasse haec omnia statim fore et proinde deceptum esse, colligi debet ex Isaiae vaticinio quo Tyro iterum melior sors promittitur (Is. 23,17) et quod oraculum Ezechieli notum erat, et colligitur ex iis ipsis quae postea 29,18 de obsidione Tyri refert. Hoc igitur loco minas ita inducit, ut statim ad extremum exitium properet, quo efficacius quasi per compendium retundat arrogantiam Tyriorum exitu rerum ostenso.

Exhibito igitur termino ad quem ultimatim res tyriae perventurae sint, alio effato Domini eis illum ostendit per quem proxime compri-

menda sit et punienda audacia et superbia, v. 7 « *quia haec dicit Dominus Deus : ecce ego adducam ad Tyrum Nabuchodonosor regem Babylonis ab aquilone, regem regum, cum equis et curribus et equitibus et coetu populoque magno;* v. 8 *filias tuas quae sunt in agro gladio interficiet et circumdabit te munitionibus et comportabit aggerem in gyro et elevabit contra te clypeum* »; — iam per Ieremiam magnatibus Tyri et Sidonis calix vini furoris Domini erat praedictus eorumque legatis vincula transmissa in signum servitutis a Domino iis imponendae (Ier. 25,22 et 27,3); hoc oraculum qua ratione iamiam implendum sit Ezechiel docet. De titulo regis regum vide ad Is. 10,9. Dan. 2,37; qui multos reges sibi habet subiectos et tributarios, merito illo titulo honoratur. Apparatus bellicus describitur quo integram Phoenicum ditionem facile devastet, oppida in continenti sita expugnet, incolas interimat et demum in ipsam metropolim impetum bellicum convertat. Obsidionem urbis more solito exhibet ita, ut praecipue urbem in continenti sitam ob oculos habeat vel saltem, si malueris, ea quae ad obsidionem urbis insularis proxime spectant non commemoret. Neque a vate oportet postulari ut singula quae artis bellicae sunt recenseat; neque enim belli ducem vel rerum curiosum agit narratorem; sed muneris eius solum est minas eo modo proponere ut et intelligantur et ad terrorem incutiendum aptae sint. Id autem perquam bene fit, si describit hostem numero armisque potentissimum omnem moliri conatum, bellicas admovere machinas cunctasque obsidendi expugnandique artes adhibere, ut Tyrios superet et a sede pellat. De voce דָּיֵק vide 4,2; 17,17; 21,27. Hebr. *et aggeret contra te aggerem;* illud *in gyro* non adest in hebr. idque bene, quia Tyrus urbs insularis non undique erat cincta, sed cum per tredecim annos Tyrii obsidionem sustinerent, liberum commeatum a mari habere debebant. Quid sit *elevare clypeum* vel erigere scutum, iam bene explicant *Mald. Mar. Lap. Tir. Calm.* de testudine q. d. « sublatis consertisque clypeis milites contra te testudinem de more facient; erat enim testudo continuata clypeorum series » (*Lap.*); ea tecti ad muros appropinquare eosque suffodere tentabant. De equitibus in exercitu babylonico vide 23,23. Hab. 1,8 et cf. *G. Rawlinson,* Five Monarchies, 2 ed. III p. 10; quare aliqui immerito coniiciunt ex mentione equitum concludendum esse non agi h. l. de Babyloniis.

Ad haec alia quoque addet v. 9 « *et vineas et arietes temperabit in muros tuos et turres tuas destruet in armatura sua* »; — vineae apud Latinos vocabantur machinae bellicae in similitudinem vitis compluviatae et viminibus contextae, quibus tecti milites muros urbis oppugnatae subruebant. Hebr. מְחִי קָבָלוֹ certe etiam de bellica aliqua

machina dicitur et cum de moenibus agatur, optime cum plerisque explicabitur de ariete quo moenia percuti solebant in obsidione; quare קבל nomen esse videtur arietis : *et percussionem arietis sui dabit in moenia tua;* 21,27 legebatur כָּר; etiam cod. XII in margine habet καὶ τοὺς κριοὺς αὐτοῦ. Bene ad sensum vertit *S. Hier.* in armatura sua: hebr. proprie *in gladiis suis,* sed cum *gladii* ad deiiciendas turres non adhibeantur, vocem eam si genuina est oportet explicari de instrumentis ferreis vel cum *Chald.* de lapidibus ferreis i. e. ut *Mald.* explicat de globis ferreis qui tormentis machinisque in turres iaciuntur. Alii vocem interpretantur de uncinis ferreis, de securibus, de malleis acuminatis quibus lapides diffringantur et turres diruantur; alii exponi posse putant per aliquam breviloquentiam : per milites gladiis armatos.

LXX habent καὶ τὰς λόγχας αὐτοῦ ἀπέναντί σου δώσει; unde ורמחיו קבלך legisse videntur; eo enim modo רֹמַח redditur gr. Ez. 39,9. Neh. 4,13. 16; in subseq. : moenia tua et turres tuas deiiciet in gladiis suis. *Theod.* vertit καὶ πρόσκρουσμα ἐνσεισμοῦ αὐτοῦ δώσει; ex *Aq.* versione restat καὶ προδρόμους αὐτοῦ. *Syrus* partim sequi videtur LXX : cuspides lancearum suarum; *Chald.* : percussionem tormentorum suorum; legit igitur hebr. מחי et קבל reddit פגוזא (πηγάς, πάγος? vide *Levy*, Chald. Woerterb. II p. 252). Vox קבל etiam versione graeca confirmatur; sed toto contextu significatio machinae bellicae ei imponitur. *Ges.* hebr. dictionem explicat : percussio rei oppositae, et ita ad notionem arietis pervenit; alii opinantur vocem trahi posse ad קבע, ut fere testudinem vel vineam dicat et percussio intelligatur facta a militibus sub testudine latentibus; verum id longius repetitur. Etiam haec est proposita textus emendatio : וימח קבלו נתיב (ב) המותיך : et perrumpet e regione eius viam per moenia tua; cf. Jahrbücher f. prot. Theologie 1888, p. 440.

Oppugnantium multitudinem ad terrorem incutiendum describit v. 10 « *inundatione equorum eius operiet te pulvis eorum, a sonitu equitum et rotarum et curruum movebuntur muri tui, cum ingressus fuerit portas tuas quasi per introitum urbis dissipatae* » ; — hebr. *prae multitudine equorum eius operiet te pulvis eorum;* ita LXX quoque et etiam *S. Hier.* explicat : « tanta est multitudo equitum eius, ut pulvere equitatus et sonitu ululantis exercitus rotarumque strepitu et equorum hinnitu urbis fundamenta moveantur ». Simile est illud in causa dissimili Is. 60,6 : inundatio camelorum operiet te; cum equi et currus praetercurrentes soleant domos tremefacere (*Mald.*), hyperbolice muros tremere et concuti prae strepitu dicit, cum exercitus sit urbem ingressurus, *sicut intrari solet in urbem effractam* vel diruptam (hebr.), cuius scil. moenia diruta sunt et vi deiecta. Iam terrores describit qui in urbe vi capta adesse solent : nulli rei neque sacrae neque profanae

parcitur; caedes ubique et rapina et vastatio : v. 11 « *ungulis equorum suorum conculcabit omnes plateas tuas; populum tuum gladio caedet et statuae tuae nobiles in terram corruent;* v. 12 *vastabunt opes tuas, diripient negotiationes tuas et destruent muros tuos et domos tuas praeclaras subvertent et lapides tuos et ligna tua et pulverem tuum in medio aquarum ponent* »; — hebr. *columnae* tuae magnificae corruunt; uti *Iosephus* ex Menandro ephesio refert (c. Ap. 1,18), Hiram Tyriorum rex, Salomonis coaetaneus, auream columnam in templo Iovis collocavit, et Herodotus quoque narrat (2,44) visas a se esse in templo urbis columnas duas, auream alteram, alteram smaragdinam; columnas symbola Baal intellige; dum illae corruunt, numen tyrium esse victum et superatum indicatur; cf. Is. 46,1. Ier. 50,2; de columnis vide *Movers* l. c. I p. 345.

Inter terrores oppugnationis voluptates quoque et lascivia silebunt, v. 13 « *et quiescere faciam multitudinem canticorum tuorum et sonitus cithararum tuarum non audietur amplius* »; — cf. Ier. 7,34; sim Is. 14,11 hebr. Am. 5,23. Et quam gravis adsit ratio tristitiae et luctus, denuo monet iterum *ultimum* Tyri exitium revocans et proponens v. 14 « *et dabo te in limpidissimam petram, siccatio sagenarum eris nec aedificaberis ultra, quia ego locutus sum, ait Dominus Deus* » ; — cf. supra v. 4. 5.

Nabuchodonosor Tyrum per annos tredecim oppugnavit. Quem exitum haec oppugnatio habuerit, disceptant. Id apud omnes in confesso est oppugnatione adeo diuturna vires opesque Tyriorum valde esse afflictas. Refert Iosephus (c. Ap. 1,20) : « in archivis Phoenicum consonantia illis quae a Beroso dicuntur conscripta sunt de rege Babyloniorum (Nabuchodonosor), scil. Syriam et universam Phoeniciam illum subegisse (τὴν Φοινίκην ἅπασαν ἐκεῖνος κατεστρέψατο); his sane adstipulatur Philostratus in historiis quo in loco Tyri obsidionis meminit et Megasthenes in quarto libro rerum indicarum, ubi ostendere contendit praedictum Babyloniorum regem et fortitudine Herculi et magnitudine praestitisse ». Cum igitur ex ipsa Phoenicum narratione constet regem universam Phoeniciam subegisse, dubium esse non potest quin et urbem Tyrum sibi subiecerit. At quaeri potest de modo quo urbem in suam redegerit potestatem. Ipse propheta nos certiores reddit de ingenti labore quem exercitus babylonius in oppugnatione urbis subiit; at simul addit neque regi neque exercitui esse mercedem redditam pro servitute qua Domino servierint adversus Tyrum (29,18). Ex quibus verbis duo colliguntur, Tyrios esse punitos per Babylonios — hoc enim est servitium quod Domino praestiterunt Babylonii — at ipsas opes urbis Babyloniis non in praedam cessisse. Id autem varia ratione accidere poterat. *S. Hier.* refert ad 29,18 Tyrios ante urbis occupationem omnes thesauros ad insulas asportasse, ita ut urbe capta nihil dignum labore suo

invenerit Nabuchodonosor. Unde hoc hauserit non indicat; cum autem eius rei narrationem incipiat a verbis : dicamus prius iuxta litteram, et cum insuper hoc nostro loco explicite referat nihil inveniri apud scriptores alios de oppugnatione a Chaldaeis tyriae civitatis, certum videtur eum solum ex verbis Ezechielis illam rerum conditionem collegisse. At verbis prophetae non unus ille exitus indicatur. Fieri etiam potuit ut urbs traderetur regi pacto inito quo urbs eiusque opes integrae servarentur Tyriis qui regi Babylonis ea conditione urbis portas aperirent. Atque ita foedere concluso obsidionem esse ad finem perductam etiam ex eo suaderi videtur, quia Iosephus nihil refert ex Beroso vel Megasthene de urbis expugnatione; solum saepius commemorat a scriptoribus babyloniis aeque ac tyriis mentionem fieri de obsidione Tyri (Antiq. 10,11,1 ; c. Ap. 1,20. 21). Ex modo quo Iosephus res et narrationes ad libros sacros spectantes colligit ex scriptoribus iuremerito concludimus eum si quid apud illos invenisset fuisse explicite relaturum. Porro si utrique rerum scriptores de sola obsidione narrant, sequi videtur exitum neque pro Babyloniis neque pro Tyriis fuisse gloriosum; unde ea explicatio colligi videtur qua dicitur Tyrios certis solum conditionibus imperium regis Babylonis agnovisse urbemque eorum a praedatione fuisse immunem. Vide de tota quaestione *Movers* l. c. II 1 p. 431-450; *Brunengo* l. c. II p. 294-300.

Illud quod dicitur : *non aedificaberis ultra,* « videtur facere quaestionem, quomodo non sit aedificata quam hodie cernimus Phoenices nobilissimam et pulcherrimam civitatem ». Ita *S. Hier.;* respondet posse verba sic accipi, « quod nequaquam ultra sit regina populorum nec proprium habeat imperium, quomodo habuit sub Hiram et ceteris regibus, sed vel Chaldaeis vel Macedonibus vel Ptolemaeis et ad postremum Romanis servitura sit ». Cum verba in v. 14 repetantur ex v. 4. 5, eodem modo quo ad eos dictum est erunt explicanda, non de castigatione a Nabuchodonosor infligenda, sed de ultimo rerum tyriarum exitu et excidio.

b) **Terror ex clade ortus 26, 15-21.**

Ex clade Tyriorum stupor et terror longe lateque spargetur. Coloniae Tyriorum casum metropolis lamentabuntur v. 15 « *Haec dicit Dominus Deus Tyro : numquid non a sonitu ruinae tuae et gemitu interfectorum tuorum, cum occisi fuerint in medio tui, commovebuntur insulae* »? — hebr. *a voce casus* q. d. vel a strepitu et fragore vel a nuntio; prius est magis consentaneum et ad usum vocis et ad vim et elegantiam dictionis, quam bene quasi oculis subiicit *Prad.* : « exaggerat vates ruinam Tyri per allusionem ad casum excelsae alicuius turris aut magni aedificii; tunc enim tota circum terra contremiscit; subsequitur oppressorum confusus clamor et haec omnia procul aspicientium pavor, commiseratio et luctus »; sim *Vat.;* de nuntio accipiunt *Lap. Pint. Troch. Keil;* de fragore et strepitu *Sm. C.; insulae*

etiam orae maritimae appellantur. Hic de coloniis Phoenicum longe lateque sparsis accipe. Dum ingentem omnium luctum describit et Tyriis proponit, alio modo et repetita vice minas Domini et castigationem iis ob oculos ponit v. 16 « *et descendent de sedibus suis omnes principes maris et auferent exuvias suas et vestimenta sua varia abiicient et induentur stupore; in terra sedebunt et attoniti super repentino casu tuo admirabuntur* »; — exemplo Tyri reliqui quoque qui commercio et navigatione potentes sunt sibi ipsis timebunt; mercatores tyrii qui in insulis et oris maritimis principum more dominabantur et gloriae potestatisque urbis erant participes terrore corripientur et luctu, cuius signa et indicia consueta recensentur; cf. Ion. 3,6. Humi sedere vel in pulvere usitatum erat in luctu; cf. Is. 47,1. Iob 2, 13; vestimenta quoque pretiosa exuuntur : *auferent pallia sua et vestes acu pictas* (hebr. *Mald. Mar. Calm.*) et induentur *terroribus;* veste lugubri animi moerorem prodent; cf. 7,27. Pro palliis LXX : mitras auferent a capitibus suis. Non solum lugent de casu Tyriorum; sed sibi quoque metuunt : *et tremunt per singula momenta* i. e. assidue (hebr. *Vat. Mar.* et recentiores) *et stupebunt super te;* « cum te viderint corruisse, sibi similia formidabunt » (*S. Hier.*).

Ad luctus signa et indicia pertinet carmen lugubre; v. 17 « *et assumentes super te lamentum dicent tibi : quomodo peristi quae habitas in mari, urbs inclyta, quae fuisti fortis in mari, cum habitatoribus tuis quos formidabant universi!* v. 18 *nunc stupebunt naves in die pavoris tui et turbabuntur insulae in mari eo quod nullus egrediatur ex te* »; — discunt, ut *S. Hier.* dicit, nihil in terrae bonis esse perpetuum. Lamenta a particula *quomodo* solent incipere; in iis gloria et potentia quae praeteriit et quae iam adest miseria et calamitas inter se opponi solent; v. 18 hebr. *nunc contremiscunt insulae in die ruinae tuae et turbantur insulae in mari ab exitu tuo* vel propter exitum tuum i. e. finem et ultimam sortem; alii *exitum* de fuga vel captivitate interpretantur (*Vat. Mar.;* iam *Chald.* de transmigratione et captivitate); *Syrus :* in die casus tui.

In hebr. v. 17 habetur : *habitata ex maribus*, quam dictionem varie concipiunt : habitata a populis maritimis, a mercatoribus qui veniebant e regionibus maritimis (*Vat. Mald. Ros.* alii); sed incolae et *habitatores* Tyri vix e variis gentibus et regionibus confluxerant; alii : cuius incolae versus maria sese diffundunt; id quod a vocibus quam maxime abest; alii : cuius incolae et domicilium e mari eminent, e sinu maris exsurgunt (*Hitz. Keil*); alii aliter iungunt : quomodo periisti ex maribus, plena populo (*Schr.*). Exemplaria graeca nihil de *habitata* praebent; sed vel πῶς κατελύθης ἐκ θαλάσσης (B, Ar; K ne hoc quidem verbum praebet) vel addunt alterum verbum ἀπώλου; ita A et apud *S. Hier.* qui LXX vertit : quomodo peristi et dissipata es in mari, urbs laudata; item Theodoretus, syr. hex. 22. 23. 26. Unde valde probabilis

evadit coniectura a *Boettcher* proposita et a *Sm.* laudata et a *C.* adoptata pro *mas.* נוֹשֶׁבֶת legendum esse נִשְׁבַּת; quam vocem eadem notione *finem habere, disparere* legis Ez. 6,6; 30,18; 33,28 in niphal et saepius in hiphil 7,24; 12,23; 16,41; 23,27 etc.; *Ewald* et *Sm.* ex 27,34 etiam hic legi volunt נִשְׁבֶּרֶת. In B, K solum prior pars v. 18 legitur et eam solam retinendam esse *C.* censet; altera tamen pars legitur in textu gr. quem refert *S. Hier.*; apud Theodoretum paulo aliter invenitur : et turbabuntur insulae a potestate tua in mari; sed ἐξουσίας videtur corruptum pro ἐξοδίας quam vocem in versione Theodotionis legimus et in A, 22. 23. 26. 87. al.; in quibus omnibus altera haec pars fertur, sicut etiam in Ar legitur.

Carmen hoc lugubre a Domino confirmatur, ita ut ad priorem carminis partem v. 3 et ad ultimum urbis exitium, sicut in v. 14 seq. respiciatur : gloria Tyri demum maxima cum ignominia evanescet neque unquam erit instauranda v. 19 « *quia haec dicit Dominus Deus : cum dedero te urbem desolatam, sicut civitates quae non habitantur et adduxero super te abyssum et operuerint te aquae multae,* v. 20 *et detraxero te cum his qui descendunt in lacum ad populum sempiternum et collocavero te in terra novissima sicut solitudines veteres cum his qui deducuntur in lacum, ut non habiteris; porro cum dedero gloriam in terra viventium,* v. 21 *in nihilum redigam te et non eris et requisita non invenieris ultra in sempiternum, dicit Dominus Deus* »; — apodosin incipe ex hebr. v. 20, ita ut illud *et* ex hebraismo eam vestiat; vertere poteris *tum te deiiciam ad eos qui descenderunt in lacum* vel in foveam. Id quod in v. 12 dictum erat, in v. 19 maiore etiam vi et pondere profertur; abyssum intellige de fluctibus maris quibus urbs superba erit demergenda, qua immersione summa exhibetur vastatio. Uti magnifica urbis palatia, moenia, opes, templa fluctibus sepelientur, ita ipsi principes et cives descendent in sepulcra vel potius in regionem inferorum; *collocabo te in terra inferorum, in ruinis a saeculo* (hebr.); ruinae sempiternae vocantur immensa illa sepulcra quibus generationes anteactae conditae iacent, quae sepulcra totidem sunt monumenta et documenta ad quid tandem omnis pompa humana omnisque potentia et fastus recidat. Praeter sepulcra etiam mentio iniicitur regionis inferorum i. e. scheol et populi antiqui ibi iam a saeculo degentis. Ita enim ad oculum exhibet, quomodo Deus iam ab antiquissimo tempore arrogantem hominum superbiam deiecerit et quam inanis et fluxa sit gloria humana. En tot iam generationes sepulcrum et inferus exceperunt ita ut earum gloriae ne fama quidem supersit! At dum Tyrus eiusque pompa tenebris sempiternis involvitur[1], Dominus dat

1. Apposite affert *Currey* ad h. l. quae Renan, Mission de Phénicie, p. 529. 530 scribit : « no great city which has played so important a part for centuries has left fewer traces

gloriam in terra viventium i. e. in regione vivorum suam manifestat gloriam, sua pandit beneficia et regnum suum, in quo eius gloria et decus potissimum consistit, constituit.

Igitur ruinis humanis verum illud decus opponit quod ipse est largiturus. Unde praeclare nos docet in nihilum redactum iri superbiam humanam; vera et aeterna ornamenta non inveniri nisi apud ipsum. Simul autem ex illo nexu facile consequitur a Deo deiici quae hominibus magnifica videntur, ut illa demum stabili ratione consistant quae vere sunt magnifica apud Deum et tamquam dona pretiosa ab ipso hominibus conferantur. Haud pauci *terram viventium* de Iuda explicant vel de Ierusalem cui restitutio in pristinam gloriam promittatur (*Chald. Prad. Vat. Mald. Sa, Lap. Men. Calm. Loch*); quodsi de regno Dei constituendo intelligitur, sententia omnino vera enuntiatur. Sed cum terra viventium h. l. regioni mortuorum opponatur, melius cum aliis de vivorum regione, de mundo explicatur, ubi Deus gloriam suam magnifice manifestaturus sit (cf. *Pint. Mar. Tir. Troch. Keil*). Dominus vero qui humilibus dat gratiam, superbis resistit; quare v. 21 hebr. *in exitium repentinum te dabo* vel in terrores (cf. *Vat. Mar.* et recentiores) neque ei ulla relinquitur spes restitutionis.

In textu gr. non legitur *et do decus in terra viventium* sed ad antecedentem sententiam adiungitur μηδὲ ἀναστῇς (A ἀνασταθῇς) ἐπὶ γῆς ζωῆς; proinde non ונתתי צבי lectum est sed ותתיצבי; et secundum textum gr. omnino emendandum esse *C.* censet. Sed si contendit textum hebr. omni sano sensu carere, falsum asserit. Alii quoque offenduntur quod mediis in ruinis de tali Dei promissione sermo iniicitur; unde *Hitz. Sm.* 2 pers. fem. legunt et ab antecedente sententia explicant : ne habites neve gloriam des, eo modo quo in graeco coniungitur. At membrum istud vix bene adiungitur; quid enim sibi vult, ut postquam saepius extremum exitium denuntiatum est, tandem addatur id quod multo levius est, fore scil. ut in posterum iam non gloria et fastu oculos aliorum urbs perstringat?

Manchot in hoc capite duo vaticinia diversis temporibus et ab aliis edita perperam misceri nuper contendit (Jahrbücher f. prot. Theologie 1888 p.435 seq.); prius constitui v. 3-6 et 19-21; alterum quod priori omnino contradicat contineri v. 7-15; in priore enim urbi interitum praedici eruptione quadam et inundatione maris, in altero vero oppugnatione exercitus babylonici; unde vatem priorem urbem interituram esse subito ex terrae motu et maris inundatione exspectasse, alterum autem praedicere expugnationem eamque celerrimam; neque ad eam expugnationem congruere lamentum v. 17. 18 quippe quod ad priorem catastrophen referatur. Verum haec excogitata esse videntur, ut vaticinia falsa esse et fallacia ostendatur. Quem

---

than Tyre. Ezekiel was a true prophet when he said 26,21. A traveller who was not informed of its existence might pass along the whole coast from La Kasmie to Ras el Ain without being aware that he was close to an ancient city. In the island itself nearly all that remains is the work of the Crusaders or Saracens. Tyre is now the ruin of a town built with ruins ».

in finem *Manchot* etiam textum mutat; legit enim in v. 3 : ecce ego ad te, Tyre, et adducam contra te mare in fluctibus suis. Sed propheta in v. 3 perditionem inferri per gentes multas affirmat; unde ne species quidem illius contradictionis reperitur. Dein praedictioni qua interitus *generatim* annuntiatur, subiungitur alia specialis de una quadam via et ratione qua Tyrus sit punienda; id quod apud prophetas non est infrequens (cf. Is. 3,1; 10,5; 20,1) et apud Ezechielem in oraculo de Aegypto saepius deprehenditur (cf. 29,18; 30,10. 21; 32,11). Falso quoque supponit et arguit *Manchot* ex eo quod longioris obsidionis et famis et pestis non fiat mentio (uti 4,16; 7,15; 12, 16; 28,23), indicari expugnationem urbis statim fieri post adventum exercitus. Quis enim tam peregrinus est in lectione prophetarum ut nesciat prophetas non ad modum scriptorum annalium rerumque gestarum res enarrare singulas, verum paucis rei summam innuere? Si autem *Manchot* affirmat aliis ex expugnatione Tyri incuti terrorem non posse, sed solum ex terrae motu et inundatione maris, quare v. 16 seq. referri oportere ad prius oraculum, rem dicit quae nulla opus habeat refutatione.

c) **Opulentia Tyri 27, 1-11.**

Quo ruina Tyri certius annuntietur et magis ad animos commovendos valeat, propheta carmine lugubri eius casum prosequi iubetur. Uti assolet in eiusmodi planctu (26,17), prius ex quo gloriae et pompae fastigio urbs ceciderit exponitur descripta pristina magnificentia et potentia. Qua re simul nobis in memoriam revocatur norma illa quam v. g. Isaias enuntiat 2,12 : dies Domini exercituum super omne superbum et excelsum (hebr.), vel Ieremias 9,23 : non glorietur sapiens in sapientia sua et non glorietur fortis in fortitudine sua etc., v. 1 « *Et factum est verbum Domini ad me dicens :* v. 2 *tu ergo fili hominis assume super Tyrum lamentum* v. 3 *et dices Tyro quae habitat in introitu maris, negotiationi populorum ad insulas multas* » ! — habitare ad introitus maris vel ad aditus maris i. e. ibi ubi in mare intratur vel aditus ad mare patet, videtur magis referri ad urbem in litore maris sitam, quam ad insularem (cf. *Movers* l. c. II 1 p. 183). Alii tamen aditus maris portus intelligunt Tyri insularis (*Vat. Lap. Troch. Keil, Sm.*); de iis fuse agit *Movers* l. c. p. 214 seq. et trium portuum etiamnum vestigia demonstrari posse censet; celebriores erant portus sidonius, Sidonem versus situs, et aegyptiacus versus continentem in orientali parte insulae situs. Tyrus merito appellatur hebr. *negotiatrix populorum ad insulas multas*, quia commercia cum multis populis habet et ad multas insulas regionesque maritimas naves suas mittit. De quo commercio v. 10 seq.

Quo acerbius dolor de ruina percipiatur, antea pompae magnificentia describitur : « *haec dicit Dominus Deus : o Tyre tu dixisti : perfecti decoris ego sum* v. 4 *et in corde maris sita! finitimi tui qui te aedificaverunt impleverunt decorem tuum* »; — hebr. *in corde marium fines tui; structores tui perfectam fecerunt pulchritudinem tuam.*

Urbis designatur superbia qua se absolutae pulchritudinis esse iactabat et aedificiorum magnificentia pompaque et sua firmitate munitionibusque quibus sibi securitatem promittebat. Utrumque enim ad urbis pulchritudinem perfectam pertinet. Ad eius splendorem spectat quod in corde maris sunt eius termini; quod eius potestas et dominatio in maria longe lateque extenditur, nequaquam mari coarctatur. Ditio urbis ultra terram in media maria protenditur. Ita scil. statim ab initio duabus sententiis splendor urbis eiusque in maria dominium, id quod Tyro prae aliis urbibus praecipuum erat decus, declaratur. Metaphora navis post hanc laudem in universum datam inducitur a sententia generali : qui te aedificarunt etc.; quare perperam aliqui eam metaphoram iam exprimi volunt in priore membro v. 4 vertentes: margines vel latera tua in corde maris (*Sm.*) vel *C.* mutata lectione זבול : statio tua in medio maris i. e. in corde maris consistebas ad ancoras.

Quam praeclara ex materia navis illa, qua urbs designatur, aedificata sit et instructa, iam per singula recensetur v. 5 « *abietibus de Sanir exstruxerunt te cum omnibus tabulatis maris; cedrum de Libanon tulerunt ut facerent tibi malum* »; — hebr. *ex cypressis de Sanir exstruxerunt tibi duplicia tabulata;* tabulatum navis quo magis firma et egregia esset navis fiebat duplex; tabulis igitur duplici ordine dispositis corpus navis compingebatur et hae tabulae omnes ex ligno praeclaro fiebant (cf. *Vat. Mald. Lap.*). Vocem duali forma expressam לחתים legit *S. Hier.* לחת ים; inde vertit tabulata *maris* (*Lap. Calm.*). Sanir ex Deut. 3,9 nomen est quo Amorrhaei Hermon montem appellabant quem Sidonii Sarion vocabant; sed cum 1 Par. 5,23 et Cant. 4,8 Sanir et Hermon tamquam montes distincti efferantur, fortasse Sanir partem montis Hermon dicit; mons uterque ad Antilibanum pertinet. Cypressina ligna simul cum cedrinis etiam ad templum aedificandum a Salomone adhibebantur 3 Reg. 5,8. 10; 6,15. Uti Hermon et Libanon, ita regio quoque transiordanica et orae maritimae optima quaeque subministrarunt ad navim tyriam aedificandam v. 6 « *quercus de Basan dolaverunt in remos tuos et transtra tua fecerunt tibi ex ebore indico et praetoriola de insulis Italiae* »; — remos faciebant de quercubus Basan, quae regio eo arborum genere celebris erat; cf. Is. 2,13. Zach. 11,2. Transtra sunt remigum sedilia; haec igitur ebore inserto exornarunt; praetoriola explica de cellulis. Hebr. aliter : *et tabulam tuam* (alii de constrato navis, alii de sedilibus remigum explicant) *fecerunt ex ebore cum buxo* (ebeno? scherbin) *ex insulis Cethim;* proinde tabulatum navis ex buxo superbe ebore in laminas secto et caelato operuerunt et exornarunt. Insulae Cethim dicuntur insulae et

regiones maris mediterranei, praesertim Cyprus, ubi in urbe Kition illud nomen servatur (vide ad Ier. 2,10); sed 1 Mach. 1,1 et 8,5 etiam Macedonia eo nomine Χεττειείμ, Κιτιέων γῆ designatur.

Vocem קֶרֶשׁ *S. Hier.* hic de transtris explicuit; Ex. 26,15 seq. 36,20 seq. interpretatus est tabulas, 35,11 tabulatum. Quia de remis sermo erat, videtur *S. Hier.* de remigum sedilibus h. l. accepisse. Forte melius cogitabis de re potiore, de constrato navis. LXX praebent τὰ ἱερά i. e. legerunt קדשׁ; alii legebant קרן, cum reliqui interpretes teste Theodoreto κέρας verterint et id quidem eodem iudice bene : malum enim et remos antenna quoque (κέρας) consequitur. Cum *S. Hier.* in medium proferat *praetoriola* « sive cellaria in quibus merces pretiosissimae reponuntur » legisse videtur בתי אשכרים; non בתי שרים ut *C.* vult quia *S. Hier.* vocem non de cellulis ducum sed mercium explicat. Textus *mas.* fert בַּת־אֲשֻׁרִים, id quod aliqui explicant : ebur *filia cedrorum* i. e. cedro inclusum vel buxo. At talis usus *filiae* est nimis mirus. Veram lectionem nobis *Chald.* suggerit, cum eam vocem adhibeat qua Is. 41,19 hebr. nomen תְּאַשּׁוּר redditur, de qua voce vide quae ad eum Is. locum notavi; erit igitur legendum unum nomen cum ב : בְּתְאַשּׁרִים i. e. ebur in buxo vel in lignis scherbin (inclusum). Similem interpretationem ex Bocharto etiam *Calm.* affert. LXX praebent οἴκους ἀλσώδεις domus nemorosas; cum אֲשֵׁרִים saepe apud LXX reddatur ἄλση Ex. 34,13. Deut. 7,5 etc., facile patet eius versionis origo.

Eodem modo ad alias navis partes et instrumenta ex dissitis regionibus res pretiosae afferebantur v. 7 « *byssus varia de Aegypto texta est tibi in velum ut poneretur in malo; hyacinthus et purpura de insulis Elisa facta sunt operimentum tuum* »; — byssus acu picta, versicolor (cf. 16,10) de Aegypto erat *expansio* i. e. velum tuum, ut sit tibi *in vexillum* (hebr.); « operimentum quod in solis calore atque tranquillo nautis atque vectoribus praebet umbraculum, de hyacintho et purpura fit, quae sunt de insulis Elisa, ionii maris sic appellat insulas » (*S. Hier.*). Eiusmodi operimenta erant ex purpura caerulea et rubra. Insulae Elisa h. l. a *Chald.* de Italia explicantur; etiam recentiorum aliqui Italiam inferiorem et Siciliam eo nomine designari censent, quia eae regiones iam pridem a Phoenicibus frequentatae sint. Sed longe communius vocem ad insulas et oras maritimas Graeciae, praesertim ad Peloponesum referunt; accedit quod Peloponesus et praecipue Laconia conchyliis abundabat. Simili pompa naves quoque Aegyptiorum, Romanorum aliorumque quandoque fuisse instructas, variis exemplis constat; ita refert *Plinius :* velo purpureo ad Actium cum M. Antonio Cleopatra venit eodemque effugit; hoc fuit imperatoriae navis insigne (hist. n. 19,5) et *Suetonius* Calig. 37 : fabricavit et de cedris (deceres) Liburnicas gemmatis puppibus, versicoloribus velis; alia quoque vide apud *Movers* l. c. II 3 p. 166 seq. et *Calm.* ad h. l. Censet *Calm.* mi-

rum esse Tyrios extranea purpura usos esse qui multo optimam ac pretiosissimam haberent; sed ea descriptione solum effertur quomodo undique res pretiosae ad ornamentum Tyri congestae sint, minime autem asseritur purpuram graecam fuisse praestantiorem. Bene iam monet *S. Hier.* : « describitur quid unaquaeque mittat provincia, secundum illud virgilianum : India mittit ebur, molles sua thura Sabaei » etc.

Navis egregia ab egregiis quoque viris et artis peritis regebatur v. 8 « *habitatores Sidonis et Aradii fuerunt remiges tui; sapientes tui; Tyre, facti sunt gubernatores tui;* v. 9. *senes Giblii et prudentes eius habuerunt nautas ad ministerium variae supellectilis tuae; omnes naves maris et nautae earum fuerunt in populo negotiationis tuae* »; — urbem Tyrum principatum gerere inter urbes Phoenices eo declaratur, quod aliarum urbium cives varia in navi ministeria obeunt, dum Tyrii sunt gubernatores et clavum tenent. Aradus insula viginti stadiis a continente distans, a Tripoli septemtrionem versus sita, hodie Ruwad vel Ruweide appellatur, cuius incolae etiam hodie adhuc navigandi peritissimi laudantur. « Sidonii olim tibi imperantes nunc una cum iis qui Aradum incolunt navalem tuam classem complent naves tuas remis impellentes et qui apud te sunt sapientes hi gubernatoris obeunt munus » (*Theod.*). Aderant quoque senes Giblii et prudentes eius i. e. senes Bybli, urbis Tripolin inter et Berytum non procul a mari in colle sitae, *erant in te resarcientes rimam tuam* (cf. *Vat. Mald. Mar. Lap. Calm.* et recentiores), reficientes si quid rimosum, dirutum aut fractum esset in navi. Iam tempore Salomonis Giblii peritissimi fabri laudantur (3 Reg. 5,18). Proin reliquae civitates Tyrum iuvabant, eius potentiam et gloriam promovebant, eius commodo et utilitati serviebant. In sequentibus relicta metaphora navis Tyrus exhibetur urbs maritima ad quam undique commercii causa naves conveniunt: *omnes naves maris et nautae earum erant in te ad negotiandam negotiationem tuam* (hebr. *Vat. Mald.Mar. Lap.*) ad distrahendas merces tuas; omnes scil. Tyro serviunt, eius commercio famulantur, mercimonia eius portant.

Ad eius urbis commerciique protectionem praesto quoque sunt milites et propugnatores v. 10 « *Persae et Lydii et Libyes erant in exercitu tuo viri bellatores tui; clypeum et galeam suspenderunt in te pro ornatu tuo* »; — hebr. *Persae, Lud et Phut;* de Phut vide ad Nah. 3,9 et Is. 66,19; esse oram maritimam cui hodie nomen Somali multi censent; cf. Ier. 46,9. En, quomodo omnes orbis partes etiam maxime remotae ad gloriam Tyri augendam et tutandam suam conferunt operam! Gentes istae bellicosae *clypeum et galeam suspenderunt in te, ipsi dederunt splendorem tuum* vel pulchritudinem; erant ei praesidio et orna-

mento. Optimum adfuisse significatur armorum apparatum quae polita apteque disposita urbi quoque ornamento erant; cf. Cant. 4,4 : mille clypei pendent ex ea (turri David), omnis armatura fortium; etiam Salomon laudatur de armorum apparatu 3 Reg. 10,16. Cum Tyriorum coloniae longe lateque essent propagatae in Syria, Mesopotamia, Cilicia, in Aegypto, in variis quoque Africae regionibus, in multis insulis maris mediterranei, in litore pontico, in Hispania (cf. *Movers* l. c. II 2 per integrum volumen), etiam milites mercede conductos ex gentibus barbaris et dissitis adhibebant; quare non mirum est fieri mentionem Persarum, Lydiorum et gentis quoque ex Africa. Unde sicut cetera quae recensentur ex rebus ipsis deprompta sunt, ita non erit cum aliquibus censendum (cf. *Delitzsch,* Wo lag das Paradies p. 252) Lud et Phut solum poni ut rhetorica habeatur paronomasia. Neque is est necessario sensus has gentes in ipsa urbe Tyro adfuisse, quamvis quid repugnet non appareat; sed propheta ita loqui omnino potuit, si in coloniis Tyrii eiusmodi milites conducebant ad coloniarum praesidium et defensionem. Non enim urbem solam in se spectat, verum eius dominium, potentiam, gloriam describit.

Inter copias auxiliares commemorari ***Persas*** aliquibus mirum videtur: immo asseritur tempore Nabuchodonosor Persas in Asia anteriore plane ignotos fuisse. Quare aliqui vocem פָּרַס explicant de *Perorsis* (Plin. 5,1. 8; 6, 35. Ptol. 4,6. 16) vel de ***Pharusiis*** (Plin. 5,1. 10; 8,8; Ptol. 4,6. 17) in Africa septemtrionali (cf. ***Sm.***); ***Hitz.*** illos Persas intelligi vult qui teste Sallustio (Iug. 18) antiquissimo tempore in Africa sedes fixerint. Sed quomodo de Persis mentio fieri possit, haud difficile explicatur. Phoenices colonias habuisse ad sinum persicum certum est (***Movers*** l. c. p. 165; II 3 p. 254 seq.); unde etiam a priore valde probabile efficitur ex ea quoque regione illis milites praesto fuisse. Neque Persae antiquo tempore plane ignoti erant. Iam enim medio saeculo nono a. Ch. eorum mentio fit in inscriptionibus assyriacis; ita Salmanassar II eos in Armenia meridionali adfuisse testatur et a viginti quinque eorum principibus se tributum accepisse gloriatur; similia narrant eius filius et nepos; postea v. g. Sennacherib quoque Persas in regionibus a Susiana septemtrionalibus commemorat etc.; vide ***Rawlinson*** l. c. III p. 365. Nihil refert, etsi ab aliis in dubium vocatur, sitne in antiquioribus inscriptionibus de Persis proprie dictis sermo; fieri mentionem regionis Parsua, Barsua, omnes concedunt (cf. ***Schrader,*** Keilinschriften und Geschichtf. p. 173). Ceterum vide 38,5.

Uti in coloniis, ita domi quoque Tyrii milites praesidiarios habebant eosque egregios v. 11 « *filii Aradii cum exercitu tuo erant super muros tuos in circuitu, sed et pigmaei qui erant in turribus tuis, pharetras suas suspenderunt in muris tuis per gyrum; ipsi compleverunt pulchri-*

tudinem tuam »; — hebr. *et gammadim in turribus tuis erant; scuta sua suspenderunt in muris tuis* etc.; *pygmaeos* explicat *S. Hier.* esse bellatores ad bella promptissimos ἀπὸ τῆς πυγμῆς quae graeco sermone in certamen vertatur. LXX vertunt φύλακες; sim. *Syrus; Chald.* textui infert Cappadoces. *S. Hier.* secutus est primam Aquilae editionem, in qua pygmaei exprimebantur. Recentiores vocem quandoque ex syriaco explicant de audacibus, pertinacibus, contumacibus (cf. *Payne Smith,* Thes. syr. p. 735). *Cornill* haud immerito censet nomen proprium esse agnoscendum; unde ex Gen. 10,18 צמרים emendat, quae est gens inter Aradum et Hamath incolens. Praesidia urbis indigenae praebebant. Quantopere urbi fuerint ornamento, ultimis verbis declaratur. — Cum in ultima parte a v. 9 sermo a metaphora navis ad ipsam urbem transferatur, etiam in antecedentibus sub navi urbem intelligi constat. Hunc loquendi modum iam bene explicat *S. Hier.* : « loquitur quasi ad navem τροπικῶς, urbis significans pulchritudinem et rerum omnium abundantiam, ut postquam universam eius supellectilem descripserit, malum, antennas, remos, vela, proram, carinam, funes, opertoria, pelles et cetera quibus navium optime instructarum usus indiget, tunc tempestatem illi et ventum austrum quo fluctus maximi commovebuntur venire denuntiet et eam subiacere naufragio ». Perperam censet *Ros.* ea non allegorice de republica, sed proprie esse capienda de navibus quibus Tyrii negotia et mercaturam exercebant; sed num omnes naves mercatoriae ea pompa instructae erant? Neque tamen si metaphoram dicimus, propterea negamus in una alterave navi similem adfuisse pompam; verum uti res fert in eo loquendi modo, ex singulis quae varia ratione et occasione in usu erant una efformatur effigies ad perfectam pulchritudinis speciem facta qua urbis opulentia adumbretur. Atque id potissimum declaratur ad Tyrum ex omni orbis parte pretiosissima quaeque omnis generis esse allata Tyrique opes ex orbis terrarum divitiis esse enatas.

Ad vocem גַּמָּדִים notat *S. Hier.* Symmachum transtulisse *Medos* (legit ergo גם מדים ἀλλὰ καὶ Μῆδοι) Theodotionem retinuisse vocem hebr.; ex alia Aquilae editione servata est versio τετελεσμένοι; ergo vocem a גמר derivasse et explicasse videtur. Duplicem lectionem exhibet pro more suo *Theodoretus* (et 22. 23. 36 al.) : quin etiam Medi in turribus tuis erant custodes. Pro וחילך quoque nomen proprium esse legendum, haud immerito censet *C.*; in ista enim enumeratione nomina propria adhiberi solent et gloria Tyri in eo consistit quod urbes et gentes longinquae et vicinae ad eius protectionem et splendorem sedulo operam navant. Dein satis languide dicitur : filii Aradi et exercitus tuus super muros tuos; quis enim est ille exercitus tuus? qui ad filios Aradi accedit; unde *C.* coniicit וחתלן : filii Arvad et Chethlon, de quo oppido mentio fit Ez. 47,15 et 48,1. Aliam coniecturam proposuit Halévy וחלך *et Ci-*

licia; quae tamen coniectura parum videtur probabilis, quia Cilicia syriace scribitur duobus ק, igitur apud Hebraeos vix חלך; praeterea in v. 11 cum filiis Arvad oppida exspectamus viciniora; de gentibus dissitis satis est actum in antecedentibus.

d) Tyri commercium et opes 27, 12-25.

Orbis veteris emporium maximum Tyri esse constitutum, ex enumeratione regionum et mercium quae iam sequitur facile colligitur. Incipit vates ab extrema occidentis parte a Tharschisch (Tartesso), dein regionibus septemtrionalibus, orientalibus et meridionalibus perlustratis ad Tartessum reversus omnium gentium commercium ad Tyrum dirigi Tyriosque cunctis subministrare merces suas ostendit. Hac enumeratione nos praeclare edoceri de veterum commercio, artibus, industria omnes fatentur; quare rerum quoque profanarum scriptores qui in mores et vitae rationem veterum inquirunt vati nostro gratum habent animum quod tam diligenter et copiose de rebus tyriis scripserit. Eam autem celebritatem opesque tanto cum splendore nobis ob oculos ponit, ut discamus vanos esse et ad nihil demum redigi maximos quosque hominum conatus, nisi Deus suo favore aspiraverit; summam Tyri gloriam depingit, ut in talis gloriae interitu Dei vindicis potentia cernatur; nisi enim Dominus aedificaverit domum, in vanum laborant qui aedificant illam, neque Dominus sibi complacet in pompa fastuque hominum, « ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum et contritum spiritu et trementem sermones meos » (Is. 66,2)?

Tharschisch h. l. *S. Hier.* sequens LXX de Carthagine explicuit; aliis in locis vel vocem Tharsis retinet vel maris nomine explicat (vide ad Ion. 1,3. Is. 23,1); ea voce designari Tartessum regionem in Hispania baetica certum videtur; vide quae notavi ad Ion. 1,3; v. 12 « *Carthaginenses negotiatores tui a multitudine cunctarum divitiarum, argento, ferro, stanno plumboque repleverunt nundinas tuas* »; — i. e. Tartessii erant negotiatores tui propter multitudinem bonorum omnis generis; Hispaniam metallis abundasse veteres unanimiter testantur (cf. *Winer,* Realwoerterb. II p. 484); hisce, argento, ferro, stanno, plumbo emebant merces Tyriorum i. e. ea metalla ad nundinas et fora Tyriorum afferebant.

Vox עִזְבוֹנִים non occurrit nisi in hoc capite v. 12. 14. 16. 19. 22. 27. 33; a veteribus varie vertitur; LXX ἀγοράν vertunt; bis autem in v. 27. 33 μισθόν. *S. Hier.* nundinas, forum, mercatum, thesauros v. 27, negotiationes v. 33 exprimit; ἀγοράν quoque praebet *Sym.* ad v. 19 et *Theod.* ad v. 27 et 33, dum *Sym.* ad v. 27 ἀποθέματα et ad v. 33 προσθήκην praebet; *Aq.* vertit ἐγκατάλειμμα v. 14. 16. 19. 27. 33. Syrus vocem reddit quater זבנא *emtio*; sed v. 27 *merces*, v. 33 opes. Chald. aliquoties praebet domum thesaurorum; dein opes v. 27; mercimonia v. 33. Significatio igitur

ex usu in hoc capite est petenda. Dictio *dare* עזבוניך cum altera commutatur *dare* מערבך v. 13. 17. 18. Notio *mercis* singulis locis apta esse videtur. Edicitur enim quid singulae gentes attulerint, dederint Tyriis, certe ut ab eis vicissim alias merces acciperent; erat igitur permutatio mercium, quae cum fiat in nundinis, in foris, aliae versiones facile colliguntur. In v. 16. 19 legitur vox cum ב : ergo dabant byssum *pro* mercibus tuis; quae forma dicendi facilior est quam quae in v. 12 habetur : *in* argento; sed cum illud *in* neque apud LXX legatur neque apud *Syrum* neque vocibus subsequentibus addatur, delendum erit. Tum sensus esse potest : dabant tibi argentum, ferrum,... merces tuas vel permutationem tuam, has tibi merces suppeditant. — Alii notionem vocis statuunt nundinas i. e. locum mercatus et quaestum mercaturae (*Ges.* Thes. p. 1009); notionem nundinarum retinet *C.*, mercium adoptant alii communius.

Ex Ionia (Graecia) et ex regionibus ad mare ponticum et caspicum servos et vasa aerea acquirebant v. 13 « *Graecia, Thubal et Mosoch ipsi institores tui; mancipia et vasa aerea advexerunt populo tuo* »; — hebr. *Iavan* (Ἰάϝονες) vel generatim Graeci (cf. Is. 66,19 Ioel 3,6); Thubal et Mesech Tibareni et Moschi sunt gentes septemtrionales; etiam apud Herodotum Μόσχοι καὶ Τιβαρηνοί copulantur. Tibareni ad ponti euxini litus australe orientem versus habitabant; Moschi prope illos montes incolebant inter Iberiam, Armeniam et Colchidem; *in anima hominis et vasis aereis dabant permutationem* (hebr.); isti igitur servos suppeditabant; quantopere apud Graecos, Phoenices etc. negotiatio haec venaliciaria viguerit, pluribus exponit *Movers* l. c. II 3 p. 76 seq.; v. 14 « *de domo Thogorma equos et equites et mulos adduxerunt ad forum tuum* »; — hebr. proprie *equos... dederunt merces tuas;* vide supra ad v. 12. Equites explicant alii mancipia qui idonei essent equites vel milites stipendiarios in equorum agitatione exercitatos (cf. *Vil. Vat. Mald. Mar.*); alii פָּרָשִׁים non de equitibus accipiunt, sed de equis militaribus vel de equis ad equitandum maxime idoneis, dum equos סוּסִים de equis currulibus interpretentur; ita *Marinus* et *Pineda* quos citat et sequitur *Lap. Men.* sim. *Calm.* et ex recentioribus *Schr. Keil, Sm.* aliique. Atque inter duas illas voces aliquid discriminis intercedere aperte sequitur ex 3 Reg. 4,26 : et habebat Salomon quadraginta millia praesepia equorum currilium et duodecim millia equestrium; ita in *vulg.* bene vertitur priore loco סוּסִים, altero פָּרָשִׁים 1 Reg. 5,6 hebr. Domum Thogorma de Phrygia acceperunt *Iosephus* (Ant. 1,6. 1) *S. Hier. Theod.* etc.; verum recentiores plerumque *Armeniam* intelligunt, quam regionem equis et asinis (proin mulis quoque) feracissimam fuisse veteres tradunt (cf. *Strabo* 11,14. 9. *Herodotus* 1,194); designari Armeniae partem occidentalem, censet *Dillmann* ad Gen. 10,3[1].

---

1. Contradicit *de Lagarde* : zur Urgeschichte der Armenier p. 36; gesammelte Abhand-

Cornill vocem פרשים delendam esse censet. In B solum ἵπποι καὶ ἱππεῖς leguntur; sed tres voces adsunt in A, K, Ar, apud Theodoretum, in syr. hex. XII. 22. 23. al.; dein dubitat num פרש notionem habeat equi ad equitandum apti; פרש distingui a סוס ostenditur ex 1 Reg. 5,6 et Ioel 2,4; qua re distinguatur, utique non adeo clarum est; at cum vox alias de equitibus usurpetur, haud immerito ibi quoque discrimen ponetur. Quid porro mirum in eo est, ut e regione equorum feraci duo genera equorum afferantur? quot enim genera vel species equorum nostrates distinguunt?

Dein mercimonia per Arabiam allata commemorantur v. 15 « *filii Dedan negotiatores tui; insulae multae negotiatio manus tuae; dentes eburneos et hebeninos commutaverunt in pretio tuo* »; — de Dedan vide 25,13 et ad Is. 21,13; Dedanitae per commeatus merces in Syriam et Palaestinam detulisse videntur a mari erythraeo neque desunt indicia quaedam Dedanitas etiam in litore et insulis sinus persici habitasse (cf. *Movers* l. c. II 3 p. 303 seq.). Et mare erythraeum ad quod sinus arabicus et persicus pertinent etiam *insulae* i. e. orae maritimae et insulae indicant simul cum mercibus, quae ex regionibus illis Phoenicibus obveniunt: *cornua eboris* (hebr.) i. e. dentes, propter formam *cornua* vocantur, et ebenum. Utrumque veteres partim ex India, partim ex Aethiopia accipiebant. Dedanitae per commeatus merces ab aliis acceptas deferunt. Hisce *reddebant* pretium vel *solutionem* pro aliis rebus et mercimoniis quae a Tyriis accipiebant; vel ea quasi *tributum solvebant,* ut aliqui explicant, qui negotiationem manus tuae de regione Tyriis subdita concipiunt (*Sm.*). Pro Dedan *Syrus* praebet sicut 25,13 aliisque locis *Doron;* LXX h. l. legunt Ῥοδίων (A autem Ἀραδίων), quam lectionem *C.* adoptat, quia de Dedan in v. 20 demum sermo sit neque Dedan apte iungatur cum multis insulis. Sed num Rhodii eas merces Tyriis attulerunt quas ex India et Aethiopia venisse veteres testantur (vide *Winer* l. c. I p. 280)? Cum Dedanitae merces ex litore maris erythraei (sinus arabici et persici) afferrent, facile quoque patet, cur insularum mentio fiat vel regionum ad mare sitarum, cum v. g. ebenum praecipue ex Cylon, Malabar, Coromandel etc. acquiratur. — Pro ebeno *Chald.* טווסין (cf. ταώς) pavones afferri dicit, *Syrus* thus, incensum.

Porro recensetur commercium cum *Aram* i. e. cum regionibus euphraticis; Aram enim (*Syrus* in versione *vulg.*) omnem complectitur terram inter Palaestinam et Euphraten; v. 16 « *Syrus negotiator tuus propter multitudinem operum tuorum, gemmam et purpuram et scutu-*

---

lungen p. 255 seq.; censet Togarma esse Τευθρανία. Ceterum vide Zeitschrift d. deutschen, morgenl. Gesellschaft XXIV p. 81. 237; XXXIII p. 324. *Delitzsch*, Commentar zur Genesis (10,3); *Delitzsch*, Wo lag das Paradies p. 246.

lata et byssum et sericum et chodchod proposuerunt in mercatu tuo »; — de dictione vide ad v. 12; nomina hebr. communius interpretantur de carbunculo, purpura rubra, opere plumario vel phrygio, bysso, coralliis (vide quae notavi ad Iob 28,18) vel generatim margaritis, de rubino (vide quae ad Is. 54,12 de chodchod attuli). Scutulata scil. vestimenta, acu picta, consutis varii coloris scutulis distincta sunt; unde nomen habent (cf. *Vil. Mald. Lap. Calm.*). Vocem נֹפֶךְ quam hic *S. Hier.* gemmam vertit (vel guttam? ut in eius opp. editione fertur) alias explicuit *carbunculum* Ex. 28,18 et 39,11 et infra Ez. 28,13, uti *Mald.* diligenter notat. Merces eas ex regionibus euphraticis meridionalibus esse allatas, aliis quoque veterum testimoniis ostendit *Movers* l. c. II 3 p. 258 seq.; texta babylonica propter subtilitatem et diversos colores picturae celebria erant; iam Ios. 7,21 pallium Sinear i. e. babylonicum tamquam pars praedae valde bona laudatur. Varios quoque lapides pretiosos gemmasque inter merces babylonias recenseri a veteribus constat; de qua re vide testimonia apud *Movers* l. c. p. 266 seq.

Pro ארם LXX praebent ἀνθρώπους; igitur legerunt אדם « pro Aram legentes Adam, *res* et *daleth* litterarum decepti similitudine » (*S. Hier.*). Eandem lectionem sed *Edom* pronuntiantes sequuntur *Aq. Syrus* et adoptant ex recentioribus *Ewald, Hitz. C.*, quibus etiam complures codices hebr. adstipulantur apud *de Rossi*. Ratio pro lectione Edom afferri potest, quia inter Dedan v. 15 Iuda et Israel v. 17 et Damascum v. 18 melius collocatur ex situ Edom quam Aram regio euphratensis; praeterea Edom etiam erat emporium mercium ex India et Arabia allatarum, ad quas gemmae et lapides pretiosi pertinebant. Sed quae de rubra purpura, de opere plumario et de bysso dicuntur, non Edom sed Aram indicant. Utique haec omnia *C.* ex textu removet adscribens gemmas : smaragdum, topazium, et partim coniectans ex versione graeca ποικίλματα ἐκ Θαρσίς. Neque is est ordo adeo fixus in tota hac enumeratione et e regionum situ depromptus, ut Aram h. l. excludatur. E mari erythraeo scil. haud difficile oratio ad regionem euphratensem transit; neque difficile a Dedanitis per desertum arabicum commercium agentibus sermo transfertur ad regionem ei deserto finitimam. Neque qui sequitur transitus ad Iuda et Israel obstat; id quod demonstratione ex ipso situ non indiget. Quare cum hebr. *Sym. Theod. S. Hier. Chald.* lectio Aram est retinenda, cui Damascus v. 18 non obstat, si Aram de regione ad orientem versus explicaveris, dum Damascus regionem dicit magis septemtrionalem.

Uti ex longinquis regionibus, ita e proximis quoque Tyrii utilitatem capiebant v. 17 « *Iuda et terra Israel ipsi institores tui in frumento primo; balsamum et mel et oleum et resinam proposuerunt in nundinis tuis* »; — in hebr. *triticum de Minnith*, quae est urbs in regione Ammonitarum secundum Eusebium quattuor milliariis distans Hesebone Rabbath versus (cf. *de Hummelauer* ad Iud. 11,33). Ammonitidem feracem fuisse tritici etiam ex eo consequitur quod filii Ammon regi Ioatham tributum solvebant « centum talenta argenti et decem millia

coros tritici ac totidem coros hordei; haec ei praebuerunt filii Ammon in anno secundo et tertio » (2 Par. 27,5 — mensuram cor vel chomer alii 201 lit., alii 388 lit. cepisse opinantur). Ex Iuda triticum Phoenicibus praeberi iam ex tempore Salomonis narratur 3 Reg. 5,11; praebuit enim Salomon Hiram regi coros tritici viginti millia et viginti coros olei purissimi. Palaestinam melle et oleo abundasse ex sacris litteris satis patet; quam saepissime enim terra fluens melle et lacte vocatur; de olivarum oleique ubertate lege v. g. Deut. 8,8 : terram olei ac mellis; 11,14; 12,17; 18,4; 32,13; 33,24. 2 Par. 2,10; 11,11; 32,28. Os. 12,1. Eadem etiam post exsilium Phoenicibus subministrabantur Esd. 3,7. Act. 12,20. De resina cf. Ier. 8,22; intelligitur resina arboris pistaciae lentisci, mastiche vel mastix; vide *Movers* l. c. p. 220. 221. Obscurum est quid פַּנַּג significet; *S. Hier.* testatur Aquilam, Symmachum et Theodotionem verbum hebr. *phanag* posuisse, LXX unguenta, se balsamum transtulisse. *Syrus* reddit דוחנא milium (*Payne Smith*, Thes. syr. p. 834); *Chald.* קוֹלְיָא adeps frumenti (? ita *Levy*, Chald. Woerterb. s. v.) vel idem ac κολία i. e. τὰ ἐκ μέλιτος τρωγάλια, ut Hesychius explicat (*Keil*); alii tamen aliter.

Sed lectio *mas.* חִטֵּי מִנִּית *triticum Minnith* vix certa est, cum ei nemo ex veteribus suffragium ferre videatur. LXX praebent ἐν σίτου πράσει, *S. Hier.* frumentum *primum*, *Syrus* triticum et oryzam; *Chald.* praebet triticum רִיחוּשׁ quam vocem *Levy* l. c. II p. 420 explicat myrobalsamum; alii forte melius notionem esse incertam fatentur. Nescio unde in polyglottis londin. sit petita versio : triticum optimum; fortasse fluxit ex translatione *S. Hier.* Unde hic coniecturae locus esse potest. *C.* emendat חִטִּים וּנְכֹת triticum et storax; cui coniecturae id commendationis praeterea accedit, quod Gen. 37,25 Ismaelitae ex Galaad in Aegyptum ferunt נכאת וצרי aromata et resinam, uti ibi habet versio *vulg.* et quod Gen. 43,11 idem simul cum melle tamquam ad optimos terrae fructus pertinens recensetur, quo loco in *vulg.* storax legitur; de storace fusius agit *Movers* l. c. p. 101. 223. Quare hoc quoque loco recenseri non est improbabile. Mihi autem dubium est, utrum *C.* recte provocet ad Is. 39,2 necne; vide quae ad eum locum notavi. Pro פנג *C.* vocem דונג rescribit; quae coniectura audacior est, cum cera nullibi inter terrae bona recenseatur.

Ex Iuda et terra Israel septemtrionem versus ad Damasci commercium oratio convertitur v. 18 « *Damascenus negotiator tuus in multitudine operum tuorum, in multitudine diversarum opum, in vino pingui, in lanis coloris optimi* »; — « pro vino pingui quod interpretatus est Symmachus, et apud Aquilam et Theodotionem et in ipso hebr. habet vinum de Helbon (חֶלְבּוֹן) » (S. *Hier.*). Chelbon, a Damasco septemtrionem versus in valle eiusdem nominis ad Antilibanum est vicus qui etiam hodie vino generoso est famosus; eius vinum (karanam mat

Chilbunim : vinum terrae Chilbunu) etiam in cuneatis textibus laudatur (*Delitzsch*, Paradies p. 281), id vini genus, non aliud, reges Persarum bibisse veteres tradunt (Strabo, Athenaeus; vide *Calm. Ges.* Thes. p. 474; *Movers* l. c. p. 268. 269; *Schrader*, Keilinschr. u. A. T. ad h. l.). Secundo loco nominatur lana צַחַר, quam vocem *S. Hier.* de colore optimo explicat fortasse memor צָחֹר Iud. 5,10; sim. *Syrus*. Cum in membro antecedente de vino Chelbon sermo sit, hic quoque ad lanam nomen urbis vel regionis apponi non est improbabile; atque revera LXX habent ἔρια ἐκ Μιλήτου et *Aq.* et *Theod.* transtulerunt in lanis Soor, prout *S. Hier.* refert. Quare haud improbabiliter *Movers* l. c. p. 269 vocem accipit de regione Sicharia, de qua Aethicus (Cosmogr. § 108) : Sicharia regio quae postea Nabathaea nuncupatur, silvestris valde, ubi Ismaelitae eminus. Nabathaei autem antiquo tempore regionem incolebant inter Palaestinam et Euphraten eosque gregibus abundasse etiam ex Is. 60,7 colligitur. Cui sententiae *Troch. Sm.* accedunt. Ad nundinas Tyri de Damasco deferri vinum pinguissimum et lanam praecipuam *S. Hier.* usque ad sua tempora cerni affirmat.

Chald. habet lanam מילת quam vocem *Bochartus* (Hierozoicon p. 1 lib. 2 cap. 45 p. 476 ed. Francofurt. 1675) etiam de Mileto accipit, ita ut *Chald.* cum LXX sentiat. At haec acceptio valde dubia est; vocem enim מילת frequenter obviam *Buxtorfius* (Lexicon chald. p. 1216) ad gr. μηλωτή refert, *Levy* (Chald. Woerterb. II p. 32) probabile quidem censet vocem a gr. μιλήσιος ducere originem et nostrum locum ex *Chald.* verti posse lanam velleris milesii, sed simul aliam proponit translationem : lanam velleris circumligati; nam ut idem I p. 351 ex locis talmudicis docet, solebant agnos integumentis obvolvere quo lana subtilior magisque pura evaderet. Immo propter gr. μῆλον, μηλωτος dubium quoque motum est a *C.* num illud ἐκ Μιλήτου revera sit genuinum et non potius ex μηλωτος vel sim. exortum. Sed Miletum praebent Theodoretus, K, Ar; praeterea Theodoretus etiam lanam *candidam* στιλβόν offert et sim. 22. 36. 42. 68. al. quae vox etiam a *Sym.* est adhibita pro צחר.

Cornill textum in hunc modum mutat in v. 18 et 19 : vinum de Chelbon et Zimin et Arnaban detulerunt ad tuas nundinas; de Uzal ferrum fabrefactum, cassia et calamus erat apud te in negotiatione. — Regiones Zimin et Arnaban deprompsit ex inscriptione Nabuchodonosor regis qua simul cum vino regionis Chilbunim vinum regionis Zimin et regionis Arnaban nominatur. Sed nemo non videt etsi nomina illa in inscriptione legantur, audacius tamen esse ea nostro textui inserere et *lanam* eiicere cum tamen etiam Am. 3,12 hebr. testimonium inveniatur talia negotia Damasci floruisse; insuper quae Damasci texta erant longe lateque per orientem celebrabantur (*Movers* l. c. p. 269).

In sequentibus merces ex Arabia recensentur; in hebr. legitur : *Wedan et Iavan ex Uzal pro mercibus tuis dederunt ferrum fabrefactum; cassia et calamus erat in negotiatione tua;* in *vulg.* autem v. 19

« *Dan et Graecia et Mosel in nundinis tuis proposuerunt ferrum fabrefactum; stacte et calamus in negotiatione tua* »; — locus est satis obscurus, cum quid proprie legendum sit non constet. LXX h. l. praebent: καὶ οἶνον εἰς τὴν ἀγοράν σου ἔδωκαν, ἐξ Ἀσὴλ σίδηρος; unde nihil de Wedan vel Dan legerunt et pro *et Iavan* legerunt ויין; *S. Hier.* dicit *Dan et Iavan et Mozel in nundinis tuis* de Theodotione esse addita apud LXX; simul refert Aquilam pro Mozel posuisse *de Uzal;* ita *Syrus* quoque habet, dum *Chald.* eo loco *turmatim* exhibet. Uzal nomen antiquum esse censetur pro Sanaa, urbe principali in Jemen; ad quam regionem merces quoque aptae recensentur: ferrum fabrefactum explica de laminis gladiorum, de gladiis; gladii autem ex Jemen sicuti ex India multum Arabibus probabantur (*Keil, Sm.*); *cassia* est aromatis genus cinnamomo simile quod ex Indiis et Arabia quoque afferri veteres tradunt (*Sm.*); fortasse laurus cassia; *calamus* (cf. Is. 43,24. Ier. 6,20) est calamus odoratus, qui ad unguenta paranda et ad incensum adhibebatur et pariter ex Arabia et Indiis afferri solebat. *Movers* valde probabile censet Wedan urbem esse commercio celebrem quam hodie *Aden* vocamus (l. c. p. 302); alii comparant Wadaan, urbem inter Meccam et Medinam sitam; vide *Roediger* in append. Thes. *Ges.* p. 85. Iavan h. l. non est Graecia, sed vel regio in Arabia (« Iavan oppidum Iemanae, Iavân oppidum in porta Ispahanensi » Kamus p. 1817 apud *Ges.* Thes. p. 588) vel, ut alii opinantur, colonia quaedam mercatorum Ioniae in Arabia meridionali.

Secundum punctationem mas. מְאֻוָּל exhibetur participium pual; unde quandoque explicatum est collato aramaico verbo עזל texere de lino neto, de textis. Si agitur de emporio Aden, posset haec explicatio admitti; ei enim emporio has merces tribuit *Edrisi* 1,51 ed. Jaubert: « la ville d'Aden est petite, mais renommée à cause de son port de mer d'où partent des navires destinés pour le Sind, l'Inde et la Chine. On y apporte de ce dernier pays des marchandises telles que le fer, les lames de sabre damasquinées, la cannelle, le cardamome, les myrobolans, diverses étoffes tissues d'herbes et d'autres riches et veloutées » (*Roediger* in append. ad Thes. *Ges.* p. 85). Sed generatim censent legendum esse מֵאוּזָל de Uzal, uti LXX, *Syrus, Aq.* iam legerunt. — Censet *Movers* secundum Phoenicum pronuntiationem Aden emporium ודן *Uden* esse scriptum; dum *Roediger* apud Ezechielem עדן reponendum esse existimat. Illud ו in initio non esse coniunctionis particulam et proinde non esse legendum *et Dan*, inde suadetur quia in tota hac enumeratione a v. 12 nullus versus ab hac particula inchoatur. Alii, uti *Ewald, Sm.*, legi volunt ex v. 20 דדן.

Porro ex regione arabica v. 20 « *Dedan institores tui in tapetibus ad sedendum* »; — hebr. *in tapetibus stratis ad equitandum*, « hoc est phaleris aut ephippiis ad sedendum in equis » (*Mar.* sim. *Mald.*). De Dedan vide ad v. 15; cum eiusmodi tribus vitam agerent quasi no-

madum, commercium quoque complurium gentium cum Tyriis promovere earumque merces ad eos perferre poterant; v. 21 « *Arabia et universi principes Cedar, ipsi negotiatores manus tuae, cum agnis et arietibus et hoedis venerunt ad te negotiatores tui* » ; — Arabia et Kedar tribus nomades designantur; vide Is. 13,20; 21,13. Ier. 3,2 hebr.; de Kedar vide Is. 21,17; 60,7; terrae tractum incolebant inter Arabiam petraeam et Babyloniam; sed cum utpote nomades fixas non haberent sedes, explicatur cur varia apud veteres de eorum regione ferantur. *S. Hier.* Cedar dicit inhabitabilem fuisse regionem trans Arabiam Saracenorum (ad Is. 42,10; *M.* 24,425; sed ad nostrum hunc locum eam regionem Saracenorum vocat). Ab hisce tribubus Tyrii pecora ad mactandum accipiebant; simul cum pecoribus etiam pelles, lanam ovium accipiebant; ex pellibus Phoenices, praesertim incolae Bybli, membranas vel chartas pergamenas conficiebant (*Movers* l. c. p. 310. 320). Ex aliis Arabiae partibus aromata et metalla pretiosa iis deferebantur v. 22 « *venditores Saba et Reema ipsi negotiatores tui cum universis primis aromatibus et lapide pretioso et auro quod proposuerunt in mercatu tuo* » ; — aromata varia eaque praestantissima et omne gemmarum genus afferebant negotiatores *Scheba,* regionis in Arabia meridionali vel potius inter occasum brumalem et meridiem spectante; cf. Is. 60,6. Ier. 6,20. Reema vel Regma Gen. 10,6 tamquam pater Saba et Dadan nominatur; aliqui putant nomen servari in Rhammanitis de quibus Strabo mentionem facit (16,4. 24; *Dillmann* ad Gen. 10,7 p. 181); alii eius gentis regionem in provincia quae hodie Oman appellatur ad sinum persicum fuisse opinantur. Lapides pretiosi etiam hodie adhuc in montibus Hadramaut et in Jemen inveniuntur (cf. *Keil*); aurum in Jemen iam non reperitur, sed veterum testimonia de auri in ea regione copia omnino inter se consentiunt (cf. *Bochartus,* Phaleg 2,27; Francof. 1674 p. 157). In regione Sabaeorum balsamum, thus, cassiam, myrrham, calamum, cinnamomum nasci veteres affirmant (cf. *Bochartus* l. c. p. 117 seq.; locos e Strab. Plin. Agath. Diod. affert *Sm.*).

Dein quale iis intercesserit commercium cum Mesopotamia narratur v. 23 « *Haran et Chene et Eden negotiatores tui; Saba, Assur et Chelmad venditores tui* »; — hebr. iungitur ita : *Charan et Kanneh et Eden, negotiatores Saba, Assur, Kilmad negotiatores tui.* Haran urbs est in Mesopotamiae parte illa quae spectat inter septemtriones et occasum solis, ex historia patriarcharum celebris (Gen. 11,31; 12,5; 27,43; 28, 10 etc.), in monumentis cuneatis Charran, apud Graecos et Romanos Carrae appellatur. Commercio erat aptissima cum inde via strata pateret in Babyloniam, ad sinum persicum, in Palaestinam (*Movers* l. c.

p. 247). Kanneh plerique censent esse urbem eandem cum כַּלְנֵה Chalanne (Gen. 10,10), Chalane Am. 6,2 (et Is. 10,9 Calano?) et ita scribitur in uno codice hebr. apud *de Rossi* et rescribendum censent *Houbig. C.;* Kalneh autem postea Ktesiphontem esse appellatam multi existimant; ita iam *S. Ephr.* (ad Gen. 10,10; vide *Assemani* Biblioth. or. I p. 26), *Euseb. Hier.* etc. et ex recentioribus *Winer, Movers, Keil, Troch.* aliique; at res est incerta. Alii putant esse urbem *Kulunu* quae inter babylonicas urbes recensetur in inscriptionibus cuneatis (cf. quae notavi ad Is. 10,9); *Oppert* hodiernum *Niffer* eo loco consistere in talmude tradi refert (Expédition en Mésopotamie I p. 270). Eden fortasse est Bit-Adini situm ad Euphratis cursum medium (vide ad Is. 37,12), cuius regionis urbs principalis Tilbarsip, hodie Biregik commercio inter Syriam et Mesopotamiam, Assyriam et Babyloniam quam maxime apta erat, eo loco sita quo Euphrates navigabilis evadit (*Delitzsch,* Paradies p. 4). Negotiatores autem Sabaei hoc loco apposite commemorantur, quia Sabaei merces suas in Haran deferre solebant; ibi aromata sua et merces quas ex India et Aethiopia attulerant cum mercibus Mesopotamiae et Babyloniae commutabant et ex Haran in Phoeniciam proficisci solebant; id ex Iuba nobis Plinius refert (12,39.40; *Movers,* l. c. p. 139. 247). Unde Sabaei commercium inter Mesopotamiam et Tyrum potissimum promovebant; quare hoc loco apte de iis mentio fit et immerito verba ea a *C.* delentur. Nomen Saba etiam apud LXX *S. Hier.* legit sicut apud *Theodoretum* quoque reperitur (ceterum deest in A, B etc. K, Ar). Nomine Assur intelligi emporium Sura, hodie Essurijeh, in citeriore ripa Euphratis supra Thapsacum opinatur *Movers* p. 252; at cur usitata vocis notio de regione assyriaca non retineatur non est ratio; alii vocem accipiunt h. l. de antiqua urbe Asur vel Assur sita in ripa occidentali Tigridis meridiem versus a Kalah, ubi nunc visuntur ruinae Kileh Shergat (cf. G. Smith's Chaldaeische Genesis, von *Delitzsch* p. 32. 250). Sed cum in hac enumeratione plerumque gentes et regiones recenseantur, urbes autem rarius, nihil obstat quominus vocem Assur etiam hoc loco eo sensu explicemus quo alias occurrit; nam de urbe Assur in s. litteris non fit mentio. Demum mentio fit de Chelmad, quam vocem *Bochartus* (Chanaan 1,18 p. 480) ad urbem magnam in Mesopotamia Charmanden refert, de qua Xenophon (Anab. 1,5. 10) et Sophaenetus (apud Stephanum byz. s. v. Χαρμάνδη) scribunt. Cui sententiae subscribunt *Movers* p. 251, *Keil.* LXX praebent Χαρμάν, quam vocem *Theod.* de Καρμανία explicat; *Sm.* Carmaniam intelligi posse haud abnuit.

Syrus eam vocem omisit; *Chald.* exhibet Mediam. *Vil.* commemorat

explicationem quam rabbinus Ioseph Kimchi proposuit, esse כלמד adiectivum למוד cum כ iunctum; « unde aliqui vertunt : Assur quasi doctus, peritus negotiationis tuae ». Quam explicationem iterum proponunt *Hitz.* : Assur in commercio addiscendo tuus est discipulus, et *C.* : immo Assur ad tuas nundinas se conferre debuit. Censent enim post Assur non posse poni nisi inepte aliam urbem vel regionem, cum eo quod Assur debuerit quasi tributum solvere Tyriis et eorum nundinas frequentare, fastigium gloriae Tyriorum contineatur. Verum enumeratio non finitur cum Assur, quia in v. 25 iterum mentio fit de Tharsis. Praeterea illa explicatio de se iam satis coacta omnino recedit a modo quo toto hoc loco constanter loqui solet Ezechiel. Valde insistit *C.* in eo quod Assur Chelmad hebr. ponuntur sine particula coniunctionis; sed illa adest apud LXX et *Chald.*; ceterum illa quoque deest v. 13 : Iavan, Thubal et in hoc ipso versu *negotiatores Saba* neque cum Eden neque cum Assur illa particula coniunguntur.

Subiungitur quae merces ex regionibus Mesopotamiae et Assyriae sint allatae v. 24 « *ipsi negotiatores tui multifariam involucris hyacinthi et polymitorum gazarumque pretiosarum quae obvolutae et astrictae erant funibus; cedros quoque habebant in negotiationibus tuis* »; — hebr. explica : ipsi institores tui in palliis eximiae pulchritudinis vel vestimentis; ita vocem מַכְלֻלִים a כלל *ornare* accipiunt *Movers, Keil, Sm.*; vide 23,12. Potest etiam generatim concipi : in omni varietate perfectarum mercium (*Vil. Vat.*). Dein quae fuerint res omni perfectione eximiae exponitur : *in palliis* (vestimentis) *hyacinthinis et acu pictis varie,* quibus Babylonii celebres erant, ita ut poetae latini quoque canerent : babylonica picta superbe texta, Semiramia quae variantur acu, et : plumato amictus aureo babylonico (Martialis, Petronius apud *Movers* p. 260). Panni babylonici maximi aestimabantur propter elegantiam et subtilitatem et propter artem qua figurae multiplices animalium, hominum, pugnarum, venationum etc. in iis acu pictae cernebantur. Reliqua quae in hebr. sequuntur, dubia sunt et obscura. Interpretatio satis probabilis haec est : *in tapetis versicoloribus, in rudentibus constrictis et compactis;* nam Tyrii ad navigandum funibus quam maxime firmis opus habebant. Alii censent חֲבָלִים posse explicari vel de funiculis arte factis et pretiosis, de quibus v. g. Esth. 1,6 : et pendebant ex omni parte tentoria aerii coloris... sustentata *funibus* byssinis atque purpureis, vel de filis sericis, bombycinis quae ex Mesopotamia Tyrum allata sint, ut ibi purpura tincta texerentur (*Movers* p. 263). Quae sententia non displiceret, si de illis funibus quidquam aliud praedicaretur quam quod fuerint constricti et compacti.

Theodotion retinuit verba hebr. : machalim, galima, in gazis barameim; duo prio-

ra etiam quandoque in textum gr. inserta sunt; ita leguntur apud Theodoretum et sine aster. in 22. 36. al.; LXX satis brevi v. exhibent : deferentes negotiationem hyacinthum et thesauros electos funibus colligatos καὶ κυπαρίσσινα, vel uti A habet ἐν κυπαρισσίνοις; A simul addit post hyacinthum *et purpuram*; et *Aq. Sym.* polymita. Vocem גנזים plerique reddunt thesauros uti Esth. 3,9 et 4,7; sed vox potius *aerarium* significare videtur locis allatis. Verum *Sm.* voci assignat significationem tapeti vel operimenti, qua notione reperitur in targum ad Esth. 1,3 et quae ex arabico et aethiopico satis commendatur. Cum LXX praebeant φέροντες, pro מכללים legisse videntur מובילים a יבל hiphil; thesauros autem *electos* explica ex בחורים pro hebr. ברומים. Hanc vocem haud improbabiliter explicant ex arabico « filum ex duabus aut pluribus partibus contortum, quale stamini saepe inservit, tum speciatim funis contortus bicolor » (*Ros.*).

Denique totam enumerationem rediens ad initium (v. 12) et urbis gloriam complectens vates absolvit v. 25 « *naves maris principes tui in negotiatione tua, et repleta es et glorificata nimis in corde maris* »; — hebr. *naves Tharsis commeatus tui, negotiatio tua;* sed probabilius vox שרותיך ex *Aq.* qui habet πλοῖα Θαρσεὶς ἐλειτούργει σοι erit emendanda in שרתוך : naves Tharsis tibi ministrabant in commercio; sim. *Syrus, Chald.* : afferebant negotiationem. Quo commercio Tyrus divitiis est repleta et *gravis facta,* celebris evasit et auctoritate valens, quae tamquam regina potentissima marium vel tamquam navis magnificentissime ornata in medio mari dominaretur; vide v. 4 seq. Ostendit igitur vates commercium Tyri sedulo exerceri in Hispania, in regionibus ad Pontum et mare caspium, in Armenia, in Asia minore et Graecia, in Arabia, in Palaestina, in Babylonia et Mesopotamia et Assyria. Unde Tyrus ornata apparet opibus omnium horum populorum omnesque mercibus suis ac studiis et artificiis sibi devincens tamquam laudis et gloriae Tyriorum praecones et internuntios.

e) **Naufragium Tyri 27, 26-36.**

Quod Isaias annuntiaverat tamquam normam Dei : dies Domini super omnem superbum et excelsum et super omnem arrogantem et humiliabitur (2,12), id in Tyro quoque impletum iri Ezechiel vaticinatur. Descripta enim Tyri gloria in metaphora navis magnificentissimae (v. 4-11) et in commercio late per omnes orbis partes exercito (v. 12-25) iam naufragio repentino gloriam omnem omnesque opes perditum iri annuntiat v. 26 « *In aquis multis adduxerunt te remiges tui; ventus auster contrivit te in corde maris* »; — in aquas multas i. e. in mare altum (*Vil. Lap. Tir.*) adduxerunt te remiges tui; at ventus subsolanus, ventus vehemens ab oriente navem conterit atque confringit in alto mari; « cadim (קָדִים) graece καύσων interpretatur quem nos

in *ventum urentem* transferre possumus » (*S. Hier.*); cf. Ps. 47,8 : in spiritu vehementi conteres naves Tharsis. Navis scil. illa magnifice exstructa quae omni tempestate superior videbatur, educitur magna nautarum superbia et fiducia in mare altum; at illorum spes egregie fallitur. Tempestate ab oriente irruente periculum a Chaldaeis imminens 26,7 declarari vix negaveris (*Theod. Vil. Vat. Mald. Mar. Lap. Calm.*); iam *Chald.* : rex fortis tamquam ventus orientalis contrivit te in medio marium.

Et quanta sit contritio et ruina, eo describitur quod quaecumque in illa navi vehuntur fluctibus maris absorbentur v. 27 « *divitiae tuae et thesauri tui et multiplex instrumentum tuum, nautae tui et gubernatores tui qui tenebant supellectilem tuam et populo tuo praeerant, viri quoque bellatores tui qui erant in te cum universa multitudine tua quae est in medio tui, cadent in corde maris in die ruinae tuae* »; — Tyrus gloriata est de corde maris quasi sua ditione v. 4; unde non sine ironia bis effertur v. 26. 27 in corde maris eius fore ruinam et excidium; eadem ironia in v. 27 ea recensentur in quibus a v. 4 et seq. Tyri gloriam consistere dictum est. De verbis vide ad v. 12 : divitiae tuae, *merces tuae, negotiatio* (permutatio) *tua,* nautae tui et gubernatores tui, *resarcientes rimas tuas* (vide ad v. 9) *et tractantes negotiationem tuam,* omnes bellatores tui etc.; unde cum mercibus et opibus navi vectis simul interire dicuntur varii nautarum ordines, mercatores, milites qui navem a piratis defendunt et tandem universa multitudo, quotquot navi vehuntur. Sic enim figura naufragii idem exhibetur quod 26,4. 5. 12-14 dictum est alio modo. Et quemadmodum 26,15 seq. sonitu ruinae Tyri insulae commoventur et principes maris ornatu deposito lugent et lamentantur, ita hic quoque ruinam et naufragium consequitur omnium commotio, perturbatio, luctus et lamentatio v. 28 « *a sonitu clamoris gubernatorum tuorum conturbabuntur classes* »; — dum navis frangitur, ingentes clamores tollunt gubernatores territi et repentina ruina stupefacti, et ita quidem ut *classes* contremiscant i. e. ut aliae urbes, testes ruinae, eius casu et infortunio terrefiant. In ea commotione quam ingentes sint clamores apte describitur. Cum Tyrus navi comparetur, reliquae urbes per orbem quibuscum commercii societatem iniit haud incongrue a *S. Hier.* classibus conferuntur. Vox hebr. מִגְרָשׁוֹת potius de oris maritimis vel de regionibus dici videtur. Sed cum in v. 29 manifestissime supponatur navem Tyri aliis navibus circumdari, versio *S. Hier.* maxime congrua est et forte voci illi notio classis erit vindicanda (cf. *Ewald,* Lehrb. § 188 d).

Syrus vocem explicat *quae circa te sunt*; *Chald.* suburbana; *Sym.* οἱ ἄπωθεν; *Theod.* αἱ πατριαί; LXX : ad clamorem vocis tuae gubernatores tui timore timebunt; illud *tui* certe incongrue ponitur; nam nautae tyrii simul cum navi merguntur v. 27, unde etiam *timore* parum dicitur. *C.* tamen ex LXX textum hebr. restituendum esse censet omisso quidem illo *tui* : a strepitu ruinae tuae gubernatores trement et pavebunt ירעשו מרעשה; sed cum in tota hac parte a v. 28 seq. magna quaedam conformatio cum 26,15 deprehendatur, textum hebr. retineri oportet : ut ibi a sonitu ruinae insulae commoventur, ita hic vel orae maritimae vel classes.

Iam terror et conturbatio omnibus incussa describitur v. 29 « *et descendent de navibus suis omnes qui tenebant remum; nautae et universi gubernatores maris in terra stabunt* »; — viso navis tyriae naufragio ne in suis quidem navigiis se tutos existimant, sese in terram firmam ex fluctibus minacibus proripiunt; magni terroris est significatio, si corruente domo vicini tui tu non iam in tua remanere audes; cf. 26, 16 : et descendent de sedibus suis. Terrorem consequitur eiulatio et luctus v. 30 « *et eiulabunt super te voce magna et clamabunt amare et superiacient pulverem capitibus suis et cinere conspergentur,* v. 31 *et radent super te calvitium et accingentur ciliciis et plorabunt te in amaritudine animae ploratu amarissimo* »; — omnia luctus indicia colliguntur, ut quanta tristitia conficiantur ad vivum exprimatur; ad summum dolorem testificandum Iosue et senes pulverem mittunt super capita sua (Ios. 7,6); vide 1 Reg. 4,12. 2 Reg. 13,19. Iob 2,12. Mich. 1,10; de calvitie cf. 7,18. Is. 22,12. Ier. 7,29. Mich. 1,16 etc.; ad dolorem et luctum vestes quoque lugubres, squalidae, e panno crasso et aspero factae i. e. saccus vel cilicium adhibebantur; cf. Is. 3,24; 58,5.

Signa doloris et tristitiae carmen consequitur lugubre, sicut 26,17; v. 32 « *et assument super te carmen lugubre et plangent te : quae est ut Tyrus, quae obmutuit in medio maris?* v. 33 *quae in exitu negotiationum tuarum de mari implesti populos multos; in multitudine divitiarum tuarum et populorum tuorum ditasti reges terrae* »! — hebr. *et assument in lamentatione sua carmen lugubre* (*Vat.*) scil. בְּנִיהֶם a נִי q. d. נְהִי lamentum; cf. 2,10; unde *Sym.* vertit ἐν μέλει; LXX : assument *filii eorum* i. e. בְּנֵיהֶם; item *Syrus* et complures codices apud *de Rossi;* verum non filii, sed ex v. 29. 30. 31 iidem lamentum tollunt. In carmine, uti assolet, prius ex quo fastigio gloriae et opum urbs deiecta fuerit proponitur : quis unquam tam potens et gloria illustris fuit, sicut Tyrus? sed statim additur ruina : *sicut deleta in medio mari;* de voce דֻּמָּה[1] vide Is. 6,5; 15,1. Ier. 47,5. Os. 10,15

---

1. *Delitzsch* coniectat vocem referri ad דמם, assyriace *damdmu* et significare speciem lamentabilem (Jammerbild; apud *Baer* l. c. p. XI; Prolegomena c. n. Woerterb. p. 64).

hebr.; aliter *Chald.* : non est similis ei in medio maris, et *Syrus* : quae habitat in mari (ex 26,17?); cum דמה significet *esse similem,* explicatio *Chald.* qua tota sententia ad gloriam Tyri refertur valde commendatur et punctis mutatis (*Ewald*) vel scriptione כדמותה facile habetur. *C.* emendat : quis erat sicut Tyrus illustris כבדה in medio mari? Populos implebat, cum *egressae essent merces eius e mari* (hebr. *Vat.*) i. e. transportatione per mare aliis adveherentur vel e navibus in litore exponerentur. Magnae gloriae Tyro vertitur quod *multitudine opum et mercaturae* (*mercium*) ipsos reges terrae ditabat.

Sed quae populis et regibus opes addebat et splendorem, iam casu miserrimo interiit v. 34 « *nunc contrita ęs a mari, in profundis aquarum opes tuae et omnis multitudo tua quae erat in medio tui ceciderunt;* v. 35 *universi habitatores insularum obstupuerunt super te et reges earum omnes tempestate perculsi mutaverunt vultus;* v. 36 *negotiatores populorum sibilaverunt super te : ad nihilum deducta es et non eris usque in perpetuum* »; — cf. 26,18. hebr. *reges eorum horrent, vultu conturbantur* (*Vat. Mar.*); ita qui commercii et utilitatis societatem inierunt cum Tyro, dum alii quia felicitas parit invidiam (*Mar.*), casum Tyri gaudio et irrisione prosequuntur; negotiatores alii, aemuli Tyriorum, ex Tyri ruina voluptatem capiunt ex eius scil. damno et interitu sibi emolumenta et lucra promittentes. Ad verba vide 26,21. Ier. 19,8. Soph. 2,15. Ubi nunc omnis illa pompa, omnis fastus? Quam apposite monemur : non glorietur dives in divitiis suis, sed in hoc glorietur qui gloriatur scire et nosse me, ait Dominus (Ier. 9, 23. 24).

f) **Regis Tyri superbia deiicitur 28, 1-10.**

In hac parte intima redditur causa, cur Deus Tyrum deiecturus sit; causa est eadem quae urbi Ninive quoque et Babyloni fatalis evasit (Is. 14,13; 47,7. 8. Soph. 2,15), superbia scil. qua sibi numen divinum attribuit. Quae gentis arrogantia et sui ipsius complacentia in gentis capite, in rege, exprimitur; « quomodo autem tyriae urbis sub figura navis primum divitiae, deinde ruina planctusque descriptus est, sic ad principem Tyri primum sermo fit prophetalis quod erectus sit per superbiam nec bene abusus opibus quas habebat, deinde luctus et lamentatio, de quantis bonis ad quanta mala pervenerit » (*S. Hier.*); v. 1 « *Et factus est sermo Domini ad me dicens :* v. 2 *fili hominis dic principi Tyri : haec dicit Dominus Deus : eo quod elevatum est cor tuum et dixisti : deus ego sum et in cathedra dei sedi in corde maris, cum sis homo et non deus, et dedisti cor tuum quasi cor dei* »; — apodosis non sequitur nisi v. 6. 7, postquam scil. in v. 3-5 tumor regis et

superba iactatio est descripta, qua eo pervenerit, ut numen divinum sibi attribueret. Cum dei nationalis gloria et potestas ex sententia gentium in eius populi splendore et auctoritate consisteret et exprimeretur, facile concipitur, cur potissimum in rege numen divinum adesse creditum sit (vide quae notavi ad Am. 1,15. Mich. 7,10. Is. 10,10). Dein tali loquendi modo regis gentisque superbia optime declaratur, qua scil. rebus prosperis elati audaces spiritus assumpserint, omnes prae se contempserint, sibique maximos honores arrogaverint. Vide quae dicta sunt ad Is. 47,7. 8. Soph. 2,15. Porro notum est quantam venerationem et adorationem reges orientales et a suis et a gentibus subiectis sibi exhiberi voluerint; adde quod haud raro se deorum filios iactaverint. Secundum antiquos Tyriorum mythos Tyrus insula sedes erat et domicilium deorum (*Movers* l. c. II 1 p. 125), ipsa urbs a Melkart deo aedificata esse ferebatur et inter maiores regum tyriorum et carthaginiensium Bel deus tamquam primus recensetur (*Movers* I p. 258; II 1 p. 131. 501 seq.) et tamquam auctor et parens generis regii celebratur. Insula Tyrus adeo firma, inaccessa, et omni infortunio superior videbatur ac si esset sicut mons deorum et coelum immutabile et ab omni vicissitudine alienissimum (cf. Is. 14,13). Illi tumori opponit vates : homo es i. e. creatura fragilis, debilis, ceteris mortalibus par.

Dein non sine ironia describitur, quomodo cor suum i. e. sentiendi rationem dederit quasi cor dei, quomodo scil. altos et superbos spiritus conceperit et ex prospero rerum cursu et opibus et rerum peritia insolentiam auxerit v. 3 « *ecce sapientior es tu Daniele; omne secretum non est absconditum a te* »; — Daniel scil. Dei gratia vicit omnes magos et hariolos et nunc in Babylone sapientissimus est (*S. Hier.*), ei occulta somniorum pandit Deus; proinde ea locutione rex dicitur sapientiam plane divinam sibi attribuisse; modus autem loquendi ex iis depromitur quae vati, non Tyriorum regi, nota erant; Danielis quoque 14, 14 meminit. Porro spiritus tumidi et insolentes ex potentia et opibus invalescebant v. 4 « *in sapientia et prudentia tua fecisti tibi fortitudinem et acquisisti aurum et argentum in thesauris tuis* »; — cum omnia prospere procederent, opinionem Tyriorum de sua sapientia et experientia rerum quasi in immensum auctam esse cum ipsa commercii extensione ipsa res loquitur; unde v. 5 « *in multitudine sapientiae tuae et in negotiatione tua multiplicasti tibi fortitudinem et elevatum est cor tuum in robore tuo* »; — haec scil. est via et ratio, qua Tyrus ad altos illos spiritus pervenerit, ut de se cogitaret sicut Babylon : in sempiternum ero domina, non sedebo vidua et ignorabo sterilitatem (Is. 47,7).

Unde Deus qui gloriam suam alteri non dat, sed resistit superbis, superbiam illam egregie humiliabit v. 6 « *propterea haec dicit Dominus Deus : eo quod elevatum est cor tuum quasi cor dei,* v. 7 *idcirco ecce ego adducam super te alienos, robustissimos gentium, et nudabunt gladios suos super pulchritudinem sapientiae tuae et polluent decorem tuum* »; — haec demum est apodosis ad v. 2. Hostes adducet *feroces*, qui elegantiam pulchritudinis et splendorem foedabunt. Peculiaris poena in eo deprehenditur quod elegantia et sapientia prosternitur et foedatur ab hoste feroci. Interitu ignominioso et turpi rex tyrius peribit qui se diis aequavit v. 8 « *interficient et detrahent te et morieris in interitu occisorum in corde maris* »; — hebr. *in foveam te deiicient et morieris mortibus transfossi* i. e. morte maxime acerba, quae quasi mortis genera et dolores in se contineat, morte qua commune militum vulgus ab hoste victore plectitur. Regni civitatisque ruinam simili modo in regni capite depingit Ezechiel, quo Isaias in rege Babylonis casum regni babylonici; vide Is. 14,19. Non sine sarcasmo repetitur *in corde maris,* cum de eo adeo sit gloriatus rex v. 2; 27,4. Verum loquendi pompa et tumor cessabit v. 9 « *numquid dicens loqueris : deus ego sum, coram interficientibus te, cum sis homo et non deus in manu occidentium te?* v. 10 *morte incircumcisorum morieris in manu alienorum, quia ego locutus sum, ait Dominus Deus* »; — « quando te, inquit, regia potestate privabunt ii quos contra te hostes misero, teque interficient, num fremens et arrogantia insolens deum te ipsum nominabis, quasi eos dei appellatione perterrefaciens? verum hoc fieri nequit; rerum enim commutatio superbiae quoque mutationem afferet discesque hominem esse te, non deum...; valida est enim et cui resisti nequit mea sententia » (*Theod.*). Homo incircumcisus Hebraeis est homo impius, impurus, idololatra, abominabilis; unde rex talem subire mortem violentam et ignominiosam dicitur, qualis homini scelesto debetur.

g Carmen lugubre 28, 11-19.

Quemadmodum 27,3 seq. et 28,2-5, in priore carminis parte gloria et splendor regis describitur et sicut rex se deum vocavit et in throno divino sedentem se iactavit, ita hic quoque velut divina eius pulchritudo ac maiestas celebratur; v. 11 « *Et factus est sermo Domini ad me dicens : fili hominis leva planctum super regem Tyri* v. 12 *et dices ei : haec dicit Dominus Deus : tu signaculum similitudinis, plenus sapientia et perfectus decore* »! — eae scil. laudes, virtutes, bona recensentur quae rex tyrius pro sua superbia et elatione cordis sibi ipsi attri-

buit; sed modus loquendi uti v. 3 ad Hebraeorum cogitandi modum conformatus est. Hebr. verte : *tu sigillum perfectionis* i. e. summa perfectio in te cernitur; « qui enim sigillat aliquid, ei extremam manum imponit, opusque complet et absolvit » (*Lap.* sim. *Vat. Mald. Sm.*); תְּכוּנָה ex 43,10 aptam rei dispositionem et conformationem dicit; unde in principe tyrio quasi in perfectissimo exemplari apta haec dispositio expressa cernitur, ut alii explicant : si quis felicissimi principis imaginem depingere voluisset, tu eius imaginis perfectio fuisses; vel omnium rerum formam, pulchritudinem et dispositionem tu exples velut earum omnium sigillum expressum (*Vil. Mar. Tir.*), omnibus numeris absolutum exemplar (*Pint.*); alii in sigillo magis efferunt firmitatem, stabilitatem, auctoritatem quae per principem reipublicae concilietur (*Troch. Keil*). Eius perfectio statim duobus magis determinatur : sapientiae copia et summo pulchritudinis gradu; sapientia enim duce maxima illa et splendida effecta sunt, quae omnium admirationem sibi conciliabant (v. 4. 5); hisce autem sibi et reipublicae summam addidit elegantiam et venustatem, cuius species iam cernitur in metaphora navis egregiae 27,5 seq. Ea autem perfectione instructus rex quasi divina quadam maiestate praeditus videbatur (v. 2).

Uti supra dixerat : in cathedra dei sedi, ita nunc eximium eius et veluti divinum domicilium describitur v. 13 « *in deliciis paradisi Dei fuisti; omnis lapis pretiosus operimentum tuum : sardius, topazius et iaspis, chrysolithus et onyx et berillus et sapphirus et carbunculus et smaragdus; aurum opus decoris tui et foramina tua in die qua conditus es praeparata sunt* »; — hebr. *in Eden, horto Dei eras* vel in paradiso, horto Dei (cf. Gen. 2,15. Is. 51,3) i. e. urbem et regionem tyriam tamquam hortum amoenissimum ab ipso numine deliciis et venustate ornatum habuit (*Vil. Lap.*); erat quasi in paradiso, ita ut nihil felicitatis ei defuerit (*Mald. Mar. Calm.*), ut adnotat *Pint.* : « describit regis Tyri prosperitatem et deliciarum affluentiam qui in aula gemmis coruscante habitaverat et margaritis auro inclusis vestes suas adornaverat; utitur propheta hyperbolica locutione ad deliciarum et opum regis Tyri copiam explicandam; eodem modo loquitur divina Scriptura, cum ait regionem circa Iordanem irrigari instar paradisi Dei » Gen. 13,10. Cum Tyrus a Melkart esset fundata et dii antiquissimo tempore Tyrum sedem suam et domicilium elegissent, ut fama ferebatur apud Tyrios (*Movers* II 1 p. 125), non erat mirum, si rex Tyrum hortum vocaret Elohim et se deorum sobolem et progeniem cum fastu iactaret ibi sceptrum tenentem, ubi dii habitassent. Originem hanc divinam et regis auctoritatem decebat summus rerum omnium splendor, quem propheta in varietate et numero gemmarum

nobis spectandum exhibet. Novem lapides pretiosi enumerantur qui etiam inter duodecim illos in pectorali summi sacerdotis positos (Ex. 28,17; 39,10 seq.) recensentur: sardius, uti LXX quoque et *Syrus* vertunt אֹדֶם, topazius (vide ad Iob 28,19) iaspis (LXX h. l. smaragdum habent); chrysolithus, תַּרְשִׁישׁ (cf. 1,16; LXX ἄνθρακα); onyx (vide Iob 28,16); berillus; sapphirus (Iob 28,6. 16. Is. 54,11); carbunculus נֹפֶךְ vide ad 27,16 (etiam Ex. 28,18 et 39,11 carbunculum vertit *S. Hier.*). Apud LXX omnes duodecim lapides in pectorali pontificis repositi enumerantur eodem plane ordine quo Ex. 28,17-20 leguntur; unde ille locus huc est transsumptus in textu graeco. — Ultimam v. partem LXX reddunt : et auro implesti thesauros tuos et repositoria tua in te; verba hebr. satis obscura et dubia ita forte vertenda sunt : *ex auro opus tympanorum tuorum* i. e. explica cum *S. Hier.* : « auri tympanum vocat in quo infixi sunt lapides » et simili ratione interpretari oportebit נְקָבֶיךָ; demum additur ea esse praeparata die quo rex creatus est, quo scil. thronum ascendit. Etiam ex *Sym.* interpretatione princeps Tyri quasi pretiosissimum monile lapidibus distinctus exhibetur.

In versione ultimae partis *S. Hier.* secutus est Aquilam. Explicant *foramina* de instrumento musico variis foraminibus confecto, de fistula, vel tibia (*Vat. Mald. Mar. Tir. Calm. Troch. Schr.*); alii de foraminibus quibus illae gemmae erant inclusae (*Vil. Lap. Sa*); sim. *Ros.* : forsan sunt *cavitates* quibus gemmae continentur, quales sunt quae in annulis dicuntur *palae*; *Grotius* margaritarum lineas intelligit, *Sm.* lapides pretiosos perforatos; תפים multi de tympanis accipiunt (*Vil. Mald. Vat. Lap. Mar. Tir. Schr. Keil*); proin « tympana et fistulae, omnia laetitiae instrumenta ab ortu tuo praesto fuerunt, ut tibi plauderent, tuum natalem celebrarent » (*Mar.* sim. *Schr.*). Parumper alio modo *Haevernick, Keil*, qui נְקָבִים *mulieres* explicari debere censent; ei igitur in die quo rex creatus sit praesto fuisse gregem pellicum quae saltatione et musica eum celebraverint. In textu vertendo *aurum* ad antecedentia, ad nomina gemmarum adnectunt (sim. LXX qui medias inter gemmas argentum et aurum recensent); alia vertunt : ministerium tympanorum tuorum et feminarum tuarum erat apud te; die quo creatus es parabantur.

Tamquam talis Tyrum, sedem deorum antiquissimam et celeberrimam, protexit atque defendit suoque populo erat praesidio et ornamento; id contineri videtur v. 14 « *tu cherub extentus et protegens et posui te in monte sancto dei; in medio lapidum ignitorum ambulasti* »; — textus *mas.* verti potest : *tu cherub unctionis* (?) *protegens et dedi te, in monte sancto dei fuisti, in medio lapidum ignitorum ambulasti;* LXX hebr. את non *tu*, sed *cum* reddunt : cum cherub posui te in monte sancto dei; sim. *Syrus :* et eras cum cherub; etiam *Theod. Sym.* non *tu*, sed *cum* legerunt. Mons dei sanctus in quo positus est

ipsa Tyrus intelligatur oportet; nomen ex eo explicatur quia Tyrus antiquissima deorum sedes existimabatur. Unde Tyrus est simul sanctuarium. Cherub autem, uti paradisum custodit ne homo peccator eo intret, ita figura cherub etiam sanctuarium, arcam Dei Israel in templo Salomonis, alis obtegit. Ex his explicatio petenda erit, cur rex Tyri dicatur vel cherub vel cum cherub esse in monte dei. Tyrum igitur et vetus deorum sanctuarium quasi cherub protegit, profanos et inimicos arcet; ipse autem in loco commoratur maxime tuto, inaccesso. Uti ad portam paradisi collocabatur cherub et flamma gladii sese vertentis (Gen. 3,24 hebr.), ita sedes regis lapidibus ignitis quasi muro ignis in circuitu (Zach. 2,5) est cincta et ab omni incursu protecta. Mons vero lapidibus ignitis cinctus et quasi corona septus, uti ab omni impetu hostili tutus est, ita longe lateque per regionem fulget; quare in tali monte dei et firmitas urbis et gloria eius perfecte exprimitur; in eo autem rex ut cherub residet i. e. tamquam originis altioris atque coelestis. Uti cherub eminet prae homine mortali, ita rex quoque prae reliquis civibus origine et dignitate a diis auctoribus derivata. Ad regem quoque appellatio cherub unctionis vel *uncti* (*Theod.*) congruit.

Ceterum locus est difficilis et obscurus. Eam dedi explicationem quae ad contextum et verba aptior mihi videbatur. Quae veteres interpretes de Hiram rege[1] qui ad templum in monte sancto Dei aedificandum adiuverit et ideo cherub alas extendens et protegens appellatus sit etc. haud raro proferunt, sine ullo damno omitti possunt, quamvis *Schr.* ea denuo proponat. Recentiores quidam immerito montem dei explicant de Meru et Kailâsa Indorum, de Hara-berezaiti (Albordsch) Persarum, de Olympo Graecorum (*Sm.*); ipsa Tyrus consideratur tamquam sedes deorum, vide v. 2 : in cathedra dei sedi in medio maris et v. 16. 18 rex proponitur mercaturam exercens, igitur non cogitatur secundum opinionem illam de monte deorum in parte septemtrionâli terrae in deorum concilio sedere vel ulti-

---

1. Ceterum ex quo fonte illa explicatio petita sit et quid de ea censendum, iam pluribus aperit *S. Hier.* : « solent Hebraei inter ceteras fabulas suas et genealogias atque interminabiles quaestiones haec contra Hiram regem Tyri dicta intelligere, cum a Salomone usque ad Ezechielem anni sint plurimi quos eo tempore homines non vixisse perspicuum est, et sic pronuntiare quasi per ironiam propheta ad eum loquatur : numquid tu es signaculum similitudinis Dei... adduntque fabulae suae miraculum, ut contra Scripturam, immo sine Scripturae auctoritate dicant Hiram mille vixisse annis. Verum haec quam violenta sit interpretatio, absque nostro iudicio prudens lector intelligit ». Et quantopere haec explicatio apud Iudaeos approbata fuerit, vide *Movers* l. c. II 1 p. 339. Eadem explicatio iam Origenis tempore ferebatur; eam enim expressis verbis reiicit in homilia 13 in Ezech. *M.* 13,759 : prophetia non de Hiram nos docet. Eandem explicationem *S. Ephr.* quoque commemorat iniecta mentione de vita Hiram usque ad Ezechielem producta.

mam terrae partem custodire. Lapides igneos alii accipiunt de gemmis v. 13 enumeratis : ita gemmis micantibus et fulgurantibus coopertus eras, ut inter carbunculos videreris ambulare (*Mald. Mar. Lap. Loch*), quae acceptio verbis non commendatur, cum nemo dicat se in medio vestimenti ambulare pro notione se veste esse coopertum. — Alii explicant secundum ea quae Herodotus 2,44 narrat, fuisse in templo Herculis Tyri duas columnas per noctem lucentes, auream alteram, alteram smaragdinam; unde rex in templo versans dicatur incedere inter lapides igneos; at illae columnae non possunt vocari lapides. *Calm.* explicationem proponit de pavimento quod gemmis fulgentissimis stratum fuerit et monet de Esth. 1,6, in Assueri convivio aulam omnem smaragdis ac pretioso marmore fulsisse. Quae opinio multo melius statuitur quam illa ex Herodoto deprompta; at cum de lapidibus *ignis* sermo fiat, igneos lapides non fuisse nisi fulgentes haud bene asseritur.

Pro אַתְּ *tu* vide Num. 11,15. Deut. 5,24. 1 Sam. 24,19. Iob 1,10. Ps. 6,4. Obscura est vox מִמְשַׁח; notio *unctionis* maxime obvia videtur, eamque exprimunt *Syrus, Theod.* et *Chald.* quoque qui fert : tu rex consecratus ad regnum. Affert etiam *S. Hier.* : « iuxta Septuaginta quod ipse cum cherub unctus sit » et sim. *Theodoretus* et sine aster. in XII. 22. 23. 36. al. — Alii vocem ex aramaico et arabico derivantes vel explicantes interpretantur de mensura, de extensione et expansione; ita *Sym.* καταμεμετρημένος quem secutus esse videtur *S. Hier.*: cherub extentus; a qua interpretatione quoque recentiores aliqui stant (*Ros. Ges.* Thes. p. 825 cherub expansionis i. e. expansis alis; *Ewald :* amplitudo tegentis i. e. longe lateque tegens). Sed prior notio ex usu vocis hebr. petita cum *Troch. Schr. Keil* aliisque praeferenda erit. *C.* verba difficilia omittens legi vult : cum cherub posui te, in monte deorum eras.

Quid rex tyrius de se et gloria sua iactaverit, propheta poetice et modo ad Iudaeorum cogitandi rationem adaptato explicuit. Iam ad alteram partem carminis, ad descriptionem culpae et ruinae sibi viam sternit v. 15 « *perfectus in viis tuis a die conditionis tuae, donec inventa est iniquitas in te* »; — adfuisse in dominatione Tyriorum splendorem et gloriam omnino conceditur; at pompam illam destrui iniquitate et fore ut corruat asseritur. Qualis autem sit culpa et ruina ex ea consecutura, declaratur v. 16 « *in multitudine negotiationis tuae repleta sunt interiora tua iniquitate et peccasti, et eieci te de monte dei et perdidi te, o cherub protegens, de medio lapidum ignitorum* »; — חָמָס dicit oppressionem, iniustitiam; proin primo accusatur violatio iustitiae, ordinis iuris et eorum officiorum quae omnium clarissime ab ipsa natura animis hominum insculpuntur. In oppressione autem plurima alia continentur : aviditas lucri, fraudes, crudelitas, rapinae, caedes. Unde multiplici peccato se obstrinxerunt; cf. v. 4. Cumulum

culparum verba ipsa *repleta sunt* indicant; sicuti mercibus opibusque horrea domusque implebantur, ita haud minore numero animi quoque iniquitate replebantur. In illa oppressione imprimis etiam describi negotiationem venaliciariam vix immerito censebimus, de qua vide *Movers* II 3 p. 6. 70 seq.; in ea enim vis et rapina crebro adhibebatur; de Phoenicum fraudibus et mendaciis cf. l. c. p. 105; φοινικικὸν ψεῦδος, μυθολόγημα apud veteres in proverbium abiit. In poenam spoliabitur cum ignominia sacra sua dignitate rex; *profanabo te de monte deorum* (hebr.) i. e. cum contaminatione te proiiciam (cf. Is. 43,28); antea enim unctus, consecratus vocabatur v. 14 hebr.; et qui tamquam cherub sanctuarium numinis protegere videbatur et qui quasi muro igneo cinctus ab omni impetu hostili tutus incedebat, iam Deo ultore ac vindice exitio mancipatur; de verbis vide v. 14.

Et quo magis se olim exaltavit, eo magis iam ad ludibrium deprimitur v. 17 « *et elevatum est cor tuum in decore tuo; perdidisti sapientiam tuam in decore tuo, in terram proieci te; ante faciem regum dedi te ut cernerent te* »; — propria pulchritudine elatus et inflatus sapientiam suam perdidit; prae tumore animi ad stultitiam et insaniam delatus est; id quod intelligere poteris de Tyriis qui opibus rerumque prosperitate ad insolentiam elati Chaldaeos hostes provocaverint ad ultionem capiendam. Deus autem fastum illum et arrogantiam deiicit; ludibrio eos exponit; *cernere* scil. cum voluptate eorum ruinam et poenam videbunt; ita רָאָה בְּ cf. Mich. 7,9. Fraudes illae et iniquitates tales erant, ut ipsi gentiles non possent non agnoscere turpitudinem; quare rex tyrius suo ipsius iudicio sacras leges violasse et sanctuarium numinis contaminasse exhibetur v. 18 « *in multitudine iniquitatum tuarum et iniquitate negotiationis tuae polluisti sanctificationem tuam; producam ergo ignem de medio tui qui comedat te et dabo te in cinerem super terram in conspectu omnium videntium te;* v. 19 *omnes qui viderint te in gentibus obstupescent super te; nihili factus es et non eris in perpetuum* »; — ex ipsa gentilium de diis opinione rex tyrius, cum moraretur in loco diis ab antiquissimo tempore sacro, non debuit ea iniustitiae et oppressionis crimina admittere; quare iuremerito dicitur sanctuarium profanasse. Etiam h. l. ipsa iniquitas commissa ut causa et origo exitii declaratur; ita enim ignem de medio eius productum iri explica; peccatum quippe poenam parit et perniciem; ignis metaphora indicatur exitium non posse averti idque fore maximum, sicut ignis incendio maxima declarari solet vastatio (Is. 1,31; 9,18). Uti Tyrii sui nominis gloria terram impleverunt, ita ignominia ruinae quoque omnibus innotescet ad stuporem et admirationem; cf. 27,36; 26,16. 21. Concluditur, uti supra, praedictione ruinae irreparabilis;

vide 26,4. 5. 14. 21; 27,36; « ut impleatur quod scriptum est : non parcam tibi et non miserebor » (*S. Hier.*). Hebr. *omnes qui norunt te in gentibus stupebunt; terrori eris* (cf. *Mald. Mar. Lap.* et recentiores). Supra navem tyriam naufragio interituram descripsit, hic urbem incendio; utroque interitus genere excidium plane absolutum declaratur.

Ceterum perspicuum est regem in hoc carmine considerari tamquam in quo totius civitatis splendor et gloria concludatur et qui ut populi caput et rex omnia totius populi studia in se comprehendat quasi et repraesentet. Ita Ezechiel de rege Aegypti in subseq. loquitur, ita ante eum de rege Babylonis Isaias locutus est 14,4 seq.; id cum non attenderet *Manchot*, etiam in hoc carmine res plane dissociabiles inter se iungi serio conqueritur. Ingentem deprehendit contradictionem inter 28,7-10 et 17. 18 : ibi enim regem occidi ab hostibus in medio mari, hic vero in terram prosterni, immo ignem de medio eius produci quo devoretur : « si in mari occiditur, nemo nisi qui sopore et insania oppressus sit ex cadavere ignem produci scribere poterit; *urbs* igne devoratur, *rex* vero occiditur »! Eodem modo obstupescit quod dicatur, *regis* interiora impleri iniquitate in multitudine negotiationis; haec ad unam urbem referri posse, uti pariter 28,5. 19. Rex igitur puto ab omnibus quae in regno fiunt alienissimus est; quare mox edocebimur de regis potentia quoque non posse ingeri sermonem, quia haec in civibus, militibus etc. consistat! Et talibus ratiunculis motus criticus textum ab omnibus testibus traditum lacerat, mutilat, discerpit. Sed satis de his speciminibus criticis!

Cum doctrina de peccato angelorum quod ad superbiam refertur et de eorum lapsu et in abyssum deturbatione nota sit aliunde, pronum est hoc oraculum ad illum eventum accommodare. Immo non desunt qui censeant verbis illis principis angelorum rebellium peccatum et ruinam directe et per se doceri et describi. Id tamen admitti nequit. Agi enim de rege tyrio eo modo quo apud Isaiam 14,13 seq. de rege Babylonis, tam clare et explicite verbis ipsis et toto contextu remoto et proximo patet, ut quomodo id distinctius et efficacius asseras invenire non possis. At ex altera parte dici potest doctrinam illam etsi hoc loco non enuntietur et doceatur per se, tamen in modo et colore dicendi supponi. Iuremerito enim dicere poteris, vati nunquam in mentem venturum fuisse, ut tali uteretur cum cherub comparatione, nisi de lapsu et castigatione praeclari alicuius angeli fuisset edoctus. Hac vero re supposita modus loquendi et figura et appellatio facile declaratur. Habemus igitur simile quid illi quod ad v. 3 vidimus. Nisi enim vates de sapientia Danielis certior factus fuisset, nunquam eo modo esset locutus; pari ratione de nostro loco dixeris : nisi scivisset aliunde unum ex angelis sublimioribus superbia peccasse et ex sum-

ma quadam pulchritudine in summam miseriam esse deturbatum, non appellasset regem tyrium cherub, non eum descripsisset in gloria et pulchritudine constitutum in Eden, in horto Dei, neque eum qui e sede sua deiicitur et dignitate spoliatus in miseriam abiicitur, iterum vocasset cherub. Huic appellationi non satisfit, si qui ad solam Adami historiam allusum esse contendunt; ex illa quippe re nequit explicari illa cum cherub comparatio, etsi alia forte satis commode expediantur. Eandem rem in alio argumento deprehendemus infra cap. 37. Reditus populi et theocratiae instauratio ibi exhibetur symbolo resurrectionis mortuorum. Ubi resurrectionem talem fore utique non docetur; at verum est quod monet *S. Hier.* : « nunquam poneretur similitudo resurrectionis ad restitutionem populi significandam, nisi staret ipsa resurrectio et futura crederetur ». Ceterum maximam partem etiam de hoc loco ea valent quae ad Is. 14,13 dixi (Comment. in Is. I p. 323 seq.); sed propter appellationem cherub nostro loco inesse censeo arctiorem cum casu diaboli nexum, quatenus non solum dicere possumus omnem superbiam et elationem humanam esse imitationem diaboli et a diabolo doceri et instigari, verum etiam addere debemus appellationem illam tum demum facillime fluere, si diaboli peccatum et ruina quasi comparatio tacite subintelligatur et praesupponatur.

Hac acceptione et sententiae Patrum multorum et interpretum, qui verba de daemone accipiunt, sua servatur veritas certis limitibus circumscripta, et regulis hermeneuticis plene satisfit. Quod quo melius pateat, paucis adumbrare iuvat varias ea de re interpretandi rationes. Non desunt qui unice de diabolo locum explanent. Ita v. g. *Tertullianus* loco nostro recitato addit : « quae ad sugillationem angeli, non ad illius principis proprie pertinere manifestum est eo quod nemo hominum in paradiso Dei natus sit, ne ipse quidem Adam, translatus potius illuc, nec cum cherub positus in monte sancto Dei, id est, in sublimitate coelesti, de qua satanam Dominus quoque decidisse testatur; nec inter lapides igneos demoratus, inter gemmantes siderum ardentium radios, unde etiam quasi fulgur deiectus est satanas. Sed ipse auctor delicti in persona peccatoris viri denotabatur » etc. (adv. Marc. 2, 10. *M.* 2,297). Eodem modo loquitur *Origenes* : « secunda prophetia (i. e. cap. 28) evidentissime talis est, ut nihil prorsus de homine, sed de virtute aliqua superiori intelligi debeat quae delapsa fuerit a superioribus et in inferiora ac deteriora deiecta... quis est qui audiens : signaculum similitudinis et corona decoris in deliciis paradisi fuisti, vel audiens quod ex quo creatus es tu cum cherubim, posui te in monte sancto Dei, ultra sensum suum poterit relaxare, ut de aliquo hominum vel sanctorum, non dicam Tyri principe haec dicta esse suspicetur »? etc. (περὶ ἀρχῶν 1,5 n. 4. *M.* 11,161; et 3,2 n. 1; *M.* 11,304); idem in hom. 13 in Ezech. : « plangitur princeps Tyri nec putandum est hunc hominem esse; in medio

quippe cherubim nullus hominum est creatus...; si igitur est quidam princeps regni Persarum, si est princeps Israelitarum Michael, consequenter et Tyri princeps est et de his nunc principibus sermo propheticus loquitur » (*M.* 13,757 seq.). Locum simpliciter de diabolo explicat *S. Augustinus*, simul cum aliis qui pari ratione non de satana agunt, uti Iob 40,14. Ps. 103,26 (Civit. Dei 11,15. *M.* 41,330); in libro Genes. ad lit. 11,25 n. 32 ita : « in figura principis Tyri in diabolum dicta intelliguntur ». Similiter *S. Cyrillus* alexandrinus : « satanam unum ceteros inter eximium ac praestantem illum audivimus » nostro loco recitato scribit (in Ioan. 8,44; libr. 6; *M.* 73,893) et *S. Anastasius* sinaita asserit de loco nostro : « haec proprie in diabolum dicta sunt a Deo; nunquam enim ita vixit princeps Tyri, ut in eum non caderet vitii labes et iusta reprehensio; ille enim erat impius et filius impiorum est mortuus; sed nec fuit in medio carbonum et lapidum igneorum » etc. (in Hexaemeron, lib. 7; *M.* 89,965). Eadem ponitur sententia a *S. Gregorio* (Moralia in Iob 32,23; *M.* 76,665) et in libro aliquot quaestionum, qui fertur inter opera Bedae venerabilis, qu. 9 de angelis (*M.* 93,462). Verum ea ratione textum non posse accipi, ex verbis et contextu manifestum est; agitur enim vere de principe Tyri; neque quae dicuntur de paradiso, de monte elohim (deorum), de lapidibus igneis (quos illi communiter angelos explicari volunt) ab ea acceptione nos recedere iubent; habent enim de rege Tyri explicationem sanam et contextui inhaerentem, dummodo consideres vatem superbiam et gloriam eius usque ad summum fastigium elatam describere tali modo, quo secundum Iudaeorum cogitandi rationem maxima cordis elatio adumbrari potuit.

Aliis visum est pari ratione de utroque, de diabolo et de rege Tyri, prophetam loqui. Ita *Theodoretus* Tyrum dicit duos habuisse principes, alterum scelerum impietatisque auctorem et magistrum, diabolum, alterum qui conspici posset, ab isto male afflatum et impietati mancipatum; « ad utrumque igitur pertinet oratio, sed neque huic neque illi omnia conveniunt, quaedam autem in utrumque et alia in alterum tantum ». Similiter censet *Pint.* ad litteram vatem agere de rege, sed ita ut etiam de primo angelo loquatur. Quod tamen quomodo fieri possit ita ut non simul duplex statuatur sensus litteralis aegre concipitur. Ab hac acceptione non multum differt sententia ab *Estio* proposita. Censet enim multa secundum litteram neque regi Tyri convenire nisi excessivae fiant hyperbolae, neque tamen totum vaticinium ad casum diaboli referri; unde statuit fieri transitum a diabolo ad eius membra, vel e contra ab uno impio ad caput impietatis diabolum. Sed admitti nequit orationem fluctuare incertam vatemque modo de diabolo modo de rege loqui et ab uno genere in aliud transire ut mox redeat ad prius. Contra quam explicandi rationem vide quae dixi in Comment. in Is. I p. 451.

Frequentiores alii ad litteram vatem loqui de rege tenent, at in rege Tyri typum describi diaboli. Quo modo *S. Ambrosius* scribit : « fuisse diabolum in paradiso Ezechiel propheta docet principem Tyri in figura accipiens diaboli » (lib. de paradiso, cap. 2; *M.* 14,278); in ea sententia est quoque

S. Hier. scil. sub typo principum, regum potestates adversarias designari, ita ut verba secundum hyperbolen de homine accipiantur. Ita in commentario in Ezech. docet. Ad Is. 54,12 ita scribit : « quis tam stultus et vecordis ingenii, ut in paradiso Dei positum principem Tyri quemcumque illum esse crediderit et conditum inter cherubim et inter igneos lapides conversatum (quos haud dubie angelos intelligimus coelestesque virtutes) putet fuisse eum qui terrenis lapidibus ornatus sit et habuerit similitudinem et signaculum » (*M.* 24,524)? Eam de typo sententiam etiam *Rupertus* tuitiensis indicat scribens sub nomine principis Tyri diabolum denotari (de victoria verbi Dei 1,8; *M.* 169,1223) et *Gord.* conceptis verbis enuntiat principem Tyri esse diaboli typum. Prope ad eam acceptionem accedunt qui proprie de rege Tyri explicant, at spiritualiter et mystice (*S. Ephr.*), vel allegorice (*Tir.*), vel secundo loco et figurate, sensu tropico et allegorico qui tamen ob maiorem nostram utilitatem principaliter a Spiritu sancto intentus sit (*Vil.*) de diabolo verba esse capienda docent. Idem fortasse *Lap.* exprimere vult, dum ait proprie vatem loqui de rege Tyri, « sed ita ut sub typo diaboli quem imitatus est rex regis superbiam et ruinam describat », quamvis verba eius aliter sonent; nam casum diaboli typum esse ruinae regis esset acceptio nimis mira. Sed ne alia quidem sententia qua in rege cernitur typus diaboli admitti potest. In ea enim a notione typi et sensus typici prout in veris typis concipitur omnino esset recedendum; de qua re lege quae habet *Cornely,* Introd. I p. 530 seq.; verum quis propter hunc locum novum typi genus statuere audebit? Quare alii interpretes in explicatione huius capitis ab omni mentione diaboli abstinent solum de rege exponentes (*Mar. Calm. Loch*); idem observatum vides apud *Mald.* qui quidem dicit theologos de diabolo interpretari solere, at nihil innuit, quomodo haec interpretatio consistat. Alii per quasdam ambages ad diabolum verba referunt dicentes in urbe tyria imaginem quandam nobis exhiberi mundi; mundi autem principem esse et regem illum qui fuerit caput angelorum peccantium (*Le Hir, Troch.*); sed nescio num hac via applicatio verborum ad casum diaboli vindicari possit vel suaderi.

In tanta igitur opinionum varietate talem studui sequi explicandi methodum, qua et sententiae illi adeo communi de diaboli superbia et ruina hoc loco fieri mentionem sua maneat vis et veritas, neque tamen novus typi conceptus neque duplex sensus litteralis neque anceps et fluctuans dicendi genus introducatur. Illud me assecutum esse puto, haec autem vitasse, dum statuo enuntiationi prophetae *tacite supponi* veritatem de diaboli peccato et ruina, quippe qui illa doctrina non exstante non in eum modum locuturus fuisset; ea autem supposita quomodo sermonem suum ad eam formam redegerit, facile concipitur.

h) **Minae in Sidonem 28, 20-26.**

Oraculo de Tyro adiungitur vaticinium in Sidonem, quae urbs olim diu primatum tenuit inter tribus cognatas (circa an. **1600-1100** a.

Chr.), quare Gen. 10,15 : Chanaan genuit Sidonem primogenitum suum; postea autem Tyrus insularis rerum potita in ceteras civitates dominabatur (cf. *Movers* l. c. II 1 p. 87. 119); Strabone teste duae urbes inter se certabant utri titulus metropolis Phoenicum potiore iure deberetur. Unde duae urbes praecipuae in oraculo de Phoenicibus apte efferuntur, ut in illis totius gentis sortes adumbrentur; v. 20 « *Et factus est sermo Domini ad me dicens :* v. 21 *fili hominis pone faciem tuam contra Sidonem et prophetabis de ea* v. 22 *et dices : haec dicit Dominus Deus : ecce ego ad te Sidon et glorificabor in medio tui et scient quia ego Dominus, cum fecero in ea iudicia et sanctificatus fuero in ea* »; — ponere faciem cf. 6,2; iubetur vates contra Sidonem ponere, ut Dei adversus Sidonem ira cumulatum cor gestu, non solum verbis ostendat (*Vil.*); *ecce ego ad te* cf. 5,8; 13,8; 21,3; 26,3; « concisa oratio est maxime insinuans animi commotionem et iram » (*Vil.*). Eo autem quod iusto iudicio fastum hominum frangit, Dominus *glorificatur*, sicut Ex. 14,4 : glorificabor in Pharaone et in omni exercitu eius (*Vil.*) et prout norma generalis Is. 2,12 enuntiatur. Ita etiam suis contemptoribus gloriam suam et potentiam manifestat, quia Deum et ruinam praedixisse et demum adduxisse fateri coguntur. Iudiciis illis quibus scelera condigna ultione puniuntur se simul tamquam Deum *sanctum* ostendit qui iniquitatem odio habet et castigat et delet; vide ad Is. 5,16 : et exaltabitur Dominus exercituum in iudicio et sanctificabitur in iustitia; cf. Lev. 10,3; 22,32.

Quibus autem iudiciis scelera sit prosecuturus et inimicos suos deiecturus, ut gloria sua innotescat et sanctitas, modo quodam generali aperitur v. 23 « *et immittam ei pestilentiam et sanguinem in plateis eius et corruent interfecti in medio eius gladio per circuitum et scient quia ego Dominus* »; — peste et bello eos consumet; cf. 5,17; undequaque gladio i. e. ab hostibus includuntur et trucidantur. Tali autem iudicio consilium Dei impletur : puniuntur illi et de medio tolluntur qui populo Dei adversantur eumque contumeliis afficiunt vel ei sunt in offendiculum (*S. Hier.*) v. 24 « *et non erit ultra domui Israel offendiculum amaritudinis et spina dolorem inferens undique per circuitum eorum qui adversantur eis et scient quia ego Dominus Deus* »; — hebr. *et non erit amplius domui Israel spina pungens et aculeus dolorem inferens ab omnibus in circuitu qui eos contemnunt* (cf. *Mald. Mar. Lap. Tir.* et recentiores); sententia conformata est ad Num. 33,55: Israelitas vexant irrisione; cf. 25,3; 26,2; « Sidonii et vicinae gentes et cum infestae erant, nocebant amicis, et cum amicae malo exemplo et suasionibus ad idololatriam invitantes » (*Men.*) et *Theod.* similiter : « ut neque exemplar impietatis vos habeat populus meus neque hostes cre-

bro eos invadentes et continenter eos excruciantes ». De voce מַמְאִיר cf. Lev. 13,51; 14,44; adhibetur de pessima leprae plaga; unde h. l. spina designatur qua vulnus infligitur pessimum. De voce שְׁאָט vide 16,57; 25,6.

Ultima sententia iam praeparantur laetae pro Israel promissiones et Dei iudicia in id dirigi atque disponi significatur, ut demum populus Deo consecratus et sanctus evadat et regnum Dei in orbe terrarum constituatur. Gentes improbe gaudent de ruina Ierusalem (25,3 et 26,2); at prostratis Dei inimicis Ierusalem gloriose resurget, populus Dei congregabitur, Deo summa praestabitur laus et gloria; ita finem et terminum iudiciorum Dei eiusque providentiae supernaturalis consilium vates praeclare connotat v. 25 « *haec dicit Dominus Deus: quando congregavero domum Israel de populis in quibus dispersi sunt, sanctificabor in eis coram gentibus et habitabunt in terra sua quam dedi servo meo Iacob*, v. 26 *et habitabunt in ea securi et aedificabunt domos et plantabunt vineas et habitabunt confidenter, cum fecero iudicia in omnibus qui adversantur eis per circuitum, et scient quia ego Dominus Deus eorum* »; — vide 11,17; 20,41. Deus se tamquam qui sit ipse sanctus et amet sanctitatem praestabit et manifestabit, cum suum populum reducit ad hereditatem patriarchis promissam. Habitabunt securi, fructibus laborum potientur; id quod ex norma V. T. indicat veram adfore in populo pietatem; de qua re vide quae notavi ad Is. 65,21 et Am. 9,13 et Mich. 7,14; normam illam habes apertissime declaratam Lev. 26,3-12. Deut. 28,1-14. Si autem res eo modo constituuntur, tum omnes experimento cognoscent Dominum Deum foederis, bona foederis largientem et promissa liberalissime tribuentem, amicis suis in beatitatem summam, in terrorem et interitum hostibus et adversariis. Quare utrique experientur rebus ipsis id quod Deus nomine suo Iahve exprimi voluit (cf. 6,7. 13. 14; 7,27 etc.).

3. *Oracula in Aegyptum. Cap.* 29-32.

Arg. — Hoc vaticinium septem constat oraculis. Et in primo quidem 29,1-16 vates in Pharaonem invehitur fastu elatum; sed Deus eum sicut crocodilum capiet et perdet cum exercitu eius, et ita perfidiam Aegyptiorum contra Israel puniet; Aegyptus miserum in modum vastabitur; postea tamquam regnum humile restituetur. In altero oraculo 29, 17-21 praedicitur Aegyptum vastatum iri et spoliatum per Nabuchodonosor, regem Babylonis. Cladem autem Aegyptiorum et iudicium in eos et in gentes foedere sociatas devolvendum tertio ora-

culo 30,1-19 explicatur, eius auctor denuo declaratur et quam longe lateque vastatio sit grassatura in idola, in urbes, in campos describitur. Alio carmine et alia metaphora in quarto oraculo 30,20-26 confractum iri dicitur brachia Pharaonis, sed confortatum brachium regis Babylonis. Deinde a simili casu regis Assur, olim potentissimi, ruina Pharaonis in quinto oraculo 31,1-18 illustratur; similis quidem est potentia Pharaonis regi Assur, cuius magnificentia metaphora cedri adumbratur; at propter superbiam succisa est et deleta eius potentia, ita ut omnes stupore replerentur; eadem erit sors Aegyptii. Subditur ruinae carmen ferale duplex : alterum quod sexto oraculo continetur 32,1-16, sortem regis et iudicium in eum latum lamentatur, alterum i. e. septimum oraculum 32,17-32 ruinam deflet regni et potentiae Aegyptiorum, quae sicut potentia gentium aliarum Deo inimica, in pulverem est deiecta et dissoluta; quo loco vates enumerat hostes Dei qui in Dei regnum irruptione facta in sepulcrum et oblivionem ignominiosam deturbati sunt et in inferno prostrati iacent totidem regni Dei trophaeorum ac victoriarum monumenta. Ita scena grandi carmen de potentia gentium Deo inimica vates absolvit et simul priorem libri partem qua de iudiciis in populum Dei et gentes agitur ad finem perducit.

Primum oraculum, quartum et quintum pronuntiata sunt brevi tempore ante expugnationem urbis Ierusalem; sextum et septimum brevi post expugnationem; secundum autem cui tertium quoque adiungendum videtur aliquo tempore ante expeditionem Nabuchodonosor regis in Aegyptum quae facta est circa annum 568 vel 567 a. Ch. — Cur vates tot oracula in Aegyptum ediderit, ex temporum conditione facile fluit. Sperabant enim Iudaei in Ierusalem et cum iis quoque exsules iam in Babyloniam abducti fore ut Aegyptii regnum chaldaicum superarent vel saltem ut ope et auxilio Aegyptiorum regnum iudaicum excusso iugo babylonico staret. De qua exspectatione vide 17,7 seq. 15 et Ier. 2,36; 37,6; praeterea quanta fuerit haec de Aegyptiis spes concepta, ex eo quoque elucet quod urbe capta multi Iudaeorum Ieremia frustra repugnante et contranitente in Aegyptum migraverint ibique se tutos fore ab ira et vindicta Chaldaeorum sibi persuaserint Ier. 42,15 seq. 43,1-7. Unde vates repetitis vicibus quale sit Dei consilium annuntiat, qui suum populum auxilio alienigenarum inniti minime vult, sed regnum aegyptiacum (uti iam ab Isaia 19,1 seq. praedictum erat) ruinae tradit. Edocentur proinde exsules, ut omni spe humana abiecta se subdant dominationi Chaldaeorum, donec suo tempore Deus ipse iis liberatorem mittet et theocratiae instaurationem molietur; « iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec causam

meam iudicet et faciat iudicium meum » (Mich. 7,9); hoc documentum etiam ex hisce oraculis colligitur.

Quae fuerint res aegyptiacae ab obsidione et expugnatione urbis Ierusalem usque ad interitum regni et dominationem Persarum, non satis constat. Pauca solum erui possunt, cum quae a Graecis narrantur magis ad fabulas quam ad rei veritatem accedant et ex ipsis Aegyptiorum monumentis de eo tempore haud multa colligi possint. Regem Aegyptiorum, Ephree (Οὐάφρις apud Manethonem, Ἀπρίης apud Herodotum et Diodorum siculum, Uachabra in monumentis aegyptiacis) frustra tentasse opem ferre urbi Ierusalem a Chaldaeis oppugnatae modo dictum est. Postea cum inter Cyrenenses, colonos graecos, et Libyes inimicitiae orirentur, Adikran Libyum rex se suumque regnum regi Aegyptiorum tradidit ea conditione, ut contra Cyrenenses defenderetur. Ephree petitioni acquiescens exercitum contra Cyrenenses duxit; sed pugna exorta fusus fugatusque est. Ea clade accepta Ephree coactus est ab exercitu Amasin, qui erat ei affinitate coniunctus, in regni consortium assumere. Videntur ambo ab anno 570-564 communi consilio res aegyptiacas administrasse. Eo tempore (an. 568 vel 567) Nabuchodonosor Aegyptum praedaturus invasit; usque ad Syenen progressus praeda amplissima acta se recepit. Amasis (564-526) bellum gessit contra Arabes, per aliquod tempus urbes cyprias sibi subiectas tenuit, foedus iniit cum Croeso rege Lydorum; sed Croeso devicto iam non ausus est quidquam contra Persas moliri; sub ipso regnum aegyptiacum limitibus sat arctis erat constrictum; concludebatur scil. valle Nili a mari mediterraneo usque ad cataractas Assuan, ita ut regnum sub ultimo rege fere iisdem finibus contineretur quibus sub primo rege Mene constitutum erat. Ceterum sub eius regno magnam terrae fertilitatem rerumque omnium abundantiam exstitisse refertur. Post ipsum per paucos menses regnavit Psammetichus III; Cambyses enim rex Persarum Aegyptum sibi subiecit (cf. *Wiedemann*, Aegyptische Geschichte p. 636 seq.).

a) **Fastus regis deprimetur 29, 1-16.**

Eo tempore quo Iudaei in Ierusalem obsessi et exsules quoque auxilium sperabant ab Aegyptiis, clades et humiliatio Aegypti a vate annuntiatur. Deus enim per prophetam normam promulgari iubet suam; v. 1 « *In anno decimo, decimo mense, undecima die mensis factum est verbum Domini ad me dicens* »; — anno decimo scil. transmigrationis Ioachin regis, qui est idem annus decimus Sedeciae regis (cf. 1,2); ergo circa 6 menses ante expugnationem urbis ruinam Aegypti annun-

tiare iubetur propheta; v. 2 « *fili hominis pone faciem tuam contra Pharaonem regem Aegypti et prophetabis de eo et de Aegypto universa*, v. 3 *loquere et dices : haec dicit Dominus Deus : ecce ego ad te Pharao rex Aegypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum et dicis : meus est fluvius, et ego feci memetipsum* »; — draco magnus (תַּנִּים hic; alias תַּנִּין, de qua voce vide Is. 27,1; 51,9. Ps. 73,13) optime intelligitur de crocodilo (*Mald. Mar. Lap. Tir. Calm.* et recentiores); regis potestas, saevitia illo symbolo declaratur. Iam statim ab initio ipsa appellatione Deus declarat, quo loco apud se sit fastus ille ac superbia regia et quomodo regem tamquam bestiam ferocem et nocivam domiturus sit. Nilus יְאֹר appellatur voce ut videtur aegyptiaca, quam *Ebers* (Aegypten u. d. B. Mose p. 338) fluvium magnum interpretatur; flumina יְאֹרִים intellige de canalibus. Cum aquis Nili eiusque inundatione tota Aegypti fertilitas constituatur, rex de sui regni opibus gloriatus apte exhibetur sicut crocodilus cubans in flumine; eique tamquam tessera iactationis illa in ore ponitur de tali fluvio adeo benefico ac necessario gloriatio : *meus est fluvius, ego feci mihi* scil. eum (hebr. *Vat. Mald. Pint. Mar. Lap. Men. Tir.* et recentiores) i. e. mea sapientia, industria, potentia Nilum per totam regionem derivavi, ut in omnes partes aquae eius deferrentur fecundantes, ego feci Nili rivos et aggeres (*Mald. Lap.*) eumque in terrae utilitatem converti. Utique non minimae artis erat rivos et aggeres ducere et lacus construere aliaque opera excogitare et perficere, ut aquae Nili si nimium excrescerent ne damnum afferrent sed coerceri possent, vel si non satis augerentur, ut ex praecedentium annorum abundantia suppleri posset defectus. Quare Aegyptii et de tali flumine et de sua arte et industria sibi gratulabantur; id quod verbis regis cum pompa et fastu declaratur. LXX : ἐμοί εἰσιν οἱ ποταμοί, καὶ ἐγὼ ἐποίησα αὐτούς; sim. *Syrus* : ego feci eum; *Chald.* : meum est regnum et ego calcavi (subiugavi); etiam *S. Hier.* explicat: ego mei conditor sum, vel ipse feci flumen, quo omnis Aegyptus irrigatur. Verba haec eo aptius regi attribuuntur, quia rex apud Aegyptios habebatur et appellabatur filius Ra, filius deorum, bonus deus etc. et in monumentis saepe in ornatu et vestibus deorum repraesentatur (cf. *Erman*, Aegypten u. aeg. Leben im Alterthum p. 91. 95); inter alia v. g. Amenhotep III sibi ipsi templum exstruxit in Soleb et uxori in Sedeinqa et ab Usertesen III lex statuebatur, ut barbari devicti Pharaonem tamquam deum[1] patrium colerent

1. Ad quam superbiam illustrandam apposite monet *Brunengo* l. c. II p. 309 narrare Herodotum dixisse Aprien (Ephree) se ne a deo quidem posse regno spoliari, adeo firmiter

(*Erman* l. c. p. 665; cf. p. 113. 117. 118; *Wiedemann* l. c. p. 3). Verum fastum illum Deus egregie deiiciet; servatur comparatio crocodili; v. 4 « *et ponam frenum in maxillis tuis et agglutinabo pisces fluminum tuorum squamis tuis et extraham te de medio fluminum tuorum et universi pisces tui squamis tuis adhaerebunt* »; — hebr. *hamum* vel uncinum iniiciam maxillis tuis, « sive constringam laqueis os tuum quo magnifice loquebaris et omnes socios ac duces tuos quos pisces vocat adhaerere faciam pennis vel squamis tuis, ut extractus e flumine proiiciaris » (*S. Hier.*). Simul cum rege et principes et cives clade prosternentur (*Lap.*); cf. Hab. 1,14 seq.; hamo capi crocodilum apud Aegyptios Herodotus narrat 2,70, uti *Calm.* et recentiores monent. Stragem alia sequuntur opprobria v. 5 « *et proiiciam te in desertum et omnes pisces fluminis tui; super faciem terrae cades, non colligeris neque congregaberis; bestiis terrae et volatilibus coeli dedi te ad devorandum* »; — in regione deserta et arida animalia aquatica misere pereunt. Mortem probrosam sequitur ignominia quod nequaquam sepulcro honorifico condetur; cf. Is. 14,19. Ier. 7,33. Suspicatur *Lap.*: forte etiam proelium in deserto commisit Pharao cum Chaldaeis, ubi occubuit, et sim. *Hitz.*; at cum vates in metaphora crocodili loquatur et insuper eiusmodi locutionibus clades declarari soleat, nequaquam verba ita sunt premenda. Si igitur rex erit humiliatus, tum omnes iam non eum tamquam deum venerabuntur, sed Dominum ultorem agnoscent qui iniuriam suo populo illatam vindicaverit : v. 6 « *et scient omnes habitatores Aegypti quia ego Dominus, pro eo quod fuisti baculus arundineus domui Israel* »; — vide Is. 36,6; baculus scil. qui si quis inniti velit statim frangitur et innitentis manum vulnerat. Auxilium quod Aegyptii promiserant Iudaeis erat fallax, inane et Iudaei spe illa decepti maiora et graviora damna experti sunt. Apposite Aegyptum comparari arundini, quia regio arundinibus tam papyriferis quam aliis abundet, *Lap. Sm.* monent. Auxilium illud inane et spem fallacem vates servata metaphora explicat v. 7 « *quando apprehenderunt te manu et confractus es et lacerasti omnem humerum*

---

regnum suum stabiliri (Herod. 2,169). Reges Aegyptiorum quasi in deorum numero habitos esse, etiam elucet ex titulis quibus in inscriptionibus insigniuntur; ita v. g. Ramses II appellatur in columna quae tertio anno regni eius erigebatur: Horus, aureus Horus, filius Ra, qui semper et perpetuo vitam largitur, fulgens in throno inter vivos, sicut pater eius Ra, bonus deus, deus Horus, deus Set; die quo natus est erat exsultatio in coelo; dii dixerunt: nos genuimus eum; deae dixerunt: ex nobis prodiit, ut regnum Ra gereret etc. etc.; *Erman* l. c. p. 91. Exstat carmen ex tempore dynastiae undecimae, in quo dicitur: dii qui ante fuerunt, requiescunt in suis pyramidibus; unde patet iam antiquitus titulum divinum regibus esse inditum; l. c. p. 92. 103; pari modo regina vocatur uxor dei, numinis mater p. 113; regis filius appellatur semen divinum p. 117; nutrix regia deum enutrire dicitur etc.

eorum et innitentibus eis super te comminutus es et dissolvisti omnes renes eorum » ; — duplici modo opem illam inanem, immo maxime nocivam declarat : si te apprehendunt *manu* (ita *qeri*, LXX, *Syrus*, *S. Hier. Chald.;* kethib : in ramo tuo; cf. Lev. 23,40. Is. 9,14; 19,15. Iob 15,32 כִּפָּה), confringeris et laceras illis totum humerum; et si in te innituntur, contereris et omnem lumbum eorum facis tremere (hebr.) i. e. totum corpus, cum fulcrum cesserit, vacillat et fere prosternitur. Ita enim qui baculo vult fulciri, baculo cedente fere labitur; unde *S. Hier.* eos cassum deprehendisse praesidium ait et pro auxilio accepisse vulnera; cf. 4 Reg. 24,7. Ier. 37,4-8, et damnum quod intulerunt Aegyptii vates exposuit 17,15-21. — In textu *mas.* lege non עָמַד, sed emenda מָעַד quam vocem *Syrus*, *S. Hier.* et etiam LXX supponunt et sensus omnino postulat; cf. Ps. 69,24 hebr.

Spe illa in auxilio Aegyptiorum posita Iudaei peccarunt, qui propterea saepius reprehenduntur; Aegyptii quoque promissa non pro viribus praestantes egerunt perfide, quare uti de fastu et iactantia, ita de hac quoque perfidia poenas dabunt v. 8 « *propterea haec dicit Dominus Deus : ecce ego adducam super te gladium et interficiam de te hominem et iumentum* v. 9 *et erit terra Aegypti in desertum et in solitudinem et scient quia ego Dominus, pro eo quod dixeris : fluvius meus est et ego feci eum* » ; — duae igitur rationes assignantur poenae: perfidia in Iudaeos et iactantia, de qua vide ad v. 3. Gladio bellum denotatur (14,17); in expeditione v. g. contra Cyrenen exercitus Ephree regis plane devictus et fere deletus est; cum Chaldaei sub Nabuchodonosor Aegyptum invaderent, etiam magnam stragem et vastationem factam esse nemo negabit. Postea Cambyses haud leniter in Aegyptios advertit. Praeterea alias clades aliaque evenisse infortunia, de quibus nulla litterarum monumenta ad nos pervenerint, quis infitias ibit? Arcte ad iactationem v. 9 adnectitur repetita comminatio v. 10 « *idcirco ecce ego ad te et ad flumina tua, daboque terram Aegypti in solitudines gladio dissipatam a turre Syenes usque ad terminos Aethiopiae* » ; — hebr. *dabo... in deserto solitudinis, desolationis* (*Mar.*); *S. Hier.* מִגְדֹּל etymologice vertit turrim; at reddi debet: *a Migdol usque Syenen et usque ad fines Cusch* (*Calm.* et recentiores). Migdol, Magdolon, urbs est in parte septemtrionali Aegypti, duodecim millia passuum a Pelusio distans; Magdalum praebet *S. Hier.* Ex. 14,2. Num. 33,7. Ier. 44,1; 46,14; in hieroglyphicis scribitur pa Makthal vel etiam Magadil; eius arcis ruinae hodie appellantur Tell-es-Semout (cf. *Brugsch,* Dictionnaire géogr. de l'ancienne Éygpte p. 310. 707). Syene urbs Aegypti erat maxime meridionalis e regione insulae Elephantines in ripa Nili orientali, distabat pari spatio 5000

stadiorum ab Alexandria et Meroe (Plin. 2,75. Strabo 2,114; *Winer*, Realwoerterb. s. v.); haud longe abest Assuan prout hodie appellatur; in hieroglyphicis vocatur Sunt vel Sunnut, nominatur quoque sicut Elephantine initium Aegypti (*Brugsch* l. c. p. 613. 666. 1323), quatenus a parte meridionali ibi Aegyptus superior incipit. Quare *a Migdol usque Syenen* totum terrae aegyptiacae tractum eodem modo designat[1], sicut a Dan usque Bersabee terram describit palaestinensem. Oraculum autem hoc de vastatione Aegypti a Migdol usque Syenen in invasione Nabuchodonosor impletum quoque cernimus, quem usque ad Syenen progressum esse explicite traditur; ibi demum exercitus aegyptiacus sub Chor duce ei se sistebat et proelio exorto secundum narrationem Aegyptiorum Babylonius est victus, ex annalibus autem Nabuchodonosor ipse sua sponte se videtur recepisse praedatione facta (cf. *Wiedemann* l. c. p. 641). Ex situ Syenes quoque patet id quod additur *usque ad terminos Aethiopiae* solum accuratius rem determinare *totam* Aegyptum esse vastandam usque ad eam regionem quae contermina est Aethiopiae; id autem prope Syenen contingebat. Quare verba *vulg.* hoc loco apto sensu carent. LXX praebent ἀπὸ Μαγδώλου καὶ Συήνης καὶ ἕως ὁρίων Αἰθιόπων. *S. Hier.* rite explicat: « totam igitur Aegyptum dicit esse depopulandam usque ad terminos Aethiopiae quibus extrema Aegypti regio iungitur »; de Syene autem ita habet: « turris Syene usque hodie permanet, castrum ditioni romanae subditum, ubi sunt Nili cataractae et usque ad quem locum de nostro mari Nilus navigabilis est ».

Vastationem magis describit v. 11 « *non pertransibit eam pes hominis neque pes iumenti gradietur in ea et non habitabitur quadraginta annis*, v. 12 *daboque terram Aegypti desertam in medio terrarum desertarum et civitates eius in medio urbium subversarum et erunt desolatae quadraginta annis et dispergam Aegyptios in nationes et ventilabo eos in terras* »; — « quod autem dicit *dabo... desertam in medio terrarum desertarum*, Palaestinos significat, Idumaeos et Moabitas omnesque alias regiones adversum quas supra prophetae vaticinium est » (*S. Hier.*). Ad huius loci explanationem merito advertit *Men.*: « de his annis, quando scil. et a quo restituta sit Aegyptus, nec in Scriptura, nec in Iosepho nec in aliis historicis quidquam legimus. Quae vero hic dicuntur de desolatione Aegypti auxesin quandam et exaggerationem

1. Notat *Brugsch* l. c. p. 311 : « D'après plusieurs passages de la Sainte Écriture Migdol était regardé comme le point extrême du pays vers le Nord, comme également la ville Syène, du côté opposé, comme le point le plus avancé de l'Égypte vers le Midi. Les monuments prouvent ce fait d'une manière incontestable ».

continere videntur; nam plane redigere Aegyptum in solitudinem non erat e re Chaldaeorum, et similem explicationem requirunt alia loca prophetarum in quibus dicitur Ierusalem plane desolandam, in qua tamen constat semper aliquos habitatores fuisse ». Hos annos quadraginta *Brunengo* l. c. II p. 327 numerat ab invasione Nabuchodonosor usque ad finem regni Cyri, ita ut fere integrum regnum Amasidis complectantur. Sed praeter alia difficile intelligitur, quomodo expugnatio Aegypti per Cambysen facta dicatur restitutio, uti dicitur v. 13 « *quia haec dicit Dominus Deus : post finem quadraginta annorum congregabo Aegyptum de populis, in quibus dispersi fuerant* v. 14 *et reducam captivitatem Aegypti et collocabo eos in terra Phathures, in terra nativitatis suae, et erunt ibi in regnum humile* »; — Phathures dicit Aegyptum superiorem, regionem illam cuius urbs praecipua Thebae appellantur (vide ad Is. 11,11. Ier. 44,15. *Ebers,* Aegypten u. d. B. Mose p. 115 seq.). Cum prima regum dynastia vocetur dynastia Thinitarum ex urbe This, aegyptiace Teni, prope Abydum in Aegypto superiore (cf. *Brugsch* l. c. p. 63. 951), iuremerito recentiores quoque adstipulantur Herodoto (2,4. 15) aliisque narrantibus Aegyptios ex Thebaide ducere originem et ex Aegypto superiore mediam regionem et Memphim esse cultam et inhabitatam. Unde Aegyptus superior terra nativitatis eorum vel originis nominatur. Post invasionem Nabuchodonosor Aegyptus iam non ad pristinum splendorem et potentiam pervenit: erat sub Amasi regnum humile neque postea ad priores opes vel vires rediit (cf. *Wiedemann* l. c. p. 651).

Ita ad paucitatem redacta Aegyptus nequaquam decipiet domum Israel sui confidentia (*S. Hier.*) v. 15 « *inter cetera regna erit humillima et non elevabitur ultra super nationes, et imminuam eos ne imperent gentibus* v. 16 *neque erunt ultra domui Israel in confidentia docentes iniquitatem ut fugiant et sequantur eos, et scient quia ego Dominus Deus* »; — i. e. domum Israel iam non deinceps inani suppetiarum spe allicient (*Calm.*) hebr. *in memoriam reducens iniquitatem eo quod ad eos se convertunt* (cf. *Vat. Mald. Calm.* et recentiores) i. e. iniquitas Israel in eo consistebat quod spreto Deo ad auxilium Aegyptiorum respexerunt; hanc iniquitatem Aegyptus iam non Deo in memoriam reducet, quia Israel deinceps non quaeret opem Aegyptiorum. Aegyptus enim eo ipso quod Iudaei ad eam confugerunt coram Deo quasi accusatrix eorum adstat. Unde Deus Aegyptum humilians et fastum superbiamque Aegyptiorum deprimit et apud populum suum id efficiet quod in re simili Isaias enuntiat : in die illa inclinabitur homo ad Factorem suum et oculi eius ad Sanctum Israel respicient et non inclinabitur ad altaria quae fecerunt manus eius (Is. 17,8. 9). In textu latino Aegyptii

docent iniquitatem, eo scil. quod sua potentia Iudaeos pellexerunt ad foedus contra Dei voluntatem ineundum. Deus autem efficiet, ut eam iniquitatem iam non docere possint; « et haec omnia fient, ut tertio cognoscant Aegyptii, quod ipse sit Dominus » (*S. Hier.*).

b) **Ultor mittetur rex Babylonis 29,17-21.**

Poena et vastatione denuntiata apte subditur per quem magna eius castigationis pars sit exsequenda v. 17 « *Et factum est in vigesimo et septimo anno, in primo, in una mensis, factum est verbum Domini ad me dicens* »; — i. e. anno 27 transmigrationis Iechoniae regis (1,2) vel ab initio regni Sedeciae; proinde anno 16 post urbem Ierusalem expugnatam; ergo si haec expugnatio in annum 587 vel 586 incidit, oraculum hoc editum est aliquo tempore ante invasionem regis Nabuchodonosor anno 568 factam. Verbum Domini fit ad vatem mense primo, prima die mensis; *una* mensis hebraismus est sicut *una* sabbati vel *una* sabbatorum i. e. prima hebdomadis die. Hoc oraculum est ultimum eorum quibus quo tempore edita sint adscriptum est; eo quoque illustratur id quod Ieremias (25,19) vaticinatus erat de calice vini furoris Domini porrigendo Pharaoni et servis eius et principibus eius et omni populo eius; vide quoque Is. 19,4. Praeclaro modo Deus se omnium terrarum Dominum ac gubernatorem manifestat, in cuius manu sint sortes omnium cum dicat v. 18 « *fili hominis, Nabuchodonosor rex Babylonis servire fecit exercitum suum servitute magna adversus Tyrum, omne caput decalvatum et omnis humerus depilatus est et merces non est reddita ei neque exercitui eius de Tyro pro servitute qua servivit mihi adversus eam*, v. 19 *propterea haec dicit Dominus Deus : ecce ego dabo Nabuchodonosor regem Babylonis in terra Aegypti, et accipiet multitudinem eius et depraedabitur manubias eius et diripiet spolia eius et erit merces exercitui illius* v. 20 *et operi quo servivit adversus eam; dedi ei terram Aegypti pro eo quod laboraverit mihi, ait Dominus Deus* »; — hebr. v. 18 *omnis humerus attritus est;* capitibus decalvatis et humeris attritis labores illi designantur qui ad ducendos aggeres requirebantur in gestatione saxorum, lignorum, terrae ad implendum maris alveum, ut eo impleto et siccato Tyrum ipsam, in insula sitam sicco pede aggredi et oppugnare posset rex (*Lap.*). Atque eiusmodi aggerem revera regem fieri iussisse et magnam partem etiam esse constructam certum est; utrum autem perfecerit necne dubitatur (cf. *Movers* l. c. II 1 p. 446).

Aggerem talem inceptum esse et verbis Ezechielis suadetur et ipsa rei natura, si insulam efficaciter oppugnare voluit. Eadem via postmo-

dum Alexander urbem oppugnavit. Idem fecisse Nabuchodonosor, scribit *S. Hier.* : « cum oppugnaret Tyrum et arietes, machinas vineasque eo quod cincta esset mari muris non posset adiungere, infinitam exercitus multitudinem iussit saxa et aggeres comportare et expleto medio mari, immo freto angustissimo[1] vicinum litus insulae fecit continuum (contiguum) », neque verisimile est haec ab eo e solo textu nostro esse derivata. Idem narrat S. Cyrillus alexandrinus in comment. ad Is. 23. Opus autem non esse consummatum ex veterum traditione affert *Guillelmus,* archiepiscopus tyrensis : « tradunt seniores eam (Tyrum) aliquando insulam et a solida terra omnino separatam fuisse; sed obsidens eam aliquando Assyriorum potentissimus princeps Nabuchodonosor voluit eam solo continuare, sed opus non consummavit... post eum vero Alexander macedo continuavit eam solo et continuatam violenter occupavit » (Historia rerum transmar. 13,4; *M.* 201,552). Huic narrationi haud parvum accedit momentum ex eo quod Arrianus (Anab. 2,18; cf. *Movers* l. c. p. 447; *Brunengo* l. c. p. 297) refert, cum Alexander aggerem duceret, longo spatio inventum esse locum vadosum et limosum; verum prope insulam subito mare inventum esse octodecim pedes altum. Unde facile inferes, tractum illum vadosum et limosum relictum esse ab opere regis Babylonis, de quo Guillelmus refert.

Duo ex modo loquendi indubie constant. Tyrios fuisse afflictos multum et humiliatos, regem autem et exercitum eius non egisse praedam. Prius patet ex eo quia in v. 20 explicite dicitur eos laborasse Domino i. e. pro Domino laborem esse susceptum ab exercitu et rege; idem colligitur ex v. 18; quamvis enim illud *mihi* (qua servivit *mihi* adversus eam) in aliis textibus non legatur, sensus tamen est etiam ibi molestias illas esse exantlatas in servitio Domini et pro re quam Dominus fieri voluit. Id enim plane efficitur ex nexu causali quo adiungitur v. 19 *propterea* etc.; eo ipso quippe quod Dominus operariis suis pro labore mercedem constituit, eos in suo servitio sudasse declarat. Iam vero ex oraculis antecedentibus cap. 26 et seq. Deus Tyrios voluit punire et fastum eorum deprimere; ergo si pro labore praestito nunc mercedem solvit, illud Dei consilium contra Tyrios opere erat completum. Ex altera parte aeque manifestum est opes ac divitias Tyriorum non esse captas a Babyloniis. Unde Tyrii vel eas ante expugnationem in tuto collocarunt, quae est opinio *S. Hier.* aliorumque (vide ad Is. 23, 14; Comment. I p. 445) vel quod probabilius videtur deditionem urbis

1. Illud fretum secundum Plinium (5,17) septingentos passus, secundum Diodorum siculum et Quintum Curtium quattuor stadia latum erat; cf. *Brunengo* p. 295.

ea fecerunt conditione, ut opes intactae manerent; vide quae supra iam ad cap. 26 notavi p. 262. 263.

Hebr. v. 19 clarius et simplicius : *ecce ego do N. regi Babel terram Aegypti;* membrum hoc *et auferet multitudinem eius* non legitur in B[1]; plerique vocem accipiunt de multitudine plebis quae capietur et eo sensu הָמוֹן adhibetur in cap. 30. 31. 32, quae acceptio etiam ad oraculum v. 11 seq. congruit. Alii tamen vocem capiunt de opulentia, ita ut tribus membris spoliorum copia in Aegypto invenienda exhibeatur (*Troch. Schr. Keil, Sm.*); ea notione vox legitur Is. 60,5. Ps. 37, 16. Eccl. 5,9 (et Ez. 30,4?) et accipitur nostro quoque loco a *Syro*. Hebr. v. 20 vertunt : *tamquam stipendium pro quo laboravit dabo ei terram Aegypti;* ita ut פְּעֻלָּה accipiatur pro eo quod labore comparatur, mercede (*Schr. Keil, Sm. C.*). De expeditione Nabuchodonosor vide ad Ier. 46,13 seq.; cf. *Tiele,* Bab.-assyr. Gesch. p. 434.

Dum fastus potentiae Deo inimicae deiicitur, eo ipso adest spes pro populo Dei; regnum enim Dei ex vaticiniis iam datis tunc stabilietur, quando superbia humana est conculcata; vide Is. 2,11 : exaltabitur autem Dominus solus in illa die, quae Domini exaltatio in restitutione theocratiae consistit; unde v. 21 « *in die illo pullulabit cornu domui Israel et tibi dabo apertum os in medio eorum et scient quia ego Dominus* »; — hebr. *germinare faciam cornu,* uti Ps. 132,17; cornu pro potentia, robore vel etiam regno poni solet; proinde eo quod Deus secundum vaticinia potentiam Aegypti deiicit, Israelitis datur pignus fore ut alia quoque oracula de instauratione populi impleantur i. e. fore ut robur et regnum Israel reflorescat. Cuius rei praesagium quoddam et initium complures haud immerito cernunt in Iechoniae exaltatione (4 Reg. 25,27. Ier. 52,31. *Pint. Lap. Tir. Loch*); alii de Zorobabel vel de Christo explicant. Sed promissio continetur generalis, fore ut res israeliticae redeant ad eam potentiam Deo auctore quae promissa est; cf. 11,17. Dicitur *in die illo,* ut indicetur, etsi reliqua omnia concidant salva fore populo Dei sua promissa; immo aliorum ruinam et humiliationem praeparationem quandam esse et gradum ad regnum Dei in Israel restituendum; unde nexus innuitur idem qui adest v. g. Is. 4,2; 66,18. Vaticinii autem de Aegypto impletione etiam prophetae apud vulgus maior accrescet auctoritas; « cumque hoc prius fuerit expletum, tunc vaticinium tuum nequaquam dubia promissione pen-

---

1. Etiam in K duo solum membra leguntur : dominabitur in habitatores eius, depraedabitur depraedationem. *C.* hoc membrum delet; sed legitur in A, Ar, apud Theodoretum et sine aster. in 22. 23. 26. al. syr. hex.

debit, sed cernetur opere perpetratum, ut sciant omnes qui audierint me esse Dominum, cuius dixisse fecisse est » (*S. Hier.*); tunc propheta novo hoc testimonio divino approbatus et commendatus, constanter et audacter loqui poterit nullo iam repugnare vel in dubium vocare audente, cum maxima ei conciliata sit auctoritas (*Mar. Tir. Calm.*); cf. 24,26. Latiore sensu accipit *Theod.* fore ut in periodo instaurationis populus ad pietatem revocatus dociles praebeat aures verbis propheticis; « nam per Ezechielem omnem propheticum chorum significavit » (sim. *Troch.*).

Monet *Lap.* ad hunc locum aliquibus visum esse regem Babylonis ex Dei instinctu vel monitu prophetarum Dei Tyriis bellum intulisse; unde Deum pro hoc obsequio moraliter bono infideli alias et impio regi mercedem dedisse non ex condigno, sed ex congruo (*Pint.*); unde consequi Deum etiam infidelium bona opera remunerare (*S. Hier.*). Sed iure advertit *Lap.* verius videri quod rex inscius materialiter tantum servierit Domino eiusque providentiae et iustae vindictae, formaliter vero et ex sua intentione obsecutus sit suae superbiae et dominandi cupiditati; unde mercedem quoque ei dari non proprie sed materialiter, i. e. statuisse Deum, ut ipse ornaretur opibus Aegypti. Breviter rem *Theod.* declarat et expedit statuens iis omnibus Deum declarare nihil se invito factum iri; « alia quidem ipse moderatur, alia vero fieri permittit, modo libero hominum concedens arbitrio, modo eos qui digni sunt per alios puniri permittens; ut igitur ostenderet suo permissu regem hanc potentiam esse adeptum, promittit etiam se mercedem ei daturum esse pro Tyriorum obsidione Aegyptiorum servitutem ». Iudaeis autem et gentilibus iis oraculis demonstratur Iahve esse rerum omnium et populorum moderatorem, nequaquam autem deum quendam patrium vel nationalem; cf. Comment. in Is. I p. 297.

c) **Ultio in Aegyptum latius describitur 30, 1-19.**

Cum oraculum hoc sine ulla temporis determinatione proponatur, quaerunt nonnulli, utrum ad 29,1-16 an ad 29,17-21 referendum sit. Illud explicite tuetur *S. Hier.* et recentiorum complures (*Schr. Sm.*), hoc *Lap. Calm. Loch* et ii, ut videtur, qui v. 4 de gladio Chaldaeorum explicant vel in v. 3 tempus gentium de tempore Chaldaeorum (*Mald. Sa, Mar. Men.*); alii in neutram partem certam audent ferre sententiam (*Keil, Troch.*). Cum in v. 10 mentio fiat Nabuchodonosor, oraculum referri videtur ad 29,17 seq.; sed tamen in una illa vastatione minime sistitur, verum iudicium describitur maius magisque generale, uti 29,8-16 factum est. Quare apte concipi potest, vatem ex ultimo oraculo de una vastatione ascendere ad ruinam Aegypti in universum deplorandam, uti haud infrequenter apud prophetas fieri solet. Quam

terribile autem iudicium futurum sit, eo indicatur quia ipse Dominus lamentum fieri et ululatum magnum iubet v. 1 « *Et factum est verbum Domini ad me dicens : v. 2 fili hominis propheta et dic : haec dicit Dominus Deus : ululate, vae, vae diei! v. 3 quia iuxta est dies et appropinquat dies Domini, dies nubis, tempus gentium erit* »! — modus loquendi prope accedit ad Ioel 1, 13. 15 et 2,1. 2. Is. 13,6. 9. Soph. 1,7. 14. Dies quo Deus iudicat et punit, iure quodam praecipuo dies Domini vocatur, quia ibi iura Domini vindicantur et eius gloria, maiestas, sanctitas omnibus manifestatur et in tali iudicio Deus quam maxime agere concipitur. Cum *prope esse, appropinquare* etc. a prophetis in Dei specula constitutis etiam de eventu longo post tempore futuro dicatur, iis verbis vix argumentum continetur quo suadeatur voces unice ad 29,17 reférri. Dies autem ille dies nubis dicitur, quia tempestas, turbo, tenebrae apta sunt symbola, quibus terrores, perturbationes, infortunia, miseriae designantur. Iste dies erit *dies gentium,* quo scil. supplicium de iis sumitur, quo iudicantur (ita *Theod. Sa, Lap. Tir. Calm. Loch, Troch. Schr. Keil, Sm.*), quae acceptio iam a *Chald.* quoque expressa omnino alteri praeferenda est intelligi tempus dominationis et ultionis Chaldaeis concessae (*S. Hier. Vat. Mald. Pint. Mar.*). Nam Babylonios vocari *gentes* est inusitatum; tempus eorum cum in 70 annis dominationis consistat iam adest et eius pars iam fluxit, quocumque demum tempore oraculum editum esse contendis; ad *diem* i. e. iudicium Domini magis congruit, ut sermo inferatur non de gentibus iudicantibus, sed iudicandis, ut ita iudicium de Aegypto consideretur quasi pars quaedam et initium iudicii in gentes devolvendi, qui transitus frequens est prophetis. Demum in v. 5 revera praeter Aegyptum aliae quoque gentes iudicandae recensentur et generatim tempus vel tempus alicuius eo sensu saepius usurpatur; cf. 7,7; 22,3. Is. 14,1. Ier. 27,7.

Qualis futurus sit dies exponitur v. 4 « *et veniet gladius in Aegyptum et erit pavor in Aethiopia cum ceciderint vulnerati in Aegypto et ablata fuerit multitudo eius et destructa fundamenta eius* »; — atrox bellum ingruet Aegyptiis, quo plurimi cadent, opes Aegyptiorum hostibus in praedam cedent vel alii multi in captivitatem abducentur; de הָמוֹן vide ad 29,19; לקח etiam de abductione captivorum dicitur Gen. 14,12. 1 Sam. 19,14. Bellum autem tale erit, ut fundamenta regni destruantur i. e. ut Aegyptus iam non ad pristinam potentiam possit redire sed ut vulnere insanabili prostrata iaceat; dicitur idem quod supra 29,12-15. Atque cum Aegyptiis etiam gentes ei vel subiectae vel foederatae affligentur; id primum asseritur de Aethiopia vel Cusch, quae regio quamvis multa bella inter Aegyptum et malam vel miseram

terram Cusch (prout appellari solet in monumentis) intercesserint, tamen arctius reliquis ad Aegyptum pertinuisse censenda est; filii enim regis saepe titulum gerunt : filius regis vel praefectus provinciae Cusch (cf. *Ebers* l. c. p. 57); v. 5 « *Aethiopia et Libya et Lydi et omne reliquum vulgus et Chub et filii terrae foederis cum eis gladio cadent* »; — hebr. pro Libya ponitur *Phut*, quam regionem Somali quae hodie vocatur multi appellari censent; vide ad Nah. 3,9 et Ier. 46,9. De Lud (Lydi) cf. Is. 66.19 et supra 27,10 et Ier. 46,9, quo loco Lydii in exercitu regis Nechao recensentur; etiam hoc loco non eo nomine designari videntur *Ludu* i. e. ipsi Aegyptii qui in monumentis aegyptiacis ea appellatione exhibentur (*Ebers* l. c. p. 96); enumerantur enim cum aliis gentibus post Aegyptios. Reliquum vulgus, הָעֶרֶב, intelligendum erit de copiis mercenariorum ex Graecis, Ionibus, Caribus collectis etc. quibus reges aegyptiaci, Psammetichus I, Nechao, Psammetichus II, Amasis uti solebant (*Wiedemann* l. c. p. 615. 632. 646); attamen *Sym.* vertit 'Αραβίαν (*Aq.* 'Αραβά, quae fortasse non est nisi transscriptio vocis hebr.) itemque *Syrus*. Quid *Chub* sibi velit incertum est. Fortasse mendum erit agnoscendum et pro כוב legendum vel לוב (uti legisse haud improbabiliter censentur LXX Λίβυες) vel נוב Nubii uti habetur in Ar. Quinam sint filii terrae foederis, pariter ignotum est. Regio designari videtur quae Aegyptiis non subiecta, sed solum foederata erat; vel regio quaedam ignota Berithi?

LXX haec nomina exhibent : Persae et Cretenses et Lydii et Libyes; *Theod.* autem praeterea Aethiopes et omnem Arabiam. *Cornill* v. 5 ita restituendum censet : Cusch et Phut et Lud et Lub et omnis Arabia et filii Krethi. Cum enim LXX praebeant Κρῆτες et *filii foederis mei* (id quod omissa voce terrae pariter in LXX legitur) nullo pacto apte explicari possint, haud immerito coniicit legendum esse non בריתי sed כרתי et Cretenses ad hanc lectionem pertinere; unde Arabia petatur, ex ערב patet.

De Chub, uti in re incerta fieri solet, multae proponuntur opiniones. *Syrus* et *Chald.* praebent vocem hebr.; *Aq. Theod. Sym.* habent Χουβάλ; cod. 62. 147 praebent χουν; Parsons. affert Χουζά (cf. *Field* ad h. l.). Vocem alii explicant de Cobe in Aethiopia, alii de Chobat et Coba in Mauritania stilifensi, alii de Cobiu in Mareotide (cf. apud *Lap. Calm. Sm.*). Sed haec omnia improbabilia sunt quia in tali contextu non nomen urbis, sed terrae vel gentis exspectatur. Cum in uno codice apud *de Rossi* legatur כנוב, *Movers* l. c. II 2 p. 483 coniicit intelligi regionem cui nomen Kinyps (Herod. 4,198. Plin. 5,4), ubi erat Leptis maior. Alii recurrunt ad nomen Kufa quod in monumentis aegyptiacis legit et explicat Wilkinson de populo habitante in regione a Palaestina septemtrionali (apud *Schr.*); alii ex 27,10 censent designari Persas. Alii vel Nub legunt cum Ar, vel Lub rescribendum esse

opinantur. — Cum LXX etiam aliis in locis Phut reddant Libyes, nequit certo asseri cum aliquibus eos legisse in nostro loco Lub; cf. 27,10; 38,5. Ier. 46,9. Cur apud eos Persae efferantur, dubium est; fortasse vox repetita est cum aliis ex 27,10 et 38,5.

Potentia et gloria Aegypti peribit v. 6 « *haec dicit Dominus Deus: et corruent fulcientes Aegyptum et destruetur superbia imperii eius; a turre Syenes gladio cadent in ea, ait Dominus Deus exercituum* »; — hebr. *a Migdol usque ad Syenen gladio cadent;* vide 29,10; *fulcientes* Aegyptum intellige non tam de sociis et copiis auxiliaribus de quibus v. 8 agitur, quam de ducibus, principibus, militibus aegyptiis (cf. Is. 3,1; 19,10 hebr. 11-15); ad superbiam Aegyptiorum deiiciendam regiones vastabuntur et urbes delebuntur v. 7 « *et dissipabuntur in medio terrarum desolatarum et urbes eius in medio civitatum desertarum erunt* »; — vide 29,12; mediis in ruinis aliarum civitatum paucae urbes relinquentur; tempore Amasidis regis in Aegypto viginti millia urbium fuisse Herodotus narrat (2,177; sim. *Diodorus* siculus 1,68; rem tamen esse exaggeratam facile concesseris; cf. *Brunengo* l. c. II p. 327). In bellica illa calamitate sentient manum ultricem Domini v. 8 « *et scient quia ego Dominus, cum dedero ignem in Aegypto et attriti fuerint omnes auxiliatores eius* »; — igne, sicut alias gladio, furor bellicus designatur; auxiliatores populi sunt foedere iuncti cum Aegyptiis, socii, copiae mercenariorum; vide v. 5. Quomodo illi quoque in suis ipsorum regionibus sint affligendi, uno declaratur exemplo v. 9 « *in die illa egredientur nuntii a facie mea in trieribus ad conterendam Aethiopiae confidentiam et erit pavor in eis in die Aegypti, quia absque dubio veniet* »; — egredientur, ut Aethiopiam quae secura est (hebr.) terreant; dies Aegypti est dies quo iudicium in Aegyptum exercetur; cf. v. 3. 4. Cum Dominus illud iudicium in Aegypto exerceat (Is. 19,1), nuntii *a facie Domini* egredi dicuntur scil. Aegyptii qui in navibus fugientes in Aethiopiam tristem spargunt nuntium de cladibus et calamitate Aegypti (*Mald. Mar. Lap. Men. Tir. Troch.*); non possunt cum aliis (*Calm.*) ipsi Chaldaei intelligi, quia isti non tamquam nuntii ad nuntium perferendum veniunt; vates certe Is. 18,2 ob oculos habuit; quare ea quoque ratione minime consultum est de hostibus explanare.

Vocem צים « nos in *trieres* vertimus, ita enim ab Hebraeis accepimus » (*S. Hier.*); cui interpretationi etiam recentiores subscribunt; cf. Num. 24,24. Is. 33,21. Dan. 11, 30. LXX et *Sym.* reddunt *festinantes.* In textu *mas.* fertur : *sicut dies Aegypti* i. e. pavor et terror talis qualis est vel erat in die iudicii Aegypti, quem diem aliqui de antiqua illa poena Aegyptiis inflicta Ex. 15,12 seq. explicant (*Schr. Keil*). Verum

satius est cum LXX, *Syro*, *S. Hier.* multisque codd. apud *de Rossi* legere non כ sed ב; « ita sane codices multi hispanici ac masorethici; in margine cod. mei 440 : iuxta mosoram legendum in die » (*de Rossi*). Targum in polygl. londin. fert כ; *de Rossi* vidit targum quod fert *in die*.

Uti 29,18 seq. ita hic quoque vates nomine effert illos qui cladem fatalem Aegyptiis inferent adeoque iudicium divinum in Aegyptios exercere incipient v. 10 « *haec dicit Dominus Deus : cessare faciam multitudinem Aegypti in manu Nabuchodonosor regis Babylonis* »; — vel : cessare faciam *tumultum* Aegypti; utique populum prae multitudine et etiam prae bonorum abundantia tumultuantem, strepentem, sese iactantem, ceterum de voce vide ad 29,19; in manu i. e. *per* regem; v. 11 « *ipse et populus eius cum eo, fortissimi gentium adducentur ad disperdendam terram et evaginabunt gladios suos super Aegyptum et implebunt terram interfectis* »; — vide 28,7; hebr. adducentur *violenti* vel atroces gentium i. e. qui prae aliis violentia et atrocitate eminent. Simul cum homine, uti assolet, etiam terra affligetur v. 12 « *et faciam alveos fluminum aridos et tradam terram in manus pessimorum et dissipabo terram et plenitudinem eius manu alienorum; ego Dominus locutus sum* »; — « tanta erit ira Domini, ut siccentur alvei fluminum, hoc est Nili διώρυχες usque ad solum » (*S. Hier.*), i. e. ad plagas quae per Chaldaeos infligentur addet Dominus siccitatis et sterilitatis poenam prohibens aquarum incrementum, ita ut Nili canales siccentur et aqua Nili iam non inundet et oblimet agros (*Lap. Men.*). Eo modo prosperitatem Aegypti iri pessumdatum declaratur sicut Is. 19,5-8. Modus loquendi haud apte ab aliquibus ad Nabuchodonosor refertur, qui vel canales Nili siccaverit (?) vel cui Deus tam facilem et expeditam aperuerit viam etiam per flumina, ac si rivis arefactis terra ubique complanata esset (*Tir. Calm. Hitz.*). Plenitudo terrae (19,7) ea sunt quae terram implent, ergo opes, divitiae, proventus, generatim abundantia.

Eiusmodi iudicium erit, prout olim Ex. 12,12, etiam contra deos Aegyptiorum v. 13 « *haec dicit Dominus Deus : et disperdam simulacra et cessare faciam idola de Memphis et dux de terra Aegypti non erit amplius et dabo terrorem in terra Aegypti* »; — hebr. *idola de Noph;* vide Is. 19,13. Ier. 2,16. Cum idolis etiam is qui deus et filius deorum vocabatur, princeps vel rex, peribit. Uti Mich. 1,10-15 hebr. calamitas describitur serpens per totam regionem, ita simili modo v. 14 « *et disperdam terram Phathures et dabo ignem in Taphnis et faciam iudicia in Alexandria* »; — Phathures est Aegyptus superior; vide ad 29,14; hebr. *et dabo ignem in Zoan et faciam iudicia in No;* Zoan vel Tanis in Aegypto inferiore ad ostium taniticum, urbs vetustis-

sima (Num. 13,23), in qua dynastiae aegyptiacae 21. et 23. sedem habebant; cf. Is. 19,11. 13; 30,4; aegyptiace Zan; vide *Brugsch*, Diction. géogr. p. 986. Urbi Aegypti inferioris iungitur ut per integram terram calamitas serpens designetur urbs superioris, No, aegyptiace Nai Amun, urbs Amon, quo nomine Thebae vocabantur; vide quae dixi ad Nah. 3,8; *Brugsch* l. c. p. 28. Scribit *S. Hier.* : « faciamque iudicia in Alexandria quae hodie sic vocatur; ceterum pristinum nomen habet No, quod Aquila, Symmachus et Theodotio, sicut in hebr. positum est, transtulerunt. Pro quo nescio quid volentes Septuaginta dixere *Diospolim* quae Aegypti parva civitas est[1]. Nos autem pro No Alexandriam posuimus per anticipationem, quae graece πρόληψις dicitur, iuxta illud virgilianum : lavinaque venit littora,... ut manifestior locus fieret lectoris intelligentiae ». Putavit igitur No eo loco fuisse, quo postea Alexandria floruit. Item in v. 15 « *et effundam indignationem meam super Pelusium, robur Aegypti et interficiam multitudinem Alexandriae* »; — etiam hic urbe septemtrionali et meridionali tota terrae longitudo declaratur per quam calamitas propagabitur. Hebr. Sin, gr. Πηλούσιον, quod utrumque nomen ad lutum referunt; erant enim ibi paludes frequentes; vide *Brugsch* l. c. 913. 1090 seq. Bene vocatur Pelusium *robur Aegypti,* quia urbs et arte et natura erat munitissima, revera clavis Aegypti, quam quicumque ab oriente hostis terram aggrediebatur occupare studebat (cf. *Ebers*, Durch Gosen zum Sinai p. 73. 91).

Eandem depopulationem vates exhibet v. 16 « *et dabo ignem in Aegypto; quasi parturiens dolebit Pelusium et Alexandria erit dissipata et in Memphis angustiae quotidianae* »; — hebr. *No erit ut perrumpatur et Noph, hostes per diem* i. e. palam in luce hostes impetum facient; non tenebras et insidias quaerent, sed aperte aggredientur suae sibi fortitudinis conscii (cf. *Vat. Mar. Troch. Keil, Sm.*); simili ratione Ier. 16,8 vastator inducitur meridie, e contra Abd. 5 latrones per noctem; v. 17 « *iuvenes Heliopoleos et Bubasti gladio cadent et ipsae captivae ducentur* »; — i. e. milites bello cadent; reliqui urbium incolae captivi abducentur. On, Heliopolis, metropolis erat nomi tertii decimi in Aegypto inferiore (*Brugsch* l. c. p. 41), una ex urbibus antiquissimis (*Ebers* l. c. p. 493) et celeberrima propter templum et cultum solis; vide Ier. 43,13. Bubastus, aegyptiace Pi-Bast i. e. urbs deae Bast (fellis), metropolis erat nomi decimi octavi Aegypti inferioris (*Brugsch* p. 164.

---

1. Sed Thebae in Aegypto superiore etiam vocabantur Διόσπολις ἡ μεγάλη; *S. Hier.* loquitur de Diospoli parva in Aegypto inferiore; vide *Brugsch* l. c. p. 6. 27.

206); vocatur hodie Zagazig. Olim quoque celebris erat ob festum deae et templum splendidum, quod utrumque Herodotus describit (2,60. 138); praecipua veneratione ibi colebatur Isis Hathor (cf. *Ebers* l. c. p. 483), sed multis tripudiis et lasciviis.

Demum concluditur generali denuntiatione v. 18 « *et in Taphnis nigrescet dies, cum contrivero ibi sceptra Aegypti et defecerit in ea superbia potentiae eius; ipsam nubes operiet, filiae autem eius in captivitatem ducentur;* v. 19 *et iudicia faciam in Aegypto et scient quia ego Dominus* »; — Taphnae vel Daphnae prope Pelusium sitae erant, quarum ruinae hodiedum prope Tell Defenneh cernuntur (*Brugsch* p. 644); cf. Ier. 2,16; 43,7; 44,1; urbs erat munita, in qua Psammetichus ad Aegyptum ab impetu hostili defendendam praesidia collocaverat (*Herod.* 2,30). Dies dicitur nigrescere, quando magna quaedam calamitas ingruit, cum nubes, turbines, tenebrae apta sint horroris ac terroris et infortuniorum omnis generis symbola; cf. Is. 13,10. Soph. 1,15. Cum urbs illa in confinio posita ab hoste sit expugnata, via in Aegyptum aperta est; unde ibi dicuntur conteri *iuga Aegypti,* i. e. quae pro dominandi libidine aliis imposuerunt; ita ex textu *mas.* (*Vat. Mar. Calm. Keil*), pro quo provocari potest ad Lev. 26,13; at LXX, *Syrus, S. Hier.* legerunt non מֹטוֹת, sed מַטּוֹת baculos, sceptra, fulcra scil. Aegypti, de quibus quoque v. 6 agebatur. Filiae eius urbes sunt minores ad metropolim pertinentes, quarum incolae captivi abducentur (cf. v. 17). Nabuchodonosor regem Taphnis in porta domus Pharaonis thronum suum positurum esse iam Ieremias 43,9 seq. vaticinatus est, indeque stragem, captivitatem, vastationem fore in regionem aegyptiacam. « Ipsa urbs operietur nube moeroris et luctus et filiae eius i. e. oppida reliqua ducentur in captivitatem » (*S. Hier.*). Demum ultimo loco ad quid omnia tendant iudicia manifestat, ut bene advertit *Theod.* : « eorum quae fiunt propositum sibi finem declaravit : haec enim omnia, inquit, fieri permittam, ut etiam Aegyptii discant non propter se ipsos gloriari, sed meae dominationis ius agnoscere ».

d) **Brachium Pharaonis confringitur 30, 20-26.**

Hoc oraculum datum est anno secundo oppugnationis urbis Ierusalem et eo tempore postquam Aegyptii frustra tentarunt oppugnatis opem ferre, de qua re vide Ier. 37,5; v. 20 «*Et factum est in undecimo anno, in primo mense, in septima mensis, factum est verbum Domini ad me dicens* »; — igitur tribus fere mensibus post oraculum 29, 1 datum. Eo temporis intervallo Aegyptios egressos esse contra Chal-

daeos et devictos, *Keil* ex eo concludit, quia in oraculo priore 29,1 seq. nullo modo innuatur regem Aegypti voluisse Iudaeis opem ferre et esse a Chaldaeis prohibitum et superatum, dum in nostro oraculo v. 21 tale indicium clarissime habeatur. At conclusio haec in parte priore est fallax; nam quae 29,6-8. 16 dicuntur, ita proponuntur, ut ille eventus si non necessario, saltem aeque bene intelligi possit; v. 21 « *fili hominis, brachium Pharaonis regis Aegypti confregi et ecce non est obvolutum ut restitueretur ei sanitas, ut ligaretur pannis et fasciaretur linteolis, ut recepto robore posset tenere gladium* »; — hebr. *et ecce non ligatum est* (vel iam non ligatur) *ut dentur medicamina, ut imponatur fascia ad ligandum, ut convalescat ad tenendum gladium;* non loqui vatem de eventu futuro (*Vat. Calm.*), sed de praeterito, eruitur ex v. 22 et etiam ex eo quia hoc iam loco describitur in qua conditione sit brachium postquam fractum est; nihil medicaminis adhibetur, nihil ligaminis; ergo nulla iam superest spes fore ut in integrum restituatur et ut iterum gladium ad pugnandum stringere possit. « In brachio autem robur accipe et fortitudinem » (*S. Hier.*). Eam confractionem evenisse in pugna ad Charcamis (de qua Ier. 46,2) aliqui censent (*Mald. Mar. Lap. Men.*); sed etsi illa pugna non excludatur, tamen propius adiacet magisque ad tempus designatum aptum est referre illud ad vanum Aegyptiorum conatum tempore obsidionis Ierusalem, quo quam debilitatae sint vires eorum aperte manifestum fit (cf. *Tir. Loch, Troch.*). Brachio altero confracto ostenditur vires aegyptiacas ita esse debilitatas, ut iam extra Aegyptum nihil efficere valeant, neque fore ut iterum in statum pristinum restituantur.

Sed alterum quoque brachium confringetur, ita ut nullo pacto rex gladium stringere vel se defendere possit; quomodo enim utroque brachio mutilus bellum instaurare posset? i. e. qui prius amisit potentiam extra Aegyptum, iam ipsam quoque Aegyptum perdet (*Mar.*); v. 22 « *propterea haec dicit Dominus Deus : ecce ego ad Pharaonem regem Aegypti et comminuam brachium eius forte sed confractum et deiiciam gladium de manu eius* »; — clarius in hebr. *ecce... et confringam brachia eius forte et confractum;* utrumque brachium et sanum quod eousque habet et confractum etiam magis conteret, ita ut gladius de eius manu penitus cadat (*Mald. Mar. Lap.*) i. e. ait se prosecuturum inceptam potentiae illius adeo olim validae ac terribilis contritionem (*Calm.*). Unde alterum hoc effatum etiam a *propterea* inducitur; etenim in v. 21 *et ecce* etc. enuntiatur Dei consilium quo illam potentiam iam non vult redintegrari sed plane destrui; quare altero ictu et repetito ruinam allaturum se esse minatur. Ita illud *propterea* sufficienter declarari potest; de poenitentiae remediis quibus uti noluerit, quare

denuo sit graviusque puniendus (*Theod.*), nihil in verbis prophetae enuntiatur. Potentia regis deiecta ipse populus facile fit praeda hostium v. 23 « *et dispergam Aegyptum in gentibus et ventilabo eos in terris* »; — verba repetuntur ex 29,12, ubi *vulg.* melius praebet *in nationes.. in terras,* prout in v. 26 quoque legitur; sed notum est in usu linguae *vulg.* saepe adhiberi promiscue *in* cum accus. et cum ablat. ita ut communiter ad textum originalem recurrere debeas v. g. in libris N. F. ut discernas, utrum revera *in eo* vel *in eum* etc. sit explicandum, de qua re etiam in lingua latina vulgari usitata vide *Kaulen,* Handbuch zur Vulgata p. 206.

Uti supra 29,18; 30,10, ita hic quoque indicat per quem potentia Aegypti sit imminuenda v. 24 « *et confortabo brachia regis Babylonis daboque gladium meum in manu eius et confringam brachia Pharaonis et gement gemitibus interfecti coram facie eius* »; — hebr. *et gemet* i. e. rex Aegypti coram rege Babylonis gemet sicut qui gladio est transfixus; ergo ultimum quasi spiritum cum dolore ducet; aliis verbis : regnum Aegypti multis vulneribus affligetur et pene destruetur. Magna emphasi vates effert haec omnia fieri Deo ita disponente, Deum esse qui victoriam tribuat Babyloniis, qui Aegyptios deprimat. Id repetito inculcat et ad quid Dei consilium feratur explicat v. 25 « *et confortabo brachia regis Babylonis , brachia Pharaonis concident et scient quia ego Dominus, cum dedero gladium meum in manu regis Babylonis et extenderit eum super terram Aegypti* »; — i. e. dabo gladium meum in manum Babylonii, ut illum stringat et extendat contra Aegyptum, vel ut ultionem sumat de terra Aegypti (*Chald.*); cum rege cadet quoque populus vel dispergetur v. 26 « *et dispergam Aegyptum in nationes et ventilabo eos in terras, et scient quia ego Dominus* »; — cf. v. 23; 19,12; « et haec denuo adiecit iteratione priora confirmans » (*Theod.*). — In v. 24 apud LXX nihil habetur de brachiis confractis neque de gemitibus, sed pro iis sententiis duabus legitur : et inducet eum (gladium) super Aegyptum et populabitur praedas eius et spoliabit spolia eius (in K etiam additur : dominabitur super eos qui habitant in ea); cf. 29,19; textum graecum *C.* praefert, ne illud de brachio confracto ter habeatur. Verum ex altera parte illud de ultimo Pharaonis gemitu multo magis aptum est ad exitium extremum declarandum, quam illa ex 29,19 deprompta repetitio. Quare textus hebr. cum *Syro, Theod. S. Hier. Chald.* retinendus esse videtur.

c) Cedrus superba succiditur 31, 1-18.

Post duos menses propheta denuo iubetur ruinam Aegypti vaticinari. Repetita hac denuntiatione confirmatur et contra vanam spem et ex-

spectationem in tuto collocatur quod iam Ieremias iubente Domino iterum iterumque declaravit subeundum esse iugum Chaldaeorum, neminem posse ab eorum imperio populum eripere, immo omnes debere servire regi Babylonis (Ier. 25,9 etc.); v. 1 « *Et factum est in anno undecimo, tertio mense, una mensis, factum est verbum Domini ad me dicens :* v. 2 *fili hominis dic Pharaoni regi Aegypti et populo eius : cui similis factus es in magnitudine tua?* v. 3 *ecce Assur quasi cedrus in Libano, pulcher ramis et frondibus nemorosus excelsusque altitudine et inter condensas frondes elevatum est cacumen eius* »! — interrogatione *cui similis*... indicatur superba et arrogans opinio quam de se suaque potentia habeant. Cui tumori et fastui apte respondetur exemplo Assur, quod regnum adeo antiquum et potens, tamen misera periit ruina. « Non mireris si a Babyloniis sis vincendus atque periturus et tuum perditurus imperium omnesque opes aegyptiae destruendae sint, cum Assur multo te fortior eodem Chaldaeo superante deletus sit; describitque potentiam regis assyrii sub figura arboris cedri iuxta hebraicum, iuxta LXX cyparissi in monte Libano constitutae quae sit pulchra ramis et condensa frondibus et ad nubes usque porrecta » (*S. Hier.*). Descriptio, uti verbis ipsis proditur, primo et per se ad arborem refertur; cur *pulcher, nemorosus* etc. dictum sit, *S. Hier.* explicat : « vel ad arborem vel ad principem loquitur Assyriorum, ut tam masculino quam feminino genere de una persona intelligatur, dum et arbor refertur ad Assyrium et Assyrius in arbore nominatur ». Hebr. *et inter nubes cacumen eius,* uti LXX εἰς μέσον νεφελῶν ἐγένετο ἡ ἀρχὴ αὐτοῦ.

Assur nominatur in hebr. apud LXX et in aliis versionibus. Nihilominus aliqui vocem vel appellative explicari volunt : ecce cedrus procera erat in Libano vel rescribere תאשור et pro אדיר ארז (cf. *Sm. C.*). Sed utrumque perperam. Nam si Assur removeris, tota parabola fit manca, languida, neque iam quidquam valet ad ruinam Aegypti praedicendam. Dicitur enim fuisse cedrum in Libano quae ceciderit; sed tales minae satis sunt inefficaces, cum ex eo quod cedrus cadere vel caedi possit vel caedatur nihil pro Aegypto sequatur. Neque dicitur regem Aegypti parem cum cedro habiturum sortem, sed v. 18 denuo interrogatur, cui sit similis; unde si Aegyptus esset cedrus illa, comparatione per totum caput instituta iterum quaereretur, cui esset comparandus rex. Praeterea in v. 10 casus cedri ita describitur, ut non cedrus sed regnum quod iam interierit exhibeatur. Quae descriptio si de Assur intelligitur aptissima est. Praeterea adverte quam apposite inferatur Assur. Eius ruina per Chaldaeos inducta recentis est memoriae; unde valet ad minas Aegyptiis ingerendas ulteriores quippe qui iam saepius (ad Charcamis, prope Ierusalem) vim superiorem Chal-

daeorum experti sint. Ad ruinam Assur ea referuntur quae a v. 10 de arbore succisa dicuntur; in ruina Assur revera exhibetur exemplum minax pro Aegypto et ea descripta apte recurrit quaestio v. 18, eo scil. sensu : etsi te potentissimum censes, tamen tu quoque deiicieris. Quae igitur est ratio, cur Assur ex oratione delere velint? Dicunt : si propheta voluit comparationem instituere, debuit explicite dicere : Assur te potentior cecidit; ruina Assur debuit distincte exhiberi tamquam praesagium pro Aegypto! Sed non advertunt, id eo ipso fieri, quia *postquam* iam repetito ruina Aegypti est declarata, nunc primo effertur quam superbam de se habeant opinionem Aegyptii et statim huic opinioni tamquam responsum subiungitur res a simili petita : Assur erat potentissimus et periit; nonne *post* alia oracula tali exemplo quo fiducia virium propriarum subruitur illis novum additur robur? nonne ea in rerum conditione exemplum ita proferri intelligitur, ut ipsa enarratione applicationem fieri ad eum cui proponitur statim ab omnibus deprehendatur? Immo etsi alia oracula non praecederent, ea applicatio tamen pateret. Finge enim aliquem « militem gloriosum » coram te facinora sua gloriosa iactare, cui tu non aliud reponis nisi te scire militem qui se fortissimum putarit mox fuisse in fugam turpissimam proiectum; statim puto in eius vultu videbis applicationem explicitam abundare.

Quibus subsidiis Assur ad tantam potentiam sit evectus, vates eadem in metaphora pergens explicat v. 4 « *aquae nutrierunt illum, abyssus exaltavit illum, flumina eius manabant in circuitu radicum eius et rivos suos emisit ad universa ligna regionis* »; — *abyssus*, hebr. תְּהוֹם i. e. magna vis aquarum, aquarum profunditas, inexhaustus earum thesaurus (*Mald.*); prope aderat lacus magnus ne tempore aestatis aquae siccarentur et irrigatio cessaret (*Mar.*). Cum in oriente sub ardente sole haud raro aqua deficiat, a qua tamen omnis plantarum viror atque vigor maxime pendet, prophetae copia aquarum omnium bonorum abundantiam adumbrant (cf. Is. 35,6. 7; 43,20; 44,3; 58,11. Ier. 2,13 etc.). Aquarum copiam eo quoque describit vates, quia cedrus *canales* suos vel aquaeductus emisit ad omnes arbores regionis; ex sua abundantia aliis largiter tribuere poterat; « ex praecipua arbore cum satis sit rigata aquae solent ad alias minores derivari » (*Mald.*). Aquarum confluentium copia bene designantur omnis generis subsidia quae undique ab Assyriis conquirebantur; in aquis ad alias arbores emissis haud immerito cernes, quomodo alias gentes sibi ad bella gerenda et opes subministrandas reddiderint utiles et aliarum nationum divitias, ingenia, facultates ad sua converterint emolumenta. Hebr. commode ita vertes : aquarum multitudo cum suis fluminibus (i. e. per

rivos suos) erat permeans circuitus plantationis eius; alii legunt hiph. הוליך : facit transire rivos suos; ita iam LXX legerunt. *Chald.* metaphoram ita declarat : populis multiplicatus est, auxiliis roboratus est, reges subiecit regno suo et principes suos constituit super omnes provincias terrae.

Optime rigata arbor superbe crevit v. 5 « *propterea elevata est altitudo eius super omnia ligna regionis et multiplicata sunt arbusta eius et elevati sunt rami eius prae aquis multis,* v. 6 *cumque extendisset umbram suam, in ramis eius fecerunt nidos omnia volatilia coeli et sub frondibus eius genuerunt omnes bestiae saltuum et sub umbraculo illius habitabat coetus gentium plurimarum* »; — i. e. regnum in se firmiter constitutum et apte dispositum erat; quare multas gentes sibi subiecit eisque subsidia et protectionem praebuit. De umbra nihil in hebr. v. 6; in textu *mas.* illud בשלחו ad v. 5 trahitur : longe facti sunt rami, *dum extenderet* (eos); id quod satis abundat; quare *C.* omissa voce בְּסְעַפֹּתָיו quae sit glossa legit בִּשְׁלָחָיו in ramis eius; unam solum vocem ex his duabus esse admittendam, etiam textu graeco suadetur, cui Ar et K quoque testimonium ferunt. — Arboris pulchritudinem magis declarat vates v. 7 « *eratque pulcherrimus in magnitudine sua et in dilatatione arbustorum suorum; erat enim radix illius iuxta aquas multas* »; — cf. 17,23; 19,11; immo quo maiorem nobis de ea speciem atque admirationem excitet, eam non esse inferiorem asserit arboribus in paradiso v. 8 « *cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei, abietes non adaequaverunt summitatem eius et platani non fuerunt aequae frondibus illius; omne lignum paradisi Dei non est assimilatum illi et pulchritudini eius* »; — hebr. *cedri non erant pares ei in horto Dei et cypressi non adaequaverunt ramos eius;* uti supra 28,13 splendorem regis Tyri comparatione ex paradiso deprompta illustraverat, ita hic ad auxesin qua arborem omnium pulcherrimam depingat ne in paradiso quidem ei inveniri aequalem subiungit. In cypressis densitatem et viriditatem ramorum laudant et frondium. In horto Dei alludi ad paradisum patet (Gen. 2,8) et a plerisque conceditur neque post 28,13 id potest esse offensioni, intelligitur enim, ut iam *S. Hier.* dicit, hyperbolice dictum. Alii tamen hortum Dei vocari censent generaliter amoenissimum quemque hortum, sicut alias dicuntur cedri Dei, montes Dei i. e. montes praealti; *Theod.* autem h. l. orbem terrarum vocari paradisum opinantur. Hanc vero pulchritudinem Deus ei contulit v. 9 « *quoniam speciosum feci eum et multis condensisque frondibus, et aemulata sunt eum omnia ligna voluptatis quae erant in paradiso Dei* »; — reliquae arbores *paradisi* (Eden) quae erant in *horto* Dei ei invidebant. Denuo graviter monet propheta omnia in rerum administratione ad

Deum largitorem potentiae esse referenda, regna oriri, crescere, quia Dominus dat regnum et potentiam cui voluerit. In illa aemulatione et invidia bene depingitur, quanta admiratione regnum splendidum ac armis potens ab hominibus suspici soleat.

Sed Assur animi elatione peccavit; ideo regnum eius dirutum est. Quae doctrina et quae minae pro Aegypto in hac sententia Domini contineantur, dubium esse nequit, quia in antecedentibus oraculis eadem superbia et animi elatio in Aegypto reprehensa fuit non semel; vide 29, 3. 9; 30, 18. Unde v. 10 « *propterea haec dicit Dominus Deus: pro eo quod sublimatus est in altitudine et dedit summitatem suam virentem atque condensam et elevatum est cor eius in altitudine sua*, v. 11 *tradidi eum in manu fortissimi gentium; faciens faciet ei; iuxta impietatem eius eieci eum* »; — hebr. *quia sublimis eras altitudine et dedit cacumen suum inter nubes* i. e. cacumen elevavit usque inter nubes; in graeco etiam membrum secundum effertur secunda persona καὶ ἔδωκας; sed subita illa enallage dura est neque adest apud *Syrum* neque apud *S. Hier.*; unde satius erit eam cum *C.* etiam ex hebr. auferre. Ceterum tropus et res miscentur; quomodo cor Assur sit elevatum potentia et gloria, exemplum habes Is. 10,9 seq. 36,19 seq. 37,23. Ad superbiam hanc retundendam traditur in manum principis gentium; melius iungitur : faciens faciet ei iuxta impietatem, i. e. sicut pro sua iniquitate meritus est; LXX in hunc sensum : καὶ ἐποίησε τὴν ἀπώλειαν αὐτοῦ. Uti in v. 10 ratio ruinae et in v. 11 consilium Dei de modo castigationis infligendae refertur, ita in subsequentibus describitur, quomodo sententia divini iudicis sit exsecutioni mandata; nam quae sequuntur, ex hebr. tempore praeterito vertenda sunt, uti reddiderunt LXX καὶ ἐξωλόθρευσαν et reddunt recentiores, etiam ii qui non de Assur sermonem fieri volunt, sed in cedro solam Aegyptum describi censent; v. 12 « *et succident eum alieni et crudelissimi nationum et proiicient eum, super montes et in cunctis convallibus corruent rami eius et confringentur arbusta eius in universis rupibus terrae et recedent de umbraculo eius omnes populi terrae et relinquent eum* »; — i. e. arbor illa superba succisa est et humi prostrata; dum prosterneretur, ita confracta est, ut rami et frondes caderent in montes et valles et in profunda terrae. Unde qui sub eius umbra habitabant fugerunt, *descenderunt* hebr. scil. de monte in quo arbor posita erat v. 3 et deseruerunt eam, de arbore prostrata iam nihil curantes; gentes regno assyriaco subditae ruinam regni minime lamentabantur; de sua solum salute sollicitae regnum labascens et fatiscens deseruerunt; cf. Is. 13, 14. Regnum quod antea erat admirationi iam oblivioni et ignominiae traditum est.

Et quanta ignominia ruinam secuta sit, alio modo describitur haud absimili ab 29,5 et Is. 18,6 et Ier. 7,33; 34,20; v. 13 « *in ruina eius habitaverunt omnia volatilia coeli et in ramis eius fuerunt universae bestiae regionis* »; — hebr. explica : super truncum eius prostratum vel *cadaver eius*, מַפַּלְתּ Iud. 14,8, aves considerunt et ad ramos eius (devorandos) fuerunt omnes bestiae agri. Vatem ad metaphoram cadaveris prostrati in priore membro transire, plerique rite statuunt (*Pint. Vat. Mald. Mar. Troch. Keil*, *Sm.*); alii metaphorae arboris iacentis insistentes exponunt : prius aves et bestiae i. e. principes et populi, sub cedri huius umbra versabantur, nunc illi stratae insultant, regem conculcant, despiciunt, aspernantur, spoliant. Tam misero autem casu arbor est abiecta, ut omnes eius exemplo edoceantur ne superbe sapiant neve altiora appetant; id quod hebr. clare exprimitur in v. 14 *ne exaltent se... neve ponant cacumen suum inter nubes etc.* (cf. *Vat. Mar.* et recentiores) eodemque sensu LXX : ὅπως μὴ ὑψωθῶσιν et *Chald.*; in *vulg.* non tam id quod a Deo intenditur, sed potius quod ex ruina illa revera sequetur nobis exponitur v. 14 « *quamobrem non elevabuntur in altitudine sua omnia ligna aquarum nec ponent sublimitatem suam inter nemorosa atque frondosa nec stabunt in sublimitate sua omnia quae irrigantur aquis, quia omnes traditi sunt in mortem ad terram ultimam in medio filiorum hominum ad eos qui descendunt in lacum* »; — sensus ex hebr. est *ne sese elevent*, ne cacumen efferant usque in medias nubes (v. 3), ne superbe sese statuant in sublimitate sua omnes potatores aquarum, i. e. arbores quae large aquis potantur ideoque de suo vigore quasi gloriantur et super se ipsas vel in se ipsis (hebr.?) firmiter constitui videntur. Tales enim ineluctabili fato et firmo Dei consilio morti sunt destinati, non communi, sed ignominiosae qua in infima terrae proiicientur. Neque enim opibus suis sese a morte liberabunt sed cum plebe ignobili in foveam vel lacum, in profundum infernum descendent (*Mald. Mar. Lap. Calm.*). Igitur denuo cum epitasi monet propheta nosque edocet de lege illa in divina rerum administratione adeo praecipua : superbis Deus resistit, deiecit potentes de sede; incurvabitur altitudo virorum, exaltabitur autem Dominus solus in die illa, quia dies Domini exercituum super omnem superbum et excelsum et super omnem arrogantem et humiliabitur; ad quem autem respiciam nisi ad pauperculum et contritum spiritu et trementem sermones meos (Is. 2,11. 12; 66,2)? etc.

In hebr. legitur : neve stent אליהם et ex nota *mas.* א est cum *zere* pronuntiandum; praepositionem אל ibi exprimunt LXX πρὸς αὐτά, *Syrus*, *Chald.*; *S. Hier.* autem eam

vocem non exprimit neque habet Ar; πρὸς αὐτὸν praebet A, πρὸς αὐτά sub aster. exhibent 87. 88. syr. hex.; *Cornill* vocem pariter delet. Alii recentiorum, uti *Ros. Schr.* punctatione *mas.* retenta explicant tamen de praepositione, cum alias quoque Ps. 2, 5 etc. similis reperiatur punctatio; ita frequenter legitur אֵלֵינוּ. Alii vertunt : terebinthi eorum (cf. *Vat. Mar.* et e recentioribus *Starck, Maurer, Kliefoth*); alii : principes eorum sicut in v. 11 אֵל גּוֹיִם dicitur (*Sm.*); principes eorum autem vocari potatores aquae cum contemptu, ut indicetur potentiam humanam conditionibus divinitus statutis alligari eamque valde labilem esse et fragilem. Alii demum ad LXX redeuntes legunt אֱלֵיהֶם (*Keil*).

Quanta fuerit et quam inexspectata ruina, porro ex aliorum quoque luctu et afflictione describitur v. 15 « *haec dicit Dominus Deus : in die quando descendit ad inferos, induxi luctum, operui eum abysso et prohibui flumina eius et coercui aquas multas, contristatus est super eum Libanus et omnia ligna agri concussa sunt* »; — hebr. *operui propter eum aquarum vim*, scil. תְּהוֹם eo sensu quo v. 4; illa aquarum vis quasi sacco vel veste pulla operitur, qua re dicitur : faciam lugere aquarum vim, quae ad radices arboris rivos emittebat; lugere autem flumen est aquam non habere sicuti lugere terram est esse sterilem (*Mald. Vat. Mar.* et recentiores). Luctus igitur quem Deus induxit ita exhibetur, ut arbore prostrata rivi quibus rigabatur siccentur. Qua metaphora opes regni interiisse exprimitur (*Lap. Tir. Men.*). Praeterea luctum induerunt Libanus, in quo cedrus illa magnifica floruerat v. 3, ceteraeque arbores. Hebr. *nigrescere feci Libanum super eum et omnes arbores deliquium passae sunt* (cf. *Vat. Mald. Mar.* et recentiores); tenebris obvolvitur Libanus ad luctum designandum, cui vestimenta pulla inserviunt. Tota ergo regio illa ruina est afflicta et quasi viribus exhausta. Etiam reliquae gentes casu adeo terribili tremefactae sunt; illae autem quibus olim iam clades et infortunia obtigerant suas aerumnas leves reputabant, postquam ruinam Assur consideraverunt; ita v. 16 « *a sonitu ruinae eius commovi gentes, cum deducerem eum ad infernum cum his qui descendebant in lacum, et consolata sunt in terra infima omnia ligna voluptatis egregia atque praeclara in Libano, universa quae irrigabantur aquis* »; — *commovi* i. e. *contremiscere feci gentes*, eas reddidi attonitas prae fragore et strepitu ruinae; similiter fragore arboris magnae cadentis terra quasi tremere videtur; unde apte infertur ex metaphora tremor gentium. Qualis intelligatur ruina, explicatur : cum eum scil. detruderem in infernum ad eos qui iam descenderant in foveam i. e. cum regnum assyriacum deleretur. Modus loquendi idem est qui Is. 14,19 seq.; totum regnum in rege repraesentatur; ruina regni in morte regis; ruina ignominiosa

in rege qui ad infimum locum in tartaro deiicitur. Cum itaque rex potentissimus e sede deiectus descenderet in scheol vel in regionem inferiorem, sese consolatae sunt omnes arbores paradisi (Eden, hebr.), egregiae et praeclarae Libani, omnes potantes aquam (hebr.); alii reges devicti et in infernum deiecti suas clades iam libentius ferebant visa ignominia regi Assur illata; iuvat enim socios habuisse malorum et maiores aliorum calamitates aliquid levaminis afferre videntur afflictis. — Notari oportet in v. 15. 16. 17 tempus exhiberi praeteritum; quare de re iam facta sermo designatur; unde lectio quoque Assur in v. 3 confirmatur.

Calamitatum communio, ut *Theod.* dicit, consuevit aliquid consolationis afferre; quare ad v. 16 ratio adducitur in v. 17 « *nam et ipsi cum eo descendent in infernum ad interfectos gladio et brachium uniuscuiusque sedebit sub umbraculo eius in medio nationum* »; — hebr. *ipsi quoque cum eo descenderunt in infernum* ad eos qui iam simili sorte occubuerunt et cum illis quoque descendit *brachium eius* i. e. ii qui regi Assur auxilio erant, qui ei opitulati sunt et eius foedere et protectione tuti erant; unde additur : (qui) *sederunt sub umbra eius in medio gentium;* ita textum hebr. rite concipiunt *Vat. Mald. Mar. Calm. Loch, Troch. Schr. Sm.* aliique; qui opem tulerunt Assyriis vel eis foedere iuncti erant et ab Assyriis iterum vicissim protectionem et opes nanciscebantur, dicuntur *brachium eius*, ii qui sederunt sub umbra eius, simili modo sicut in v. 6. Ii quoque cum Assur deiecti sunt; vide v. 12. Alii quandoque *brachium* etc. ita concipiunt, ut iidem designentur qui iam in priore membro descripti sunt. Verum obstat, quod *etiam ipsi* sensu obvio ad antecedentem sententiam referri oportet et quod particula *et brachium* etc. aliquid additur ad priora.

Non זְרֹעוֹ brachium eius, sed זַרְעוֹ semen eius legerunt LXX et *Syrus;* utrumque commemorat *S. Hier.* : « et brachium sive semen, quoniam apud Hebraeos *zara* utrumque significat ». Eam lectionem aliqui praeferunt (*Ewald*), pro qua provocari potest ad Is. 14,21; at semen eius, filios, sedisse sub protectione Assur in medio gentium dubito an apte dicatur. LXX ultimum membrum hunc in modum efferunt ἐν μέσῳ τῆς ζωῆς αὐτῶν ἀπώλοντο; unde *C.* eorum lectionem approbans et adoptans brachium arboris quod habitat in umbra eius explicat de arbustis et arbusculis quae ex semine radicibusque arboris maioris sua sponte enasci solent, et sensum describit : et arbusta eius, quae crescebant in umbra eius ex media vita interierunt: dum in vigore vitae constituta esse videbantur, perierunt.

Tali exemplo ruinae proposito apte recurrit quaestio ad Pharaonem

facta, qui scil. ex v. 2 iactantia et gloriatione sese prae omnibus effert v. 18 « *cui assimilatus es, o inclyte atque sublimis inter ligna voluptatis? ecce deductus es cum lignis voluptatis ad terram ultimam; in medio incircumcisorum dormies cum eis qui interfecti sunt gladio; ipse est Pharao et omnis multitudo eius, dicit Dominus Deus* »; — hebr. *cui similis es igitur in gloria et magnitudine inter arbores Eden? et detruderis* etc.; superbe se cum potentissimis contulit et comparavit; unde cum ironia et derisione ei dicitur : valeat haec tua comparatio! ecce haec est sors superborum illorum, erit igitur, quemadmodum iactas et optas, tua quoque! Ignominia et opprobrium cernitur in loco inter impuros ei assignato; incircumcisi enim ex Iudaeorum sententia homines sunt omni contemptu digni Deoque exosi (cf. Gen. 31,14. Iud. 14,3; 15,18. 1 Reg. 17,26. 36; 31,4. Is. 52,1; vide supra ad 28,10). Gladio interfecti dicuntur victi et prostrati; unde regi clades et ruina regni denuo praedicitur quae futura sit insuper multa cum ignominia. Ipse est Pharao i. e. hic finis et tristis exitus erit Pharaonis, principum et omnis populi eius (*Men.*); « quomodo, inquit, Assyrius, cedrus et cyparissus, Babylonio succidente deiecta est, sic Pharao et populus eius, hoc est ipsa arbor et rami illius a Babylonio succidentur » (*S. Hier.*); « nam si ille multo te maior et illustrior haec patitur, tu quoque idem exspecta supplicium eadem imbutus impietate » (*Theod.*).

Hac interrogatione qua reditus fit ad v. 2 clare quoque designatur, in antecedentibus non primo et per se de Pharaone sermonem fuisse, sed de Assur, cuius exemplum comparationis et doctrinae causa proponatur. Hoc ita clarum est, ut haec quaestio sensu careret, si antecedentia de Pharaone essent dicta. Id probe intelligens *C.* quaestionem illam eiicit et eius loco scribi vult : quomodo descendisti! utique detrusus es! Sed textus hebr. etiam a LXX exprimitur; quare non textus est mutandus, sed ex textu hoc discendum est illam interpretationem esse falsam et a mente prophetae alienam. Est enim ratio interpretandi sat mira : primo statuitur comparationem cum Assur non posse institui; quare in v. 3 contra omnes testes deletur Assur; dein reliqua quae ad hanc comparationem apte fluunt, uti v. 18, etiam removentur et mutantur, quia illam supponant comparationem, aliis verbis : in textu tradito et per omnes testes confirmato adest comparatio; verum is cuius muneris est interpretari textum, prius textum mutilat in v. 3 et dein contendit ad textum a se mutilatum iam non convenire v. 18, ergo etiam mutandum esse. Insuper nota etiam a *C.* in v. 11. 12. 13. 15. 16. 17 omnino retineri et exprimi tempus praeteritum; quod tempus ad comparationem cum Assur aptissimum est; si vero agitur de Aegypto est ineptum; quodsi solum narratur quod cedro alicui obtigit per modum parabolae, ad rem est ieiunus et inefficax totus sermo.

f) **Carmen ferale de Pharaone 32, 1-16.**

Post expugnationem Ierusalem, quam rex Aegypti impedire voluit nec tamen potuit, vates iterum eius ruinam annuntiare iubetur v. 1 « *Et factum est duodecimo anno in mense duodecimo in una mensis, factum est verbum Domini ad me dicens* » ; — non duodecimum, sed undecimum annum exhibent complures codices hebr. (apud *de Rossi*), A, *Syrus;* notat autem *S. Hier.* : « in multis exemplaribus iuxta LXX duodecimus annús et mensis decimus ponitur; iuxta ceteros autem interpretes decimus annus et duodecimus mensis, ut vel iam capta sit Ierusalem et gaudium Pharaonis malis sibi imminentibus auferatur, vel certe capienda, et suis magis miseriis doleat quam aliorum captivitate laetetur ». In *una* mensis hebraismus est pro prima die mensis. Ceterum de temporis designatione vide ad v. 17. Iubetur vates carmen lugubre, threnum, קִינָה assumere; sed carmen quod sequitur ad consuetam lamentationum formam non est exactum, verum est potius carmen comminatione plenum; in ipsis minis igitur lamentum includi et proponi intelligatur oportet, eo fere modo quo *Pint.* notat : quoniam fuit a summa mundi gloria rex ad summam miseriam praecipitatus.

Prius regis potentia, ferocitas, tyrannidem exercendi libido describitur v. 2 « *fili hominis assume lamentum super Pharaonem regem Aegypti et dices ad eum : leoni gentium assimilatus es et draconi qui est in mari et ventilabas cornu in fluminibus tuis et conturbabas aquas pedibus tuis et conculcabas flumina earum* » ; — ex hebr. quaedam oppositio colligi potest : *leoni comparatus es et tu* vel tu vero *sicut draco in mari;* in leone laudatur potentia, fortitudo, summum in alias bestias imperium; leo gentium is appellatur qui ita versatur inter gentes, sicut leo inter animalia : leo rugiet quis non timebit (Am. 3,8)? Verum qui tam nobili animali comparetur Pharao non est dignus: est potius *crocodilus;* vide 29,3; et ut talis *prorumpebas in fluminibus tuis et turbabas aquas pedibus tuis* (hebr.) i. e. ut animal ferox et rapax cum impetu et strepitu prorumpit, prosperitatem et salutem aliorum foede conculcat, regiones devastat, omnia perturbatione bellisque miscet.

Ceterum de textu hebr. eiusque vera interpretatione h. l. non est una quaestio. Versiones veteres efferunt comparationem cum leone. Huic versioni etiam aliqui recentiorum acquiescunt (*Troch. Schr. Keil*), dum alii monent נִדְמָה nullibi in ea notione usurpari, sed ubique *exscindi, deleri* significare. Quare eam notionem hic quoque ésse retinendam, idque eo magis, cum duplex illa comparatio leonis et draconis non bene quadret neque oppositio illa : leoni comparatus es (a quo enim?) sed revera eras draco, aptum fundat sensum. Unde vertunt : leo gentium, destructus es (*Hitz.*

Sm.); *C.* autem supplet : leo gentium venit super te, quomodo periisti! Qua ratione carmen quoque magis conformari aiunt ad normam lamentationis. — Lectio *in fluminibus tuis* pariter tradita est et ad notionem verbi *prorumpere, sese proripere* convenit, cum dicatur: cum impetu per flumina ferebaris vel te proripiebas. At nihilominus alii legendum esse censent בנחירותיך (cf. Iob 41,12) : in naribus tuis vel naribus tuis spargebas aquas, bullire faciebas. Eo modo maior adest conformitatis ratio, quia uti in altero membro pedes, ita hic nares ponuntur; attamen minime opus est lectionem traditam relinquere, quae usu intransitivo verbi גיח commendatur et magis apta videtur ad ferocitatem depingendam. Quod *S. Hier.* habet *ventilabas cornu* ex graeco ἐκεράτιζες petitum est; unde graecus interpres formam תגח derivavit a נגח cornu petere, ferire (*Lap.*); ventilare aquas dicitur quia gentes bellis miscebat (*Mald.*). Ceterum ventilare haud feliciter dici *Calm.* notat, cum crocodilus nihil corneum vel corneo simile gerat. Ad recentiorum emendationem prope accedunt ratione habita sensus *Vat. Mar.* vertentes : educebas flumina i. e. naribus emittebas aquas instar fluminis.

Cum igitur tyrannidem exerceret aliorumque felicitatem turbaret, condigna poena ei denuntiatur v. 3 « *propterea haec dicit Dominus Deus : expandam super te rete meum in multitudine populorum multorum et extraham te in sagena mea* »; — Deus expandet rete ad bestiam capiendam per multos populos; mittet exercitum ex variis gentibus compositum; de locutione vide 12,13; 17,20; hebr. *et extrahent te in sagena mea :* Deus auctor designatur principalis, cuius ministri sunt Chaldaei et exercitus variarum gentium ad deprimendam superbiam Pharaonis. Secundum metaphoram inceptam clades ulterius describitur eo fere modo quo 29,5 : v. 4 « *et proiiciam te in terram, super faciem agri abiiciam te et habitare faciam super te omnia volatilia coeli et saturabo de te bestias universae terrae,* v. 5 *et dabo carnes tuas super montes et implebo colles tuos sanie tua,* v. 6 *et irrigabo terram fetore sanguinis tui super montes et valles implebuntur ex te* »; — in ingenti cadavere adumbratam habes magnam potentiam quae prostrata est, regnum magnum, cuius opes et regiones varii inter se dividunt. Prostratio cadaveris simili modo exhibetur, sicut 31,12. 13 ruina arboris caesae; ita sententiae executio in Pharaonem conformatur ad poenam Assyrio inflictam, quemadmodum utriusque superbia et arrogantia simili quoque ratione perstringebantur, unde iterum merito colliges Assur proponi cap. 31 in exemplum ruinae Aegypto imminentis. Hebr. v. 6 verte : *et potabo terram profluvio tuo ex sanguine tuo usque ad montes;* non salutifera Nili inundatione, sed sanguinis inundatione campos oppletum iri, immo usque ad montes eam inundationem augeri hyperbolice, uti fit in minis, asseritur. Magna igitur strages, caedes plurimae praedicuntur. In illa sanguinis copia regnum divitiis abundans et plurima spolia adumbrantur.

In v. 5 רָמוּתֶךָ explicant aliqui de *acervo* cadaverum a רום altum esse; alii a רמה proiicere vel רמם putrescere ex arab. i. e. proiectum, cadaver scil.; LXX eo loco habent *sanguinem*, ergo דם? *S. Hier.* praebet ibi *saniem*; *Syrus*, *Sym.* exprimunt vocem רִמּוֹת *vermes*; *Chald.* : et implebuntur valles cadaveribus exercitus tui. Integrum versum *C.* eiicit; offenditur enim eo quod caro detur super montes et quod in v. 5 de carne sit sermo quam in v. 4 iam dudum bestiae devoraverint. Utique si vates nihil aliud vellet nisi crocodilum captum et devoratum describere, admiratio illa posset consistere. Sed quis non videt metaphorice totius regni interitum, stragem exercitus, caedes plurimorum quae per totam late regionem fiant in illa parabola crocodili capti et in casu regis delineari? Sicut cap. 31 rem et tropum misceri vidimus, ita hic quoque ab imagine quandoque transitus fit ad rem vel potius res quae imagine exprimitur in modo descriptionis praevalet et secundum eam ipsa imago seu parabola mutatur, extenditur. In v. 6 alii vertunt : et terram inundationis tuae i. e. terram quae alias inundatur Nilo, irrigabo sanguine tuo (cf. *Vat. Mald. Mar. Troch. Schr. Sm.*) vel quasi terram *natantem* quae in aquis Nili natare videatur; LXX : et potabitur terra ἀπὸ τῶν προχωρημάτων σου; sim. *S. Hier.*, quae acceptio praeplacet.

Dies iudicii dies est luctus et tenebrarum; tenebris enim maximae calamitates designari solent; unde v. 7 « *et operiam cum exstinctus fueris coelum et nigrescere faciam stellas eius; solem nube tegam et luna non dabit lumen suum*, v. 8 *omnia luminaria coeli moerere faciam super te et dabo tenebras super terram tuam, dicit Dominus Deus, cum ceciderint vulnerati tui in medio terrae, ait Dominus Deus* »[1]; — super campum illum, quo rex cum exercitu suo prostratus iacet, densa caligo extendetur ad horrorem augendum; neque noctu neque interdiu coelum super illum erit serenum, sed obvolutum atris nubibus ita ut neque sol neque alia sidera luce sua regionem collustrare possint. Descriptio haec ad tempus miseriae etiam ea ratione apta est, quia hominibus afflictis omnia tristia ac lurida esse videntur (cf. *Theod. Tir.*). Aliis placet obscuratione illa declarari quantus fuerit splendor Aegypti : tantus ubique te exstincto luctus, ut coelum, sol et luna, obscurari videantur, quasi tu prius splendore tuo haec omnia collustrares (*Mald. Lap. Men.*) ita ut Aegyptus comparetur lucernae maximae et lucidissimae, qua exstincta omnia tenebris et fumo obfuscentur (*Vat.*). Sed e re ipsa nasci videtur acceptio alia eaque simplicior : super campum illum occisorum triste quoque expandi coelum nubibus obvolutum; ita habes unam imaginem, aptam ad antecedentia, qua modo consentaneo calamitas depingitur (cf. Is. 8,22). Cui adde diem Domini simili modo saepius a prophetis adumbrari; vide Is. 13,10.

---

1. Hoc incisum *cum ceciderint*.... neque in hebr. neque in gr. neque apud *S. Hier.* legitur; « castigatores Hentenius et parisienses textu pepulere » dicit *Lucas* brugensis, cuius videsis notam.

Ioel 2,10; 3,15. Soph. 1,15 etc.; cum enim iudicia particularia praeambula quaedam sint ad iudicium Dei universale et ultimum, in iis quandoque Deus iudex eiusmodi vestitur symbolis, quibus in magno illo iudicio docente revelatione ipsa rei veritas respondebit (vide quae notavi ad Is. cap. 24 et ad Mich. 1,3. 4). Neque improbabile est illis tenebris alludi ad caliginem quae iam olim in Aegyptum inducta fuit Ex. 10,21 seq. Cum dicatur *in tua exstinctione* (dum te exstinguam), aliqui censent (*Dereser, Hitz. Sm.*) Aegyptum draconem h. l. concipi tamquam sidus in coelo fulgens atque draconem intelligi coelestem in astris positum, cui vulgus eclipsin solis attribuere soleat (cf. Iob 3,8; 26,13); at cum in v. 2 draco in mari appellatus sit et haec appellatio etiam in v. 3-6 servetur, talis transitus ad draconem coelestem omnino coactus est. Quia de rege Aegypti sermo est, qui inter alios titulos etiam filius Ra, dilectus Ra i. e. dei solis vel etiam Ra, deus solis vocari solebat (cf. *Erman,* Aegypten p. 89. 103.), magis obvium est ex eo nomine exstinctionis metaphoram declarare[1]; ad idem referri potest quod rex Horus quoque vel aureus Horus vocari solebat, Horus autem deus solis est iuvenis et victor.

Sicut 31,15 seq. ruinam regis sequitur luctus et commotio gentium, ita similiter v. 9 « *et irritabo cor populorum multorum, cum induxero contritionem tuam in gentibus super terras quas nescis,* v. 10 *et stupescere faciam super te populos multos et reges eorum horrore nimio formidabunt super te, cum volare coeperit gladius meus super facies eorum, et obstupescent repente singuli pro anima sua in die ruinae tuae* »; — i. e. metu et angore percellam cor populorum (*Mald. Lap.* et recentiores), si nuntius ruinae tuae ad eos perfertur; immo tam magnum erit exitium ut eius nuntius in terras quoque perveniat quas rex ne de nomine quidem cognovit; « ad tuum interitum omnes populi et cuncti reges eorum horrore nimio formidabunt conspicientes gladium meum huc illucque volitare et nulli parcere et in tua ruina ruinam similem pertimescent » (*S. Hier.*). Gladius dicitur volare, stringi coram facie eorum vel contra eos; nam ex Ier. 25,11 et 26,6. 7 omnes gentes debent servire et subiici regi Babylonis; quare subiectio unius populi iuremerito dicitur reliquis terrorem incutere, cum similem sortem sibi esse constitutam sciant et clade aliis inflicta discant

---

1. *Erman* l. c. p. 103 affert carmen in laudem regis Seti II ex fine dynastiae 19. compositum, in quo inter alia haec leguntur : inclina ad me vultum, sol oriens, qui utramque regionem splendore illustras, tu orbis solis pro hominibus, qui tenebras de Aegypto pellis, speciem habes ac formam sicut pater Ra, qui oritur in coelo; radii tui extenduntur usque in regionem remotissimam etc.

iamiam appropinquare suae quoque cladis tempus. Quare repente vel ex hebr. per momenta, singulis momentis, continuo (*Mar.* et recentiores) sibi ipsis metuunt, cum in ruina illa gladium Domini districtum cernant qui ab uno ad alterum sit transiturus; tua enim res agitur, paries cum proximus ardet; id summopere hic valet (cf. *Lap.*); ceterum vide 26,16; 31,16; et ad *repente* cf. Is. 27,3.

Legitur in v. 9 הביא שבר adducere ruinam; dubium tamen est, num hoc dici possit pro: nuntium ruinae afferre; quod 36,3 dicitur, haud est simile neque unquam הביא simpliciter est *nuntium* afferre; Gen. 37,2 additur obiectum: malos rumores attulit ad patrem. Iam *Houbig.* notat ad versionem *vulg.*: *cum induxero contritionem tuam in gentibus*: « sententia perplexa, immo falsa, si voluit dicere *cum nuntiavero contritionem tuam*, nam verbum הביא sine addito nihil minus significat quam nuntiare vel famam perferre. Veram scriptionem habuere graeci interpretes qui converterunt αἰχμαλωσίαν σου captivitatem tuam, cum legerunt שביתך ». Quam lectionem graecam etiam *C.* adoptat שביך scribens; *Ewald* coniecit שבר idque ex aramaico significare nuntium, historiam censuit; sed vox syriaca significat cogitare, sperare vel de nuntio fausto adhibetur; cf. *Payne Smith*, Thes. syr. p. 2510 seq. *Levy*, Chald. Woerterb. II p. 139. De captivis etiam accepit verba *Chald.*: cum adduxero contritos belli tui inter populos; qui sensus cum 29,12. 19; 30,17. 18. 26 congruit. *Syrus* verba hebr. fideliter exprimit.

Uti 29,19 et 30,10. 24, ita hic quoque indicatur, quis futurus sit ultionis divinae minister et exsecutor; « ut autem scias quis iste sit gladius, audi manifestius » (*S. Hier.*) v. 11 « *quia haec dicit Dominus Deus: gladius regis Babylonis veniet tibi,* v. 12 *in gladiis fortium deiiciam multitudinem tuam; inexpugnabiles omnes gentes hae et vastabunt superbiam Aegypti et dissipabitur multitudo eius* »; — hebr. violenti vel feroces gentium omnes illi; vide 28,7; 31,12. Bello illo a fortibus illato omnem tumultum, strepitum, pompam Aegyptiorum deiiciet; vide 29,8 seq. 30,6 seq.; uti assolet, cum homine reliqua quoque creatura perdetur v. 13 « *et perdam omnia iumenta eius quae erant super aquas plurimas et non conturbabit eas pes hominis ultra neque ungula iumentorum turbabit eas* »; — vide 29,8. 11; solitudinem vates exaggerat dicens aquas iam non conturbari neque per hominem neque per greges i. e. neque homines neque greges ibi relinqui; similiter 29,9. 12; 30,7. 12. Qua solitudine et caedes et captivitatem accidisse perspicuum est. In tanta igitur solitudine « aquae fluminum quasi oleum fluent purissimae ac nitentes nullo per eas transeunte nec earum fluenta turbante » (*S. Hier.*) v. 14 « *tunc purissimas reddam aquas eorum et flumina eorum quasi oleum adducam, ait Dominus Deus,* v. 15 *cum dedero terram Aegypti desolatam, deseretur autem terra a plenitudine sua, quando percussero omnes habitatores eius et*

scient quia ego Dominus »; — hebr. v. 15 *cum dedero terram desertam et vastata fuerit terra* i. e. spoliata plenitudine sua, omnibus scil. quibus regionis ubertas et amoenitas constituitur; tunc *subsidere faciam* v. 14 aquas i. e. quietas, tranquillas, limpidas eas reddam et fluent quasi oleum, placide, nitide, leniter (*Theod. Mald. Sa, Mar. Lap. Men. Tir. Calm. Loch*). — In aquis puris et olei instar fluentibus aliqui promissionem cernunt expressam temporis melioris et benedictione divina abundantis, id quod praecipue in oleo sit declaratum (cf. Deut. 32, 13. Iob 29,6; *Troch. Ewald, Keil*). At in v. 15 comminationem contineri ex formula *et scient quia ego Dominus* patet; dein in v. 16 totum id quod praecedit tamquam lamentum declaratur; unde non probabile videtur in v. 14 subito laetam inseri praedictionem. Quare interpretatio *S. Hier. Theod.* etc. retinenda erit; nam *S. Hier.* solum in « intelligentia spirituali » verba illa ad bona accommodat spiritualia, nequaquam in explicatione litterali.

Demum imaginem et oraculum vastationis confirmat asserens lamentum tale non ab uno, verum a plurimis longe lateque iteratum iri v. 16 « *planctus est et plangent eum, filiae gentium plangent eum, super Aegyptum et multitudinem eius plangent eum, ait Dominus Deus* »; — lamentum hoc canent filiae gentium; mulierum enim praecipue est carmen ferale canere (Ier. 9,17); et canent illud de Aegypto et omni eius strepitu et pompa. Quemadmodum propheta iubetur planctum tollere, quo certius calamitatem eventuram esse vaticinetur aliisque persuadeat, ita ipse gentes dicit deploraturas esse Aegyptiorum interitum, ut hunc interitum certissime fore significet; vide 26,17; 27,32; 31,16; 32,9. — In B et multis codicibus minusculis, pariter in K legitur : planctus est et planges eum et filiae gentium... ita ut mandatum vati v. 2 propositum repetatur; quae lectio etiam propter v. 2 apte absolvit hoc carmen. Apud *Syrum* membrum hoc intermedium non habetur, id quod etiam apud *S. Hier.* non legitur neque in versione neque in commentario. Textum hebr. exprimunt A, Ar, 22. 23. 26 syr. hex.

g) **Interitus hostium Dei 32, 17-32.**

Quo Dei victoria illustrius celebretur et exsulibus efficacius proponatur fore tandem aliquando ut omnibus devictis regnum Dei constituatur et pii cum Deo triumphatore regnent, aliud carmen ferale quo interitus hostium Dei praeprimis describitur vates canere iubetur v. 17 « *Et factum est in duodecimo anno in quintadecima mensis, factum est verbum Domini ad me dicens* »; — cum quotus mensis fuerit non

addatur, plerique ex v. 1 supplendum esse censent mensem duodecimum ita ut hoc carmen post 14 dies vati sit praeceptum; sic *S. Hier.* : eodem ut putamus mense, et *Pint. Mald. Mar. Lap. Men. Gord. Loch, Troch. Keil, Sm.* et addito *fortasse* etiam *Calm.*; sed apud LXX legitur : anno duodecimo primo mense[1] quintadecima die mensis et eodem modo in Ar, K; quae lectio addito *primo mense* genuina videtur; nam omissum esse h. l. mensem quia idem sit cum mense in v. 1 non potest admitti; cur non etiam eo in casu annus est omissus? Quodsi autem hic textus graecus est sequendus, etiam in v. 1 oportebit, uti iam *Houbig.* voluit, legere anno *undecimo*, mense duodecimo die prima mensis; nostrum enim carmen ferale post illud v. 2 seq. esse ponendum ipso argumento carminis patet.

Quod futurum sit ut iam carmine faciat vati praecipitur v. 18 « *fili hominis cane lugubre super multitudinem Aegypti et detrahe eam ipsam et filias gentium robustarum ad terram ultimam cum his qui descendunt in lacum* »! — « verbis prophetiae de statu ipsum declina et a regis sede eum detrahe et deturba » (*Theod.*), ut hoc modo loquendi simul vis et robur verbi Dei connotetur apud quem dixisse est fecisse, ut alio loco *S. Hier.* loquitur. Cum etiam filias gentium praeclararum (hebr.) iubeatur ad inferos deturbare i. e., multitudinem nationum aliarum validarum, carmen iam ad iudicium Dei in omnes hostes extenditur. Idem in subsequentibus habetur, cum a v. 22 et seq. variae gentes in infero positae describantur. Cum textu hebr. satis consentiunt LXX, quare nullo modo opus est textum cum *Hitz. Sm. C.* mutare : detrahe eam tu et filiae gentium, quasi etiam hoc loco filiae gentium solum tamquam lamentatrices ad plorandum regem convocarentur. Neque verum est quod obiiciunt : neminem praeter Aegyptum deduci ad inferos in subsequentibus; nam qui enumerantur non ita recensentur quasi omnes iam essent prostrati; quomodo enim eo sensu v. g. Mosoch et Thubal et principes aquilonis omnes commemorari possent, cum Babylonii non ante Pharaonem descenderint quippe qui in eum ultionem exerceant, et cum Mosoch et Thubal longe post Aegyptios devictos in exercitu Gog et Magog denuo recenseantur? Unde apparet non eum esse sensum ac si omnes ante Aegyptios deleti iam inferno continerentur, sed solum exprimi quod ex v. 18 colligitur omnes hostes vi verbi Domini iri deiectum; id ergo quod certissime fiet, ex vi et efficacia verbi Domini, de quo valet : dixit et facta sunt,

---

1. *S. Hier.* quidem in sua LXX translatione non ponit primum mensem et in aliquibus codicibus verba illa absunt. Obelum appinxit Origenes, ut ipse dicit, verbaque auferre ausus est, quia plane ἀλόγως poneretur mensis primus post mensem duodecimum in v. 1.

quasi iam effectu completum proponitur quia immutabili Dei decreto ita est constitutum. Praeterea punitio unius inimici Dei, ut saepius adverti potest apud prophetas, aptam subministrat occasionem explicandi normam Dei generalem.

Hoc prooemio praemisso mentio fit gloriae Aegypti quam tamen statim ruina excipit v. 19 « *quo pulchrior es? descende et dormi cum incircumcisis* »! — « quo melior es, ut mortem merearis evadere » (*S. Hier.*)? omnes enim superbi interitui devoti sunt; unde repetitur quaestio eo sensu quo 31,2. 18; ne potentissimus quidem poterit sortem illam effugere; igitur quo magis te effers et superbis, eo in tetriorem locum descendes (*Mald. Lap.*); ibi cubabis et prosterneris cum hominibus impuris, a Dei foedere alienis, omnibus exosis et abominationi habitis; tales enim sunt Iudaeis incircumcisi (31,18). Idque denuo de rege et populo eius asseritur v. 20 « *in medio interfectorum gladio cadent; gladius datus est, attraxerunt eam et omnes populos eius* » ; — i. e. rex et populus eius cadent in medio occisorum; ut aliae gentes gladio et bello prosternuntur, ita Pharao quoque et eius multitudo; iam enim gladius porrectus est et paratus a Domino; iam ii qui gladium hunc portant et exsecutores sunt iudicii divini Aegyptum et omnes eius tribus detrahunt vel detraxerunt, ut scil. quod fiet quasi iam factum proponatur. Hebr. quoque verti potest : detrahite eam et omnem multitudinem eius (*Troch. Keil, Sm.*); sed *detraxerunt* omnino retineri potest; maiore enim vi et emphasi in carmine lugubri ruina canitur quae iam quasi praesens et facta sistitur. Atque ad ruinam iam illatam etiam congruunt quae sequuntur v. 21 « *loquentur ei potentissimi robustorum de medio inferni, qui cum auxiliatoribus eius descenderunt et dormierunt incircumcisi, interfecti gladio* » ; — i. e. cum rex descendisset, *loquuntur de eo* robusti heroum de medio inferni; loqui intelligendum erit eo modo quo Is. 14,16 seq. incolae inferni advenam cum irrisione salutant. In textu latino qui loquuntur de rege ii sunt qui cum copiis auxiliaribus regis (30,5) iam in scheol descenderunt ibique iacent prostrati; in textu hebr. cum non legatur pronomen relativum, sententia aliter concipi potest : robusti heroum simul cum auxiliatoribus eius loquuntur de eo : descenderunt, iacent incircumcisi, gladio interfecti, ita ut ultima verba tamquam ab eis dicta accipi possint, quibus admirationem cum irrisione mixtam de ruina Aegyptiorum explicent; id quod propterea quoque commendatur, ne illud *loquuntur* omni determinatione destituatur.

Advertit *S. Hier.* : « multum in hoc loco LXX interpretum editio et ordine et translatione discordat et quaedam in ea de Theodotione addita sunt ».

LXX ita exhibent : v. 18 fili hominis plange de virtute Aegypti et deducent filias eius gentes mortuas in profundum terrae ad eos qui descendunt in foveam; v. 19 in medio vulneratorum gladio cadent cum eo v. 20 et dormiet omnis fortitudo eius, v. 21 et dicent tibi gigantes : in profundo foveae esto, quo melior es? et descende et cuba cum incircumcisis in medio vulneratorum gladio. — Qui textus in aliquibus melior est ac facilior quam hebr.; ita pro מִשְׁכְּבִי ponitur *et dormiet;* et quid gigantes dicant, apte effertur etiam membrorum transpositione adhibita. *Cornill* in pluribus sequitur LXX et hunc textum proponit : luge de Pharaone, rege Aegypti et deiice eum (in sepulcrum), tu et filiae gentium superbarum, in infimam terram ad eos qui descenderunt in foveam; in medio occisorum cecidit et prostrata est omnis multitudo (pompa) eius; dicent ad eum heroes : in profundissimam foveam descende, prae quo emines? descende et cuba cum incircumcisis in medio interfectorum gladio.

Rex autem Aegypti descendere debet in infernum, quia haec est sors communis omnium hostium Dei et omnium superborum; unde ex iis quae iam facta sunt et ex lege Dei generali ei interitus indicitur; simul magis declaratur sequenti enumeratione quod in v. 20. 21 dictum est et victoria Dei de inimicis praeclare effertur ostensis exuviis eorum v. 22 « *ibi Assur et omnis multitudo eius, in circuitu illius sepulcra eius, omnes interfecti et qui ceciderunt gladio* » ; — ab Assur initium ducitur; erat enim regnum ex testimoniis sacris et profanis antiquissimum et florentissimum, quod tamen misero casu haud ante multum tempus concidit (vide comment. in Proph. min. II p. 49). En ex omni illo fastu nihil restat nisi sepulcra, quibus omnis eorum pompa absorpta est. Occisos esse gladio effertur, ut significetur Deum subito finem imposuisse eorum regno eosque clade inflicta devictos et ignominiose superatos ad inferos traduxisse. Iam quantum adsit discrimen inter gloriam praeteritam et opprobrium praesens, proponitur v. 23 « *quorum data sunt sepulcra in novissimis laci et facta est multitudo eius per gyrum sepulcri eius, universi interfecti cadentesque gladio, qui dederant quondam formidinem in terra viventium* »; — rex Assur ibi iacet sepultus et circa eum reliquorum sepulcra, sed in infima parte inferorum, in loco ergo despecto et ignominioso; ita qui se in terris exaltarunt et sui terrorem longe lateque sparserunt, eo magis deprimuntur. Qua de re verba Christi expende de Capharnaum quod quia usque in coelum se exaltaverit, usque in infernum detrudetur (Matth. 11,23). Exemplo Assur prostrati et in ultimum locum retrusi praeclare orditur vates carmen hoc triumphale de Domini potentia et victoriis.

Eadem sermonis conformitate qua mentes audientium iterum iterumque ad Dei victorias et humanae potentiae fragilitatem remittuntur,

alia vates subdit exempla v. 24 « *ibi Aelam et omnis multitudo eius per gyrum sepulcri sui; omnes hi interfecti ruentesque gladio, qui descenderunt incircumcisi ad terram ultimam, qui posuerunt terrorem suum in terra viventium et portaverunt ignominiam suam cum his qui descenderunt in lacum* » ; — de Aelam vide Is. 21,2; 22,6; in principio regni Sedeciae Ieremias Aelamitis stragem et interitum annuntiaverat Ier. 49,35-39. Ut antea sui nominis terrorem aliis incusserant, ita viribus fractis contemptui sunt v. 25 « *in medio interfectorum posuerunt cubile eius in universis populis eius; in circuitu eius sepulcrum illius; omnes hi incircumcisi interfectique gladio; dederunt enim terrorem suum in terra viventium et portaverunt ignominiam suam cum his qui descendunt in lacum; in medio interfectorum positi sunt* »; — hebr. *dederunt cubile ei cum omni multitudine eius;* clades et ignominia pluribus proponitur, in lacum vel in foveam descendisse effertur, quia quam inanis sit hominum pompa et arrogantia, vates ad oculum demonstrare vult. En, rerum praeteritarum memoria quid est aliud nisi memoria regum regnorumque quibus post modicum tempus ruina imminebat?

Cum Dei voluntas efficax nunquam carere possit effectu, vates vi mandati v. 18 accepti etiam eos iam exhibet gladio Dei et ultione prostratos quos in posterum deiectum iri certissime constat; simili modo prophetae ad certam ruinam declarandam carmina feralia condunt de urbibus etiamtum florentibus (27,1 seq.); v. 26 « *ibi Mosoch et Thubal et omnis multitudo eius, in circuitu eius sepulcra illius; omnes hi incircumcisi interfectique et cadentes gladio, quia dederunt formidinem suam in terra viventium* »; — de Mosoch et Thubal vide 27,13; cum extremo tempore isti in exercitu Gog et Magog et in ultima oppugnatione regni Dei recenseantur 38,1. 2, patet hic sermonem inferri non de re praeterita, sed de clade futura. Scythas intelligi illos qui sub Iosia rege Palaestinam invaserint aliquibus placet (*Ewald, Hitz. Reuss, Sm.*), sed illa ipsa invasio est valde incerta (de qua re egi in comment. Ieremiae p. 88) neque in s. litteris commemoratur, neque de ingenti Scytharum strage mentio fieri posset eo in eventu. Ad rem notat *Lap.* : « horum populorum regem intelligit; unde sequitur *in circuitu eius* scil. regis vel principis, *sepulcra eius* scil. multitudinis vel populi collocata sunt ». Immo quo ferociores fuerint et quo maiorem sui formidinem aliis incusserint, eo maiore opprobrio obruentur v. 27 « *et non dormient cum fortibus cadentibusque et incircumcisis qui descenderunt ad infernum cum armis suis et posuerunt gladios suos sub capitibus suis et fuerunt iniquitates eorum in ossibus eorum, quia terror fortium facti sunt in terra viventium* »; — i. e. non cubabunt

cum illis fortibus qui gloriose in bello occubuerunt et qui in signum gloriae et fortitudinis cum armis suis sepulti sunt, ideoque etiam in inferno haec insignia et indicia gloriae gestare dicuntur. Igitur in ipso scheol a reliquorum societate et honore excluduntur et in locum quendam inferiorem et deteriorem detrusi maiorem obeunt ignominiam, quia iniquitates eorum adhaerent ossibus, i. e. poenas luunt in ipso loco quo cubant; ossa quasi inquinata considerantur; quare ab aliorum consortio tamquam immundi separantur. Iniquitas autem ex eo potissimum describitur, quia hisce in terris terrore, crudelitate maxima saevierint, ita ut fortissimi quique haud potuerint a formidine temperare. Ex modo descriptionis facile colligitur etiam apud inferos varios esse poenarum et opprobriorum gradus atque peti discrimen ex vita in terris acta; vide quae notavi ad Is. 14,20 : non habebis consortium neque cum eis in sepultura.

LXX et *Syrus* legunt *et dormierunt*; sed negatio est retinenda; secus enim frustra diceretur alios cum honore esse sepultos, in ipsis autem adhuc adesse et cerni iniquitates; utraque hac ratione indicatur non parem illis cum aliis fieri honorem. *S. Hier.* in sua versione LXX illud *non* habet. Frustra quoque alii voluerunt hebr. וְלֹא explicare *nonne* cubant (*Ewald, Field*)? LXX fortes illos qui ceciderunt ἀπ' αἰῶνος praebent; pro מֵעֲרֵלִים legerunt igitur מֵעוֹלָם, quam lectionem alii quoque sequuntur (*Hitz. Sm. C.*) et quam omnino praeferendam esse etiam *Houbig.* censet. Censent aliqui vatem alludere ad Gen. 6,4; immo *C.* inde quoque נְפִילִים in textum vatis infert pro נֹפְלִים. Verum hoc omnino repudiandum est, neque enim vates scelestos illos quos ultione divina ablatos esse s. litterae docent tanto cum honore sepultos esse diceret; praesertim cum illi diluvio periisse censendi sint, cum armis honorifice sepulcro conditos esse dici haud apte potest; insuper comparatione hac instituta quid sibi vellet mentio iniquitatis? Maior sane iniquitas in illis gigantibus aderat quam in Mosoch et Thubal. Male ponit *C.* pro *iniquitate* scutum, contra testes antiquitatis textum mutans et simul auferens rationem, qua declarari debet cur *non* cum aliis honorifice cubent. Quod ait scutum omnino requiri ad honorem sepulcri, textus mutationem non exigit, quia *in vasis* vel *instrumentis* pugnae (hebr.) etiam scutum continetur. Multo maioris momenti est quod ratio afferri debet maioris ignominiae quae illis inuritur; haec vero habetur in *iniquitate*.

Ad quid ea enumeratio dirigatur, allocutione ad Aegyptium facta ostenditur : hisce scil. exemplis discat legem Dei quam ipse quoque nullatenus effugere poterit; quare ad vim orationis multum confertur interruptione hac et monitione ad Aegyptium v. 28 « *et tu ergo in medio incircumcisorum contereris et dormies cum interfectis gladio* »! — haec ad Pharaonem dici, ex toto carmine patet. Uti in tyrannide et superbia aliorum erat aemulus, ita in poena quoque et clade eorum socius erit (*Lap.*); sicut reliqua regna prostrata sunt et prosternentur,

ita eadem sorte et necessitate regnum cadet Pharaonis. Id ulterius illustratur ex gentibus quoque haud adeo ab Aegypto dissitis v. 29 « *ibi Idumaea et reges eius et omnes duces eius qui dati sunt cum exercitu suo cum interfectis gladio et qui cum incircumcisis dormierunt et cum his qui descendunt in lacum* »; — hebr. *qui in fortitudine sua dati sunt cum percussis gladio* i. e. quamvis fortitudine et robore pollerent (*Vat.*), tamen deiecti sunt; vide 25,12; Edomitas a Babyloniis graviter esse afflictos et oppressos et spoliatos docemur Ier. 27,3 seq. 49,7 seq. et etiam prioribus temporibus non una clade esse punitos ex libris historicis et propheticis manifestum est (2 Reg. 8,14. 4 Reg. 14,7. Ioel 3,19. Am. 1,11. 12. Abd. 4 seq.). Demum enumeratio concluditur, dum eadem sors etiam iis indicatur qui, uti principes aquilonis i. e. Babylonii, ultionem Dei prius in alios exsequi debebunt vel qui, uti Phoenices, etiamtum sua gloria opibusque superbe confidunt v. 30 « *ibi principes aquilonis omnes et universi venatores, qui deducti sunt cum interfectis paventes et in sua fortitudine confusi, qui dormierunt incircumcisi cum interfectis gladio et portaverunt confusionem suam cum his qui descendunt in lacum* »; — in versione *S. Hier.* legitur : ibi principes aquilonis omnes et universi Sidonii (*sive* venatores); Sidonios quoque praebent *Syrus, Aq. Sym. Chald.*; in versione *vulg.* nomen ex similitudine quadam cum צידים (Ier. 16,16) explicatur[1]. Principes aquilonis non de solis principibus Aram, sed in universum etiam de Babyloniis intelligendi sunt, cum apud prophetas consuetum sit gentem aquilonarem appellare Chaldaeos; vide Ier. 1,14; 25,9. Ii dicuntur descendisse *in terrore suo* (hebr.), quamvis terrorem sui incuterent et *fortitudine sua confusi* i. e. quamvis essent fortes, tamen clade prostrati sunt et a superba gloriatione deiecti; quare iacent impuri et Deo exosi cum reliquis et suam ignominiam palam profitentur opprobriis oppleti. En, talis exitus pompae humanae!

Hisce exemplis propositis Pharao quid sibi quoque immineat iam non poterit esse dubius; « efficit aliquo modo aliorum perpessio, ut ea quae nobis accidunt minora videantur » (*Pint.*); unde v. 31 « *vidit eos Pharao et consolatus est super universa multitudine sua quae interfecta est gladio, Pharao et omnis exercitus eius, ait Dominus Deus,* v. 32 *quia dedi terrorem meum in terra viventium et dormivit in medio incircumcisorum cum interfectis gladio; Pharao et omnis multitudo eius, ait Dominus Deus* »; — hebr. *eos videbit Pharao;* dein re-

---

1. LXX praebent στρατηγοὶ Ἀσσούρ; legerunt forte סרני, uti habet unus cod. hebr. apud de Rossi; et pro relativo אשר legerunt אשור.

petitur sententia Domini iudicialis : *interempti gladio Pharao et omnis exercitus eius;* ratio affertur in v. 32 : vult enim Deus sui timorem et reverentiam homines docere ultione illa in facinorosos exercita; quare hominum fastui imponit finem, potentes deiicit de sede, in crimina animadvertit. Is sensus praesto est in hebr. *qeri* et in versione lat. et apud *Sym.* in lectione *terrorem meum;* LXX autem, *Syrus* legunt *eius :* dedi terrorem eius, id quod explicari oportet ex v. 24. 26 : permisit Deus ut tyrannide sua hominibus terrorem et afflictionem inferret; sed ad *dedi* omnino aptior est lectio prior, qua Deus se suamque maiestatem eo iudicio agnosci vult (*Houbig. Sm.*) et aptissime sublime illud Dei consilium indicatur ad quod omnis rerum mundanarum administratio tendit, ad Dei gloriam scil. hominibus manifestandam. Haec enim cernitur in victoria Dei, eo quod *prostratus est* in medio incircumcisorum (hebr.) Pharao et omnis eius tumultus, pompa, multitudo. Ita verbis ipsis sermo redit ad id a quo inceperat v. 19. 20.

Lectionem illam in *Vulg.* *dedi terrorem meum* statuerunt correctores romani; *Lucas* brugensis in notationibus iam advertit in exemplaribus latinis magnam deprehendi varietatem : dedit terrorem suum (quam lectionem *Theodoretus* quoque praebet et sequitur *C.*), dedi terrorem eius, et demum dedi terrorem meum, *S. Hier.* in commentario lectionem primam sequitur : « hi dederant terrorem suum in terra viventium; quod quinto dicitur, ut omnes istiusmodi nationes cavere et fugere debeamus »; similiter *Theod.* : « dabit impietatis poenas, quia multo sibi subiectis incusso metu ipse legem meam non admisit, sed animam reliquit incircumcisam »; sed Ar et K suffragium ferunt lectioni LXX : dedi terrorem eius. *Chald.* eandem exhibet paraphrasin, qua in v. 23. 24. 25. 26 usus est : traditi sunt in exitium eo quod dominati sunt in terram Israel; unde legit etiam in v. 32 : dedit terrorem suum.

PARS ALTERA. INSTAURATIO THEOCRATIAE. CAP. 33-48.

Series prior. *Cap.* 33-39.

1. *Praeambulum ad promissiones* 33, 1-33.

Arg. — Vates orditur a descriptione quadam muneris prophetici; ex officio autem prophetae quid populo incumbat facile efficitur; debent enim monenti aures praebere dociles; sin minus fecerint, ipsi erunt suae ruinae auctores. Vates autem populo proponit Dei normam : Deum velle non mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat; qui a iustitia defecerit, perditum iri; qui vero ab iniustitia resipuerit, fore salvum (33,1-20). Accepto nuntio de urbe a Chaldaeis capta destruit falsam fiduciam eorum, qui cum ab Abraham se descendisse iactarent sibi vana spe persuaserant ius quoddam proprium sibi inesse bonorum

promissorum; quare eos edocet quantopere a vera Abraham cognatione peccatis defecerint et iudiciis Dei sese reddiderint obnoxios. Interim Deus vati aperit quo successu sit munere suo functurus : plerosque quae grata et iucunda sint libenter quidem audituros esse, at minime ad meliorem frugem iri reductum (33,21-33).

Iudiciis in Israel aliasque gentes denuntiatis altera sequitur pars qua instauratio describitur. Est quippe norma apud prophetas communis quae iam in Pentateucho continetur, ut populus punitione facta ad instaurationem revocetur; vide Deut. 30,1 seq.; idque ex primis iam et antiquissimis Dei promissis consequitur. Cum enim *Iahve,* Deus foederis, praecipuo quodam iure sit Deus Sem, et ita quidem ut tandem Iapheth quoque habitaturus sit in tabernaculis Sem, eius scil. pacis et bonorum particeps (Gen. 9,26. 27), cum in semine Abraham, Isaac et Iacob omnes gentes sint benedicendae, fieri certe non potest, ut regnum Dei semel in ea familia institutum plane intereat, verum si hominum malitia supprimitur et fere exstinguitur, necesse est ut pro Dei veracitate et fidelitate denuo suscitetur et tandem ad eum perfectionis gradum adducatur, ut nulla iam hominum perversitate obrui possit neque obfuscari. Idem consequitur ex promissis de regno et sceptro aeterno tribui Iuda factis et postea domui et throno David modo perquam sollemni et certo alligatis (Gen. 49,10. 2 Reg. 7,14 seq. Ps. 88,37 seq.). Unde constans est prophetarum mos, ut ruina pro peccatis denuntiata statim transeant ad felicem instaurationem describendam; vide Os. 1,10; 2,14; 3,5; 14,5. Ioel 2,28; 3,18. Am. 9,11. Abd. 21. Mich. 2,12; 4,1 seq. 7,11; apud Isaiam saepissime illud effatum illustratur : Sion in iudicio redimetur (1,27; cf. 4,2; 9,6; 11,1 seq. 16,5; 19,23; 24,14 etc.) et Ieremias quoque reditum ex exsilio et instaurationem vaticinatur 3,14; 23,5; 30-34. Iam Ezechiel iisdem insistit vestigiis et quod in antecedentibus solum obiter et strictim tetigit (11,16-21; 16,60; 17,22-24; 20,40; 28,25), iam uberiore modo prosequitur. Et id quidem urbe destructa. Quod tempus quam aptum fuerit et opportunum ad eam spem denuo illustrandam, expositione non indiget, cum constet quantopere centro theocratiae sublato i. e. urbe temploque eversis animi piorum consolatione erigerentur ac spe roborarentur necesse fuerit.

Ad quod opportuno quoque utitur prooemio. In muneris prophetici indole descripta populo ob oculos ponit continuos illos Dei conatus, quibus per prophetas populum erudire, monere, ad se revocare non destitit. Cui monitioni cum non obsecuti fuerint, sibi ipsi exstiterunt auctores exitii. Unde haec doctrina summe utilis est, ut temporis an-

teacti rationem secundum Dei normam diiudicent, neque minus necessaria, ut quibus tandem liceat potiri bonis Dei promissis perspiciant. Quare tali documento exposito vates sibi viam sternit ad indolem instaurationis spiritualem magis magisque declarandam, simulque optime praecavet ne quis falso opinetur ea bona sibi obvenire posse sine ullo suo studio Deo placendi. Dei regnum restituetur; at utrum illi quibus nativitate et vocatione divina quasi primas in eo partes obtingere debere aliquis facile suspicari possit, eius revera participes futuri sint necne, in illorum cura et studio voci Dei obsequendi constitui atque contineri vates graviter monet hoc praeambulo. Igitur conditiones illas omnino valere affirmat quas iam a Moyse propositas sciunt Deut. 30, 1. 10. 17; vide ad Zach. 6, 15 (Comment. in Proph. min. II p. 292).

a) **Muneris prophetici ratio 33, 1-20.**

Vates a similitudine incipit. Speculator militaris de hoste appropinquante cives clangore buccinae admonere debet; quodsi cives moniti suae saluti non prospexerint, sed maxima animorum levitate et incuria periculum cladem que imminentem contempserint, sua ipsorum culpa misere peribunt, speculator vero officio rite functus ab omni culpa immunis erit; at vae custodi, si muneri suo defuerit; effusi sanguinis poena ab eo reposcetur! v. 1 « *Et factum est verbum Domini ad me dicens :* v. 2 *fili hominis loquere ad filios populi tui et dices ad eos : terra cum induxero super eam gladium et tulerit populus terrae virum unum de novissimis suis et constituerit eum super se speculatorem,* v. 3 *et ille viderit gladium venientem super terram et cecinerit buccina et annuntiaverit populo,* v. 4 *audiens autem quisquis ille est sonitum buccinae et non se observaverit, veneritque gladius et tulerit eum, sanguis ipsius super caput eius erit;* v. 5 *sonum buccinae audivit et non se observavit, sanguis eius in ipso erit; si autem se custodierit, animam suam salvabit;* v. 6 *quodsi speculator viderit gladium venientem et non insonuerit buccina et populus se non custodierit, veneritque gladius et tulerit de eis animam, ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram* »; — hebr. in v. 2 מקציהם explica de coetu suo, de multitudine, de toto suo numero; unde sensus est: si unum aliquem constituerint custodem; de locutione cf. Gen. 19,4; 47,2 et quae notavit *de Hummelauer* ad Iud. 18,2; quod explicant *de finibus suis* (*Vat. Mar.*) i. e. de regione sua, ad idem recidit; vult propheta efferri in tali occasione cuilibet qui custodis vicem obit incumbere, ut imminens nuntiet periculum; *sanguis super*

caput eius i. e. ipsi imputabitur culpa, ipse sui interitus et caedis est auctor et reus sanguinis. Ex qua similitudine duo colliguntur documenta populo utilissima : cum toties moniti non obsecuti fuerint, ipsos sibi esse ruinae et captivitatis architectos, unde simul exemplo illo ad suam confusionem discant, quam stulte egerint; neque minus elucet, cur prophetae omni verborum pondere usi sint neque acerbis reprehensionibus pepercerint; id enim eos fecisse genuino amore populi eiusque salutis permotos allata comparatione illustratur, qua simul declaratur, quali crimini sese reddidissent obnoxios, si ab increpatione abstinuissent. Valet quippe de iis quoque : vae mihi, si non evangelizavero; cf. Is. 56,10. Unde si cui fortasse quandoque durior videatur sermo Ezechielis acerbiorque in reprehendendo (16,15 seq. 23,3 seq.), ex hoc loco colligat, cur adeo vehementer buccina insonuerit.

Idem munus vati in posterum quoque incumbere, ita ut impiis inter exsules iram et iudicia Dei denuntiet, exempli allati applicatione et declaratione manifestatur v. 7 « *et tu fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel; audiens ergo ex ore meo sermonem annuntiabis eis ex me;* v. 8 *si me dicente ad impium : impie, morte morieris! non fueris locutus ut se custodiat impius a via sua, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram;* v. 9 *si autem annuntiante te ad impium ut a viis suis convertatur, non fuerit conversus a via sua, ipse in iniquitate sua morietur; porro tu animam tuam liberasti* »; — vide ad 3,17-19, ubi fere ad verbum eadem vati iniunguntur; « et tu, inquit, fili hominis, non a terra et a populo terrae, ut supra dixi, sed a me constitutus es speculator domui Israel » (*S. Hier.*); apte quoque monet *S. Hier.* verbis istis doceri posse iniquum a sua impietate salvari acta poenitentia, et ostendi non praedici ruinam ut veniat, sed ne veniat, « nec quia Deus loquitur necesse est fieri quod minatur, sed ideo comminatur, ut convertatur ad poenitentiam cui minatur et non fiat quod futurum est si verba Domini contemnantur ». Esse ergo vaticinia quae quamvis absolute proponantur tamen conditioni tacitae substent, ex hisce quoque efficitur; cf. ad Ioel 2,1. 19. Ion. 3,10. Hab. 2,3. Zach. 6,15; 8,17. Nota quam apte describatur munus prophetae officio speculatoris et custodis; cf. Ier. 6,17. Quomodo istis erudiantur ii quibus cura pastoralis in Ecclesia concredita est, pluribus prosequuntur *Pint. Lap. Est.*, iis scil. incumbere, ut diligentissime circumspiciant, ne errores, peccata grassentur; dein ut pericula cognita ne silentio premant, sed audacter et intrepide nuntient secundum illud : clama, ne cesses, annuntia populo meo scelera eorum (Is. 58, 1).

Qui ante ultimum excidium urbis Ierusalem regnique superba con-

fidentia abundaverant nec minis prophetarum fidem adhibuerant, iam ruina facta rebusque prostratis, uti fieri solet, subito a pristina securitate in desperationem omni spe abiecta inciderunt. Unde praeprimis id vati agendum erat, ut animos erigeret eosque doceret, quomodo etsi regnum pro tempore perierit, singulis tamen salutis felicitatisque opportunitas a Domino offerretur. Quare vates in subsequentibus maximopere effert suarum quemque actionum fructum esse percepturum. Primo autem exhibet ad quam animorum deiectionem communibus miseriis adacti pervenerint v. 10 « *tu ergo fili hominis dic ad domum Israel : sic locuti estis dicentes : iniquitates nostrae et peccata nostra super nos sunt et in ipsis nos tabescimus; quomodo ergo vivere poterimus* »? — i. e. culpis nostris et Dei ira oppressi iacemus; dissolvimur, quasi cadavera putrescimus; fatentur id sibi revera evenisse quod Moyses iam comminatus erat Lev. 26, 39 et quod vates frustra antea monuerat 4, 17 et 24, 23. Simul autem sua interrogatione demonstrant res ita esse prostratas, ut humano modo ablata sit omnis spes instaurationis. Verum in hac communi calamitate Deus suae providentiae ac benignitatis consilium denuo aperit, uti illud 18,23. 32 aperuit v. 11 « *dic ad eos : vivo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua et vivat; convertimini, convertimini a viis vestris pessimis! et quare moriemini domus Israel* »? — ad quid divino consilio calamitates inflictae dirigantur, propheta sollemniter declarare iubetur : vult Deus impium ab iniquitate revocare, ut vera coram Deo vita vivat; non sunt poenae solum vindicativae quibus impius in sua impietate morte misera obruatur. Quodsi Deus ne temporalem quidem mortem impii vult, quanto minus aeternam eius ruinam? Et quam vehementi desiderio salutem omnium Deus exoptet, perbene adumbratur repetita illa adhortatione et interrogatione affectu et commiseratione plena : quid tandem est cur vos ipsos perdere velitis? quare cum salvi esse possitis ruinam et mortem vobis accersitis? quo loquendi modo rem alteri vehementer dissuadere eumque solemus obsecrare, ne in proposito suo pergens seipsum perdat, cum omnis adsit opportunitas prosperitatis et salutis. Ceterum ad rem monet *S. Hier.* : « vita et mors in hoc loco non haec significatur qua omnes communi cum bestiis lege naturae vel vivimus vel morte dissolvimur, sed illa de qua scriptum est : placebo Domino in regione viventium ».

Ulterius Deus qua norma utatur explicat : ne scil. iusti propter vitam diu in pietate transactam quidquam praesumant, sed ut timore quodam salutari contineantur, peccatores autem spe blanda ad poenitentiam alliciantur v. 12 « *tu itaque fili hominis dic ad filios populi tui : iustitia iusti non liberabit eum in quacumque die peccaverit, et impie-*

tas impii non nocebit ei in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua; et iustus non poterit vivere in iustitia sua, in quacumque die peccaverit »; — cf. 3,20; 18,24; docetur qua ratione sors uniuscuiusque a communi reipublicae nationisque fato secernatur Deo gubernante, ita ut singuli non parentum maiorumque peccata portent, sicut falso saepe sibi persuadebant 18,1, sed sibi ipsi sint auctores vel boni vel mali. Quae persuasio pro exsulibus qui medii inter idololatras scelestos degebant maxime erat necessaria, ut a vitiorum illecebris sibi caverent vel saltem ab iis quantocius resipiscerent. Quare maiore etiam pondere adhortatio fit in utramque partem; serio monetur iustus, ne nimium sibi confidat v. 13 « *etiam si dixero iusto quod vita vivat, et confisus in iustitia sua fecerit iniquitatem, omnes iustitiae eius oblivioni tradentur et in iniquitate sua quam operatus est, in ipsa morietur* »; — nisi scil. resipiscens opportune poenitentiam egerit; eo enim quod a iustitia excidit, iam ad ordinem refertur impiorum; unde spes veniae et misericordiae quae impio offertur v. 11. 12, etiam ei aperitur. Id quod ex sequentibus quoque patet, quibus peccatori modus et via salutis demonstratur v. 14 « *si autem dixero impio: morte morieris! et egerit poenitentiam a peccato suo feceritque iudicium et iustitiam* v. 15 *et pignus restituerit ille impius rapinamque reddiderit, in mandatis vitae ambulaverit nec fecerit quidquam iniustum, vita vivet et non morietur;* v. 16 *omnia peccata eius quae peccavit non imputabuntur ei; iudicium et iustitiam fecit, vita vivet* »! — ex ubertate sermonis et repetitis assertionibus optime elucet magnum illud desiderium quo divina bonitas tenetur, ne blandae invitationi surdas aures peccatores offerant. Iterum docemur quo sensu minae propheticae saepe sint explicandae; ipsa conversio ita describitur ut in aversione efficaci a malo et in exercitio virtutum, *in mandatis vitae* quibus vita regi debet et per quae ad veram pervenitur vitam, consistat; ceterum vide 18,21. 22.

Qua igitur norma sortes singulorum dirigantur, declaratum est. Ex hoc autem agendi modo quem Deus observat pariter consequitur etiam promissiones illas toti populo regnoque propositas certis conditionibus pietatis et obedientiae a populo praestandae fuisse alligatas. Unde Deus murmurantibus de communi regni calamitate eiusque ruinam Deo exprobrantibus occurrit iustissima reprehensione; v. 17 « *et dixerunt filii populi tui: non est aequi ponderis via Domini! et ipsorum via iniusta est* »; — aegre ferunt exitium a Chaldaeis illatum, expostulant cum Deo; at Deus exprobrationem iis regerit asserens eos summopere iniuste agere, se vero iustissime, cum unumquemque ex operum norma iudicet; unde aequitatem iudicii denuo ad oculum

proponit v. 18 « *cum enim recesserit iustus a iustitia sua feceritque iniquitates, morietur in eis* » ; — id priore loco effertur, cum in adversitatibus populo illatis haec lex maximopere exprimatur et os murmurantium eo documento potissimum occludatur; sed simul emergendi spes ostenditur et via v. 19 « *et cum recesserit impius ab impietate sua feceritque iudicium et iustitiam, vivet in eis;* v. 20 *et dicitis : non est recta via Domini? unumquemque iuxta vias suas iudicabo de vobis, domus Israel* »! — quid aequius quam ut suam quisque sibi fortunam efformare possit? Ceterum vide de eodem argumento 18,25. 27. 29. 30. Habent itaque quibus in exsilio se solentur et norunt qua via ad veram coram Deo felicitatem et beatitatem pertingere possint.

b) **Contra eos qui in Palaestina remanserant 33, 21-33.**

Nuntio de expugnatione urbis accepto vates contra falsam fiduciam eorum loquitur qui in Palaestina rerum in melius instaurationem brevi fore sibi persuadebant. Eiusmodi exspectationem etiam inter exsules haud defuisse, iam ex Ier. 29,15 seq. didicimus; ea spe inflati Deum vindicem in excidio regni agnoscere renuebant et a poenitentia et dolore criminum mentes gerebant longe remotas; quare in aperto est quantopere eiusmodi exspectatio nociva fuerit ne id obtineretur quod Deo disponente ex castigatione colligendum erat. Praeterea ea spes coniuncta erat cum magna animorum elatione, qua suis se viribus ac meritis res instaurare posse ac velle iactabant, uti praeprimis ex v. 24 manifestum fit. Quare satis superque aderat cur vates tales animorum sensus talemque spem vehementer oppugnaret ostenderetque quam frivole et inaniter eiusmodi consilia mentibus volverent. — Prius tempus designatur v. 21 « *Et factum est in duodecimo anno, in decimo mense in quinta mensis transmigrationis nostrae venit ad me qui fugerat de Ierusalem dicens : vastata est civitas* »; — tempus computatur ab abductione Iechoniae; vide ad 1,2. Cum urbs capta sit anno undecimo Sedeciae (qui est idem annus undecimus a captivitate Iechoniae) mense quarto nona mensis, tempus fluxit mensium octodecim ab urbe capta, donec nuntius ille ad vatem pervenit. Quod tempus cum facile videri possit nimis longum, ut non antea nuntius sit perlatus, lectio syriaca *anno undecimo* satis commendatur; eam magis congruam esse iam iudicavit *Theod.* et adoptarunt *Calm. Sm. C.;* eundem annum undecimum praebent octo codices hebr. apud *de Rossi*. Alii tamen pro anno duodecimo monent in ea rerum perturbatione et vastitate fieri potuisse, ut nuntius non citius perferretur praesertim in regionem longinquam Mesopotamiae (*Lap. Troch. Keil*). Sed vatem non commo-

ratum esse in dissita regione Mesopotamiae, iam supra ad 1,1 vidimus; at in Babyloniam nuntium non celerius pervenisse plane incredibile videtur. Unde alii non de primo nuntio qui allatus sit agi volunt, sed de aliquo posteriore, quo et templi excidium et regionis universae depopulatio et nex Godoliae et populi fuga suprema in Aegyptum sit descripta (*Calm.*). Sed verba aegre ad id trahuntur. Falso asserit *Hitz.* vatem sibi ipsi contradicere ex 26,1. 2; quam locum vide supra.

Iam vespere antequam nuntius advenit, in vate impleta est promissio ipsi 24,27 data; nam v. 22 « *manus autem Domini facta fuerat ad me vespere antequam veniret qui fugerat; aperuitque os meum donec veniret ad me mane et aperto ore meo non silui amplius* »; — sensit se vates spiritu Dei imbui et impelli et dicendi exhortandique materiam sibi suggeri. Quid ad populum locutus sit, ex subsequentibus partim colligitur, partim autem ex ipso eventu et documentis inde ad populum erudiendum fluentibus conficitur. Nam, ut advertit *S. Hier.* : « tunc enim aperitur os prophetae, quando quod prius nuntiaverat opere monstrarit effectum et tota libertate proclamat, qui nequaquam futura, sed vel praesentia vel transacta demonstrat ».

Unum argumentum ad temporis conditionem accommodatum subiungitur quod sane saepe et in variam partem a propheta vertendum erat v. 23 « *et factum est verbum Domini ad me dicens :* v. 24 *fili hominis, qui habitant in ruinosis his super humum Israel loquentes aiunt : unus erat Abraham et hereditate possedit terram; nos autem multi sumus, nobis data est terra in possessionem* »; — ubique ruinas cernunt sparsas, in ruinis habitant, omnia cernunt vastata — nihilominus spiritus truces et cervices ferreae non sunt fracta. Se iactant filios Abraham, qui proinde ius habeant inviolabile terrae possessionis; immo se cum illo comparare non verentur : si unus ille tantum valuit, ut terram possideret, multo magis nos valebimus, cum simus multi! Quibus verbis eandem mentem cernis expressam quam reprehendit Ieremias 7,4 et quam Iudaei eodem modo tempore Christi prae se tulerunt (Matth. 3,9. Ioan. 8,39). Considerant igitur promissiones Dei quasi sine ulla conditione datas sibique propter cognationem sanguinis cum Abraham iure debitas. Verum Deus dixerat ad Abraham : ambula coram me et esto perfectus, variaque obedientiae documenta ab eo exegerat; illi autem a fide, pietate, obedientia Abraham quam longissime absunt; unde magna cum impudentia ius sibi vindicant ad possidendam terram.

Quam alieni sint ab Abraham moribus, igitur quanta iniuria spem illam foveant ut cognoscant, vates iubetur iis crimina quibus foedan-

tur ob oculos ponere v. 25 « *idcirco dices ad eos : haec dicit Dominus Deus : qui in sanguine comeditis et oculos vestros levatis ad immunditias vestras et sanguinem funditis, numquid terram hereditate possidebitis* »? — omni ex parte peccatores sunt : legem naturalem in decalogo expressam conculcant, dum oculos levant *ad idola* (hebr.), dum caedes committunt; leges alias a Deo per Moysen datas spernunt, cuius rei exemplum affertur ex Lev. 7,26. 27; 19,26; carnem cum sanguine comedere prohibiti erant. In Deum igitur peccant idololatria et contemptu praeceptorum, in homines summam committunt iniustitiam caedibus perpetratis. Insuper v. 26 « *stetistis in gladiis vestris, fecistis abominationes et unusquisque uxorem proximi sui polluit; et terram hereditate possidebitis* »? — stupet scil. nec satis mirari potest tales cum sint sibi promittere terrae possessionem quae solis fidelibus Dei cultoribus erat proposita; *stare in gladiis* est inniti gladiis, in iis vim suam et fiduciam collocare; proin vi et violentia et caedibus uti; accedunt aliae abominationes; cf. 18,2 et demum luxuries carnisque vitia; cf. 18,6.

Tales colonos Deus iam non feret; omnem spem eius instaurationis quam ipsi sibi fingunt et quam invito Deo efficere volunt iis adimit graviter repetens minas et oracula ex 5,12 etc. eaque iuramenti sacramento confirmans utpote certissime eventura v. 27 « *haec dices ad eos : sic dicit Dominus Deus : vivo ego, quia qui in ruinosis habitant gladio cadent, et qui in agro est bestiis tradetur ad devorandum, qui autem in praesidiis et speluncis sunt peste morientur;* v. 28 *et dabo terram in solitudinem et in desertum et deficiet superba fortitudo eius et desolabuntur montes Israel eo quod nullus sit qui per eos transeat* »; — cf. 14,21; in hebr. ad indignationem Dei efficaciter demonstrandam ipse Deus dicitur eum qui in campo versetur tradere bestiis in escam. Cum homine terra quoque affligetur; montes speciali modo nominantur, quia cultu idololatrico et superstitioso praecipue profanati erant; pro tripudio et strepitu lascivientium in solitudinem redigentur ita ut nemo transeat (hebr.). Ad quid autem ultio divina dirigatur, declaratur : ut cesset, vel cessabit superbia roboris eius (hebr.); fastus et pompa deiici debet, superbis enim Deus resistit; habes idem quod toties apud Isaiam in medium profertur (vide Is. 2,12 seq.) et quod praeclare quoque Ieremias exprimit, si ruinis urbis et regni hoc quasi epitaphium inscribit : non glorietur sapiens in sapientia sua et non glorietur fortis in fortitudine sua et non glorietur dives in divitiis suis; sed in hoc glorietur qui gloriatur scire et nosse me (Ier. 9,23. 24). In tali iudicio ultrix Dei potentia non poterit non agnosci; Deum benignum noluerunt demerere et experiri; experientur vindicem v. 29

« *et scient quia ego Dominus, cum dedero terram eorum desolatam et desertam propter universas abominationes suas quas operati sunt* » ; — est *Iahve*, ὁ ὤν, qui quae dixit opere exsequitur; ceterum vide 5,13; 6,14. *Cum* Deus superbiam, contumaciam, arrogantiam hisce insectetur, hae minae et increpationes nullo modo contradicunt iis quae post urbis ruinam apud Ieremiam dicuntur : si quiescentes manseritis in terra hac, aedificabo vos et non destruam, plantabo et non evellam etc. (Ier. 42,10). Eos enim Deus persequi et destruere conatusque eorum irritos reddere dicitur, qui sui confidentia elati terram *possidere* i. e. regnum instaurare et iugo Chaldaeorum se subducere conantur quamvis servire Chaldaeis iussi sint a Domino; vide Ier. 27,6-11. Unde quoque explicatur quo sensu minae adeo in universum et generatim dictae intelligantur oporteat.

Hisce, uti supra dictum est, etiam fallax multorum exsulum fiducia et exspectatio confoditur. Quare oraculum hoc ad exsules quoque pertinet et spectat ad id de quo 24,27 : in die illa aperietur os tuum et loqueris et non silebis ultra, erisque eis in portentum. Sed antequam reliqua de quibus propheta eo tempore locutus est referantur, ei significatur, quomodo populus ea sit auditurus et quo successu ipse munere suo fungi debeat; simili modo et Isaiae (6,9 seq.) et Ieremiae (1,17 etc.) qui futurus sit exitus et eventus revelatur in muneris susceptione; v. 30 « *et tu fili hominis : filii populi tui qui loquuntur de te iuxta muros et in ostiis domorum et dicunt unus ad alterum, vir ad proximum suum loquentes : venite et audiamus quis sit sermo egrediens a Domino* »! — vaticinio de urbis expugnatione et destructione impleto omnino factum est, ut omnium animi maiore studio et attentione ad prophetae vaticinia dirigerentur. Quare de tali eventu et de vate ubique inter se confabulabantur et curiositate audiendique cupiditate illecti cum multa novarum rerum exspectatione ad eum conveniunt frequentiores quam antea (14,1; 20,1). Quam crebro de eo colloquia misceantur et quanta aviditate, declaratur *iuxta muros* etc. « huc scil. convenire solent otiosi rumorumque vulgarium amatores, ut suas ibi fabulas atque animadversiones venditent » (*Calm.*).

Sed istud audiendi studium erit inane; v. 31 « *et veniunt ad te quasi si ingrediatur populus et sedent coram te populus meus et audiunt sermones tuos et non faciunt eos, quia in canticum oris sui vertunt illos et avaritiam suam sequitur cor eorum* » ; — magno numero, quasi concio vel comitia agerentur, ad eum confluent; secundum *vulg.* ex verbis prophetae naenias fingunt, ea de ridiculo iterant, in iocum et ludibria vertunt vel in cantilenas. Hebr. עֲגָבִים varie concipiunt; alii explicant sicut in *vulg.* vocem intelligentes de cantionibus ama-

toriis (*Schr.*); alii : ore suo approbant dicta prophetae (*Sm.*); alii : ea faciunt quae ori suo grata et iucunda sunt, quae sibi placent (*Troch. Keil*). Cum LXX habeant ὅτι ψεῦδος ἐν τῷ στόματι αὐτῶν, *C.* emendandum censet כזבים; quocumque modo acceperis, sensus est : audiunt vatem, sed faciunt quaecumque malae animorum cupiditates suadent. Verba autem prophetae ab iis ad irrisionem et subsannationem trahi, redditur improbabile ex v. 32 « *et es eis quasi carmen musicum quod suavi dulcique sono canitur, et audiunt verba tua et non faciunt ea* »; — i. e. oblectantur cum te audiunt, ac si carmen ac cantionem audirent; solius igitur curiositatis et voluptatis causa veniunt ac si musicum instrumentum pulsaret vates (*Mar. Lap. Men. Tir.*); hebr. *quasi canticum amatorium* quod scil. omnes libenter audiunt, quod recreationis causa canitur; vel sicut cantor suavis, ad quem animi recreandi gratia conveniunt. Ergo prophetam de instauratione futura loquentem libenter audiunt et gloria illius instaurationis delectantur summopere; at quae ab eo postulantur, ut debito modo sese ad illam praeparent, haec praestare nullatenus volunt. Verum etsi pro ipso tempore oracula prophetae parum efficiunt fructus, tamen alacri animo loquatur; nam saltem cognoscetur ex rerum impletione adfuisse prophetam; exsistet itaque testimonium irrefragabile quod Deo futurum sit gloriae maximae; v. 33 « *et cum venerit quod praedictum est (ecce enim venit), tunc scient quod prophetes fuerit inter eos* »; — igitur saltem futura utilitate se soletur propheta animumque concipiat ut munere strenue fungatur, etsi nullum emolumentum exsistere videatur. Hebr. solum : *et cum venerit, ecce veniet, tunc scient* etc.; vaticinio enim quod multos eventus futuros complectitur si opere est impletum quam maxime et efficacissime demonstratur Deum exsistere omniscium, rerum omnium gubernatorem qui sua revelatione se hominibus communicaverit. Quare ad eam probandi vim saepius in sacris litteris provocatur; cf. Is. 34, 16; 41,22 seq. 43,9-13; 45,21; 46,9-13; 48,5. 16. Ier. 28,9. 4 Reg. 1,3 etc.

2. *Promissio de bono pastore* 34, 1-31.

Arg. — Vaticinia de instauratione ita exordiri iubetur vates, ut prius describat per quos populus in tantam sit prolapsus calamitatem, scil. per malos pastores; quare iis vae annuntiatur (34,1-10); Deus autem miseratus gregem, populum suum, dispersum denuo magna cura congregabit, in optima ducet pascua, ab iniuriis tutabitur (34,11-22); insuper unum pastorem optimum, David, gregi constituet, quo gregem pascente omnibus bonis pacis, felicitatis, securitatis abundabunt

et simul apud alias gentes utpote electus Dei populus honore et gloria fruentur 34,23-31).

a) **Pastores mali gregem perdiderunt 34, 1-10.**

Postquam nuntius allatus est : vastata est civitas (33,21), quo omnium animi maxime commovebantur, e re erat ad consilia divina de instauratione enucleanda oculos reflectere ad causas ruinae. Ita enim et cognosci potuit debuitque non ab hominibus, sed a Deo casum illum esse inflictum et causis malorum agnitis primus quasi gressus fit ad remedia efficaciter applicanda; quae duo ad populi resipiscentiam et emendationem magnopere valere extra controversiam ponitur. Unde apte infertur oraculum de malis pastoribus qui et olim gregem perdiderint et nunc etiam eum affligant et vexent (cf. v. 10. 17); v. 1 « *Et factum est verbum Domini ad me dicens :* v. 2 *fili hominis propheta de pastoribus Israel, propheta et dices pastoribus : haec dicit Dominus Deus : vae pastoribus Israel qui pascebant semetipsos! nonne greges a pastoribus pascuntur* »? — iam *S. Hier.* adnotat post urbem captam usque ad annum vigesimum quintum (40,1) captivitatis Iechoniae nullum tempus assignari; unde intelligere debeamus haec quae tredecim annis legantur diversis esse dicta temporibus. Nobis igitur summa eorum proponitur quae per illud tempus propheta docuit. — Pascere est regere, gubernare, dominari; cf. 2 Reg. 5,2 : tu *pasces* populum meum Israel et tu eris *dux* (נָגִיד) super Israel; et 7,7. Mich. 5,4; 7,14. Unde reges praeprimis vocantur pastores; vide ad Ier. 2,8; 23, 1. 2; eodem modo principes vel magnates utpote potestatem quandam regendi et dominandi exercentes. Hoc nostro loco non de solis dici regibus, iam ex eo elucet quia regno destructo tamen a pastoribus male habentur, a quibus se liberaturum eos esse Dominus spondet; patet quoque eo quia non soli reges populum perdiderunt et vexaverunt; quare a vero non aberrabimus si cum plerisque (*S. Ephr. Hier. Theod. Mald. Lap. Men. Tir. Calm. Loch, Troch. Schr.*) omnes eos intelligimus qui auctoritate in populum valebant, uti principes, seniores, sacerdotes, pseudoprophetae, qui omnes, ut populum aliqua ratione gubernabant et dirigebant, ita ad eius perniciem quasi ex conspiratione multum conferebant. Hos omnes Dominus accusat quod suae utilitati sordide ac turpiter intenti nullam gregis curam habuerint, cum tamen pastor vi nominis ad id sit constitutus, ut gregem pascat, curet, foveat. Cum itaque plane officio defuerint, vae illis dicitur.

Quomodo seipsos paverint per singula proponitur v. 3 « *lac comedebatis et lanis operiebamini et quod crassum erat occidebatis; gregem*

autem meum non pascebatis »; — textus *mas.* fert חֵלֶב pingue; sed legendum est cum LXX et *S. Hier.* חָלָב *lac;* nam cum de grege sermo sit, inter ea quae grex praebet commoda lac non poterit omitti et de carnibus mentio fit in altero membro (cf. *Mald. Lap.*); ita in ipsa enumeratione aptus adest progressus : ea adhibent in suum commodum quae grex praebet per se, lac et lanam; demum ipsa pecora si saginata sunt mactant; neque tamen tot emolumentis inducti curam gregi impendunt. Simili modo Michaeas principes Iacob et duces Israel describit : qui comederunt carnem populi mei et pellem eorum desuper excoriaverunt (3,3); cf. Zach. 11,16. Lac aliqui explicant de decimis, primitiis, oblationibus quae fiebant sacerdotibus, lanam de tributis et vectigalibus quae principibus debebantur; demum in mactatione cernunt caedes, oppressiones in iudiciis ad bona civium capienda (cf. *Mald. Lap. Men. Tir. Calm.*); iis utique modis et vario servitutis genere populus vexabatur; vide Ier. 22,13.17. Mich. 3,5. 10.

Ultimum membrum porro declaratur v. 4 « *quod infirmum fuit non consolidastis et quod aegrotum non sanastis, quod confractum est non alligastis et quod abiectum est non reduxistis et quod perierat non quaesistis, sed cum austeritate imperabatis eis et cum potentia* »! — hisce manifestum fit nomine pastorum h. l. sacerdotes quoque intelligi; nam actus sanandi, alligandi, reducendi, quaerendi ad doctrinam et mores vel ad animorum morbos et aegritudines et vulnera referri quis negare poterit? haec autem ab iis erant curanda, qui scientiam legis custodire et populum docere tenebantur; vide Mal. 2,7 et Ier. 2,8. Omnibus officiis defuerunt quae iis incumbebant erga debiles, aegras, vulneratas oves vel eas quae a grege erraverunt aut terrore aut casu dispersae et abactae. Singula ad curam pastoralem bene applicat *Est.*: « si qui aberraverint a via Dei, requirendi sunt et reducendi; si qui gravibus peccatis tamquam vulneribus saucia vel collisa gerunt membra, alligandi i. e. spiritualibus fomentis curandi sunt; si qui propter infirmitatem mentis terrena sapiunt, solido cibo confortandi sunt et ad coelestia erigendi... sed nihil horum praestat falsus pastor, sed tantum pascit semetipsum i. e. iura et commoda pastoris diligenter prosequitur, lac delicatae sustentationis comedit, et lanis honorum operitur, sed de iis quae dicta sunt circa oves parum curat » ; similia quoque fusius exposita apud *Lap.* invenies. Pro cura illi imperium exercent austerum, durum, crudele; locutio hebr. בְּפָרֶךְ Ex. 1,13 dicitur de oppressione quam Aegyptii in filios Israel exercebant; vide quoque Lev. 25,43. 46.

Quid ex gravissimo pastorum crimine secutum sit, imagine gregis dispersi, per avia et devia oberrantis, a bestiis rapacibus discerpti ex-

plicatur v. 5 « *et dispersae sunt oves meae eo quod non esset pastor et factae sunt in devorationem omnium bestiarum agri et dispersae sunt;* v. 6 *erraverunt greges mei in cunctis montibus et in universo colle excelso et super omnem faciem terrae dispersi sunt greges mei et non erat qui requireret, non erat, inquam qui requireret* »! — non erant pastores ii qui esse debebant; quare populus variis bellis vexabatur ab extraneis, multi in servitutem vendebantur, occidebantur (cf. Ioel 3,2. 3. Am. 1,6. 9. 13; ita iam olim) et demum regno israelitico et iudaico destructo populus partim abductus partim dispersus revera similis erat gregi per colles et montes oberranti. Neminem esse qui gregis curam habuerit vel habeat, intellige dictum de iis qui iure nativo, uti reges, principes, sacerdotes, vel vi muneris a familia vel tribu collati, uti seniores, publicam salutem promovere et mala impedire tenebantur; aderant utique prophetae a Deo electi et missi, qui certissime pro viribus populo prospiciebant.

Huius autem sceleris poenas Deus repetit a pastoribus et gregem miserum miseratus ab eorum vexationibus servabit v. 7 « *propterea pastores audite verbum Domini:* v. 8 *vivo ego dicit Dominus Deus, quia pro eo quod facti sunt greges mei in rapinam et oves meae in devorationem omnium bestiarum agri, eo quod non esset pastor, neque enim quaesierunt pastores mei gregem meum, sed pascebant pastores semetipsos et greges meos non pascebant,* — v. 9 *propterea pastores audite verbum Domini :* v. 10 *haec dicit Dominus Deus : ecce ego ipse super pastores, requiram gregem meum de manu eorum et cessare faciam eos ut ultra non pascant gregem, nec pascant amplius pastores semetipsos, et liberabo gregem meum de ore eorum et non erit ultra eis in escam* »; — illud *mei* (pastores) non legitur apud LXX, *Syr. Chald.* neque in versione *S. Hier.;* sane melius omittitur, cum perversos illos pastores Dominus non allocutione tam suavi quae commiserationem prae se ferre solet et amorem compellasse censendus sit. Ad v. 10 *S. Hier.* bene scribit in commentario : « ecce ego ipse ad pastores veniam et requiram »; ita in hebr. *ego ad pastores et requiram;* vide 13,8; 26,3; severam ab iis exiget rationem officii turpissime neglecti; de locutione vide 33,6 et compara quae Iacob ad Laban conqueritur : quidquid furto peribat a me exigebas (Gen. 31,39); munere eos privat; atque revera domus et posteri David iam non exercebant regiam dignitatem; familia quoque Aaron tempore messiano iure suo ac munere est privata; unde abolitionem fore veteris rerum conditionis vates indicat. Adde quod multi principes, magnates, pseudovates tempore obsidionis et expugnationis interempti sunt et alii in regione babylonica et in exsilio iam non priore fruebantur in contribules auctoritate.

Dicitur grex liberandus ab eorum ore, ne scil. avidis eorum faucibus devoretur (*S. Hier.*) ex v. 3. Modo loquendi instaurationem a solo Deo fieri posse satis declaratur.

b) **Dominus ipse servabit gregem 34, 11-22.**

Cum Dominus ipse sit rex Israel per eminentiam, proinde cum regere idem sit quod pascere, etiam pastor populi supremus, ipse quoque praestare se velle spondet quae a pastoribus vicariis neglecta fuerant. Id consequitur ex institutione theocratiae, ex notione foederis sempiterni et regni Dei quod in electione populi constitutum erat. Quare prophetae post ruinam constanter annuntiant instaurationem; vide quae dixi ad Os. 1,10. Am. 9,11. Mich. 4,1. Is. 40,1 etc.; eodem modo Ezechiel quoque et alibi et hoc loco v. 11 « *Quia haec dicit Dominus Deus : ecce ego ipse requiram oves meas et visitabo eas* » ! — hebr. cum epitasi : *ecce ego, ego* (scil. ipse veniam) *et requiram gregem meum* eiusque curam geram sedulam, eum *perquiram, lustrabo,* considerabo quae sit eius conditio. Cum grex sit dispersus, prima cura erit ut denuo congregetur; v. 12 « *sicut visitat pastor gregem suum in die quando fuerit in medio ovium suarum dissipatarum, sic visitabo oves meas et liberabo eas de omnibus locis in quibus dispersae fuerant in die nubis et caliginis* »; — בִּקֵּר, uti v. 11, diligenter inspicere, sedulo circumspicere et animum advertere, ergo bene gregi se provisurum spondet; qua in re primum est, ut eas eruat et salvet e regionibus in quas dispersae fuerant; nubes et caligo rerum adversarum et ruinae imaginem prae se ferunt; vide 30,3. Ioel 2,2. Am. 5,18; 8,9. Soph. 1,15. Talis dies erat dies excidii regni. *S. Hier.* et *Theod.* iungunt : eruet eos in die nubis et caliginis; id quod *Theod.* accipit de inscitiae tenebris per orbem diffusis.

Quomodo se regem et pastorem sit praestaturus, reipsa declarat v. 13 « *et educam eas de populis et congregabo eas de terris et inducam eas in terram suam et pascam eas in montibus Israel, in rivis et in cunctis sedibus terrae* »; — hebr. *in vallibus et in cunctis habitationibus terrae;* primus ad instaurationem gradus est reditus in terram foederis, in terram palaestinensem; quare sollemne est apud prophetas, uti exsilium annuntiant, ita solutionem exsilii et reditum in terram Domini praedicere; vide Os. 2,15. Mich. 2,12; 4,10; et praeprimis Is. 40,3. 11 quo loco eadem imagine pastoris Dominus se populum reducturum spondet. Et quam bonorum abundantiam paratus sit praebere reducibus, dummodo sub cura et manu Domini pastoris manere fideliter voluerint, latius explicat v. 14 « *in pascuis uberrimis pascam eas*

et in montibus excelsis Israel erunt pascua earum; ibi requiescent in herbis virentibus et in pascuis pinguibus pascentur super montes Israel; v. 15 *ego pascam oves meas et ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus* »; — in imagine conditio continetur, cui bonorum, pacis, securitatis abundantia adnectitur, scil. ut reduces revera sint Deo obedientes, eius ductum vocemque sequentes, brevi, ut sint et maneant grex Domini; quo magis et singuli pro sua parte et totus populus hanc indolem gregis vestigia pastoris vocemque sequentis induerint, eo magis bonorum quae pastor habet et largiri vult erunt participes. Sed pro hominum libero arbitrio variisque moribus non omnes aequali ratione obsecuturos esse, immo multos obedientiam negaturos quis in dubium vocabit? Unde in eiusmodi oraculis, etiam ex norma supra 33,13 promulgata, potius edicitur, quid Deus ex sua parte paratus sit dare neque adeo effertur omnem promissionum copiam etiam revera in opus iri deductum. De qua re vide quae dixi ad Zach. 6,15 : erit autem hoc, si auditu audieritis vocem Domini (Comment. in Proph. min. II p. 293 et praesertim p. 337).

Dominus autem pro sua parte omnia optimi pastoris munera maxima sollicitudine obibit; igitur quae neglexerunt alii, ipse praestabit omnibus qui se eius curae non subtrahent; v. 16 « *quod perierat requiram et quod abiectum erat reducam et quod confractum fuerat alligabo et quod infirmum fuerat consolidabo et quod pingue et forte custodiam et pascam illas in iudicio* »; — oves quae errantes interitui proximae sunt quaeret; dispersas reducet; vulneratis curam adhibebit, aegras et infirmas confortabit; sanas et robustas tutabitur, ne a bestiis rapacibus invadantur. Ita universum gregem eo modo pascet quo convenit singulis, ergo *in iudicio* i. e. prout rectum est. De singulis iudica ex oppositione ad v. 4; ex qua oppositione etiam consequitur, non esse legendum cum textu *mas.* et *Chald.* : pingue et forte *perdam* אשמיד, sed cum LXX, *Syro, S. Hier.* et duobus codd. hebr. (apud *de Rossi*) אשמור φυλάξω, *custodiam;* ita enim cura describitur quae pro sua cuique conditione tribuenda est. Quam lectionem *Houbig. C.* merito praeferunt; qui textum *mas.* retinent (*Troch. Schr. Sm. Keil*), iam hic ea quae in v. 18. 19 sequuntur praeoccupari dicunt et *pingue* et similia plerumque sensu usurpari malo; at id non ubique obtinet; ceterum LXX solum habent τὸ ἰσχυρόν; dein nemo dixerit in grege esse ad vituperium referendum pecus pingue. Quare lectio graeca et latina omnibus numeris est apta.

Illud *in iudicio,* secundum ius, prout rectum est, iam indicat pastorem quoque oves suas tuiturum esse efficaciter neque si qua adsint pecora ferocia et insolentia ea fore impunita; v. 17 « *vos autem greges*

mei, haec dicit Dominus Deus : ecce ego iudico inter pecus et pecus arietum et hircorum »! — hebr. *inter arietes et hircos;* suos tuetur contra oppressores v. 18 « *nonne satis vobis erat pascua bona depasci? insuper et reliquias pascuarum vestrarum conculcastis pedibus vestris, et cum purissimam aquam biberetis, reliquam pedibus vestris turbabatis;* v. 19 *et oves meae his quae conculcata pedibus vestris fuerant pascebantur, et quae pedes vestri turbaverant haec bibebant* »! — nomine arietum et hircorum eos in populo designat qui robore ac potentia abutentes alios vexant et opprimunt. Ii non solum optima quaeque sibi praeripiunt, verum etiam vitam aliorum in se iam satis arctam et miseram reddebant miseriorem et molestiorem; id declaratur exemplo eorum qui quae ipsi consumere non possunt commaculant et perdunt, ita ut aliis ad usum victumque non relinquantur nisi res corruptae. Hebr. potius verte tempore praesenti : estne parum vobis optima pascua depasci et aquam bibere purissimam? quia reliqua insuper conculcatis pedibus, ita ut oves solum conculcata comedere possint. Quo loquendi genere (imperf. in hebr.) conditio designatur perdurans; uti olim erat, ita nunc quoque evenit. Volunt aliqui haec non spectare ad pastores quoque, quia sermo fiat de solo grege et in ipso grege designentur qui sint insolentes et violenti arietum instar et hircorum quippe qui robustiores primi ad pabulum et aquam aditum sibi faciant et modo turbulento omnia contaminent. Sed cum integer populus sit et nominetur grex Domini, etiam reges, principes, sacerdotes pertinent ad gregem Domini; hunc autem h. l. Deus compellat; proinde in robustis illis ac divitibus qui alios insolenter opprimunt pari modo mali illi pastores etiam describuntur; cf. v. 21.

Deus autem vexati gregis misericordia tactus auxilium feret oppressis v. 20 « *propterea haec dicit Dominus Deus ad vos : ecce ego ipse iudico inter pecus pingue et macilentum,* v. 21 *pro eo quod lateribus et humeris impingebatis et cornibus vestris ventilabatis omnia infirma pecora, donec dispergerentur foras,* v. 22 *salvabo gregem meum et non erit ultra in rapinam et iudicabo inter pecus et pecus* »; — hebr. verte pariter tempore praesenti : quia *truditis* vel impellitis et cornibus impetitis, donec expuleritis infirma vel disperseritis etc.; hic utique *pingue* accipitur sensu malo pro insolenti. In expulsione vel dispersione certe connotantur mali pastores, qui ruinae auctores v. 5. 8 declarati sunt. Clarissime quoque h. l. indicatur in ipsa liberatione populi fore iudicium; proin non omnes promiscue iri liberatum, verum potius fore tempus quo in ipso populo mali bonique secernantur, illi castigentur et reiiciantur a Domino, hi bonis afficiantur Dei custodia securi. Huic ex aequo respondet quod magna illa liberatio

messianica quandoque ita describitur ut simul cum ea iudicium et separatio malorum a bonis impiorumque interitus adesse perhibeatur; ita idem tempus vocatur annus placabilis Domino et dies ultionis, annus redemptionis et dies ultionis (Is. 61,2; 63,4; vide quae notavi ad h. l. et ad Is. 66,15. 16). Haec autem plane congruere cum Mal. 3,2. 3 et cum ventilabro in manu Messiae et cum securi iam ad radicem arborum posita Matth. 3,10. 12, explicatione non indiget; sed nota nexum ac consonantiam prophetarum et evangelii.

c) **Messias pastor bonus 34, 23-31.**

Reductione in terram palaestinensem Dei ope facta, de qua v. 13 seq. sermo est institutus, Deus etiam suo tempore adimplebit promissionem iam toties datam de rege messiano. Cum reditus ex exsilio sit praeambulum quoddam instaurationis messianae, prophetae haec duo arcte inter se coniungere solent; vide Os. 2,15. 19. Am. 9,9. 11. Is. 52,11. 13. Ier. 3,14. 16; 23,3. 5; 31,21. 22 etc.; idem cernitur apud Ezechielem 11,17. 19 et modo valde insigni hoc loco v. 23 « *Et suscitabo super eas pastorem unum qui pascat eas, servum meum David; ipse pascet eas et ipse eis erit in pastorem* »; — intelligi regem Messiam interpretes omnes, etiam rationalistae, aperte agnoscunt. Ille itaque indicatur per quem Dominus Deus regnum suum in terris stabilire vult; mittetur a Domino, sicut Christus se a Patre missum perhibet. Qua ratione singulari suscitandus sit et constituendus a Patre, impletione in Christo facta manifestum redditur. Constituitur *unus*, sine quo salus promissa attingi nequeat et in quo solo omnis spes reponatur; *pastor* autem appellatur, ut indoles regni eius et dominationis exprimatur; indoles scil. plena suavitatis, mansuetudinis, sollicitudinis et curae maximae, qua suis prospiciat continuo, optima largiatur, eos defendat et tueatur; brevi omnia illa perfectissime praestet quae boni pastoris esse Dominus ipse antea v. 11-16 affirmaverat. Illum autem plenissime munere tali functurum esse triplici assertione confirmatur quo quid gravius ac sollemnius postuletur nemo dixerit.

Vocatur autem pastor ille *David,* quia Davidi promissio data est throni aeterni, quia ex Davidis familia rex messianus oriturus erat; vide *de Hummelauer* in 2 Reg. 7, 14 seq.; simul illa nominis communione David regem typum esse Messiae haud obscure innuitur. Ceterum nomen hoc Messiae imponi ab Ezechiele nemo mirabitur qui praeter 2 Reg. 7,14 etiam alia oracula ante vatem nostrum data animo perlustraverit. Iam Os. 3,5 rex Messias eo appellatur nomine; Am. 9, 11 tabernaculum David quod decidit suscitatur tempore messiano; Is.

9,7 Messias dicitur sessurus super solium David et super regnum eius — unde Luc. 1,32 — Is. 11,1 de radice Iesse, patris David, surget surculus, rex Messias; Mich. 5,2 dominator exibit ad Israel liberandum ex Bethlehem, uti olim David; Ier. 23,5 Davidi suscitatum iri promittitur germen iustum, quae appellatio *germinis* ex ultimis verbis David regis est derivata (2 Reg.23,5 hebr.) et demum Ier. 30,9 eodem plane modo rex Messias designatur : servient Domino Deo suo et David regi suo quem suscitabo eis; vide quae dixi ad hos locos in comment. Proph. min. Is. et Ier.; praeterea adverte, quam praeclare hoc oraculo apud Ezechielem ea ulterius illustrentur et ad certum sensum determinentur, quae legimus 19,14 et praesertim 21,25-27. Et priore quidem loco cum dicatur iam non fore sceptrum dominantium, nunc quando et cui sceptrum illud sit restituendum declaratur; altero vero loco cum legamus regnum et coronam iri prostratum, donec is venturus sit qui eius habeat ius et cui Dominus sit revera traditurus, nostro hoc oraculo heres et successor Davidis ipso nomine effertur et quale futurum sit regnum eius, pastoris appellatione determinatur.

Porro indolem regni eius esse spiritualem qua ad omnem sanctitatem homines informentur, sequentibus abunde patefit. Et primo quidem v. 24 « *ego autem Dominus ero eis in Deum et servus meus David princeps in medio eorum; ego Dominus locutus sum* »; — Deus dicit se fore illis *in Deum* i. e. in protectorem, in fontem et largitorem omnium bonorum, qui palam coram omnibus de tali populo tamquam peculio suo ac proprietate glorietur. Unde hisce verbis uti a parte Dei effusio bonorum divinorum in suos designatur, ita ex parte hominum veram adesse pietatem et sanctitatem affirmatur vel eiusmodi sanctitatem effici intelligitur, quia *in Deum esse* semper benevolentiam Dei et eius familiaritatem dicit in eos quorum Deum se esse profitetur. Hanc autem conditionem felicissimam habere auctorem Messiam et eius esse opus, altero versus membro edicitur, quo simul illud Christi verbum praeparatur : ecce ego vobiscum sum omnibus diebus. Uti ratione humanae propaginis et naturae David vocatur, ita etiam *servus meus,* quae appellatio est sat usitata pro Davide et qua etiam apud Isaiam tamquam servus Iahve sollemniter est designatus (cf. comment. in Is. II p. 325 seq.). Ad hunc locum Christus aperte alludit, cum se dicit bonum pastorem : ἐγώ εἰμι ὁ ποιμὴν ὁ καλός Ioan. 10,14, ille scil. pastor bonus iam olim descriptus ac nominatus in oppositione ad malos et mercenarios quos ibidem antea perstrinxit modo ad Ez. 34,3. 4 accommodato Ioan. 10,10 seq. — Ex qua appellatione pastoris *Mald.* contra sectarios rite infert eos non magis posse colligere neminem in Ecclesia praeter Christum esse sacerdotem (id quod libenter ex Hebr.

7,23. 24 deducunt), quam ex hoc loco neminem in Ecclesia praeter ipsum esse pastorem. Demum ultimo versus membro enuntiatio haec sigillo divino confirmatur; quo loquendi modo indicatur rem de qua agatur esse omnino in opus deducendam reique summam non dependere ab hominum arbitrio neque ullo conatu posse impediri; proin oraculum dari ab omni conditione solutum, absolutum; uti alibi eodem sensu zelus Domini quasi pro pignore ponitur (vide ad Is. 9,7). Ea igitur vel simili loquendi formula habemus quo vaticinium absolute datum distinguamus ab aliis quae tacita quadam conditione proponuntur (cf. 33,13. 14).

Secundo quae bona sit Deus largiturus magis explicatur v. 25 « *et faciam cum eis pactum pacis et cessare faciam bestias pessimas de terra, et qui habitant in deserto securi dormient in saltibus* »; — pax summa quaedam est omnium bonorum et praesertim de opere et tempore Messiae dicitur; vide v. g. Mich. 5,5 : et erit iste (dominator Israel, Messias) pax; Agg. 2,10; quare Messias etiam princeps pacis compellatur et in eius imperio non erit finis pacis (Is. 9,6. 7. Ps. 71,3. 7) eiusque regnum tempori Salomonis, regis pacifici comparatur Mich. 4,4. Illam autem pacem, reconciliationem cum Deo et veram animorum felicitatem datum iri modo stabili et ordine quodam et instituto perpetuo, in pacto significatur; illustratur autem pax eo quod hostium incursus a Deo reprimi et impediri dicuntur et summa quaedam securitas promittitur; utrumque gregis similitudine retenta exprimitur: mediis in desertis silvisque secure accubabunt; cf. Lev. 26,6. Insuper largissima Dei benedictione potientur v. 26 « *et ponam eos in circuitu collis mei benedictionem et deducam imbrem in tempore suo; pluviae benedictionis erunt* »; — collis Dei est Sion mons, quo scil. centrum theocratiae constituitur et ubi Deus ratione peculiari habitare perhibetur; unde indicatur benedictionem illam tribui iis ex sede et centro theocratiae, proinde iis quoque solis qui animo et voluntate ad hanc theocratiam pertineant; quare rex Messias etiam super Sion montem dicitur esse dominator constitutus et ex Sion emittere virgam virtutis (Ps. 2,6; 109,2) et teste Ioele 2,32 et 3,17 in monte Sion erit salvatio. Ubertas benedictionis designatur eo quod non solum benedicti compellantur, sed *benedictio*, ita ut in ipsis ipsa quasi benedictio cerni ac deprehendi videatur et omnes qui felicitatem appetant ad eorum se societatem adiungere debeant. Implebitur ergo quod ad Abraham dictum erat: eris benedictus et in te benedicentur omnes nationes terrae (Gen. 12,2; 18,18 etc.). Huius benedictionis unum genus recensetur, quo simul fertilitas terrae consistit; nam uti terra propter hominem peccantem maledicto subiicitur, ita quoque benedictio pietati promissa in eam

redundabit; porro ubertas terrae cum tamquam merces pietatis promittatur (Lev. 26,4. 5 — a contrario 26,19. Ier. 3,3; 14,2 etc.) pariter argumento est sanctitatis in populo vigentis. In textu *mas.* legitur *et dabo eos et quae in circuitu collis sunt benedictionem*, ita ut simul cum iis regio circa Sion appelletur benedictio; sed LXX, *Syrus*, *S. Hier. Chald.* illud *et* ignorant; quare cum versionibus et novem codd. hebr. apud *de Rossi* iure omittitur, cum ita exsistat « lectio sane multo planior ac longe anteponenda » (*de Rossi*); immo *C.* totum hoc membrum delet, quia *benedictio* apud LXX desit et *collis mei* non careat suspicione; at *collem* tuentur testes omnes; *benedictionem* legimus apud *Theodoretum* quoque reliquosque testes.

Quanta futura sit benevolentiae Dei effusio, repetito ad emphasin asseritur v. 27 « *et dabit lignum agri fructum suum et terra dabit germen suum et erunt in terra sua absque timore et scient quia ego Dominus, cum contrivero catenas iugi eorum et eruero eos de manu imperantium sibi* »; — hebr. si contrivero *vectes* iugi (*Mar.*); vide 30,18. Lev. 26,13. Is. 9,4; v. 28 « *et non erunt ultra in rapinam in gentibus neque bestiae terrae devorabunt eos, sed habitabunt confidenter absque ullo terrore* »; — antea scil. dictum erat : omnes bestiae agri venite ad devorandum, universae bestiae saltus (Is. 57,9; cf. Lev. 26,22). Pro priore ignominia quam impietate sua incurrerunt, iam gloria et nobilitate apud omnes erunt illustres v. 29 « *et suscitabo eis germen nominatum et non erunt ultra imminuti fame in terra neque portabunt ultra opprobrium gentium* »; — efficientur a Domino *plantatio ad gloriam* (hebr.); erunt igitur germen delectabile, vinea deliciarum, ut Isaias 27,2 vaticinatus est; ceterum vide Is. 65,13. 21. Ier. 33,9. Soph. 3,19.

Hac bonorum copia revera experientur quam vere sit Dominus *Iahve* ὁ ὤν, fidelis et constans in foedere exsequendo et promissis adimplendis v. 30 « *et scient quia ego Dominus Deus eorum cum eis et ipsi populus meus domus Israel, ait Dominus Deus* »; — ea omnia autem iis obtingent quia Dominus est pastor benignissimus qui suo gregi provideat optime et pro sua potentia et amore id et possit et velit; unde v. 31 « *vos autem greges mei, greges pascuae meae homines estis, et ego Dominus Deus vester, dicit Dominus Deus* »; — apud LXX et *Chald.* non legitur *homines* (quam vocem *C.* ex 36,37 huc adscriptam censet) et ea voce omissa sensus facile fluit : non sine animi affectu et commotione Deus repetit populum unice ad se pertinere et a se solo posse felicitatem acquirere, cui revera optima praeparaverit pascua. Si *homines* retinere volueris, non erit explicandum cum aliquibus eam vocem addi, ut sciatur in antecedentibus non institui sermonem de pecoribus; quid

enim clarius et evidentius esse potest quam gregem Domini intelligi populum? sed cernere poteris in voce declarari ingens illud quod inter Deum et hominem intercedat discrimen, ut inde dimetiamur quanti haec Dei benignitas sit aestimanda et una cum animi demissione firmissimam concipiamus spem fore ut pro Dei potentia homines ad sublimem illam conditionem eleventur; non ergo ab hominum infirmorum industria et robore esse praeclara illa bona exspectanda, sed a solo Deo, qui cum se nostrum Deum dicat, « quid praeter illum desideramus? quid mihi est in coelo et a te quid volui super terram? ad te aspiro, te amplector, tu es spes mea et fortitudo, refugium meum et opes meae, denique omne meum bonum » (*Pint.*).

3. *Duo pignora instaurationis* 35, 1-37, 28.

Arg. — Quo laetior exsistat in animis spes instaurationis, duo Deus proponit pignora : prius continetur in oraculis contra Edom et gentes vicinas quae terram palaestinensem partim occupaverant, quae igitur expellendae erant, ut populus patrias in sedes denuo posset immigrare (cap. 35. 36). Alterum eximio modo Dei potentiam adumbrat qui populum oppressum et quasi exstinctum ad novam vitam eamque multo meliorem revocare possit (cap. 37). Et in priore quidem pignore vates a Domino iussus vastationem Edom prophetat, quia Edomitae populum Dei ludibrio habuerint eiusque terram occupaverint; quare regio edomitica erit deserta, interfectis repleta, solitudo aeterna, quia non solum in populum Dei eiusque possessionem, verum in Deum ipsum cum blasphemia peccarunt (35,1-15). Eadem exprobratio ad alias quoque gentes vicinas extenditur, cum ipsae etiam terrae occupationem appetentes Israel spreverint atque irriserint; quare Deus zelo incensus et suum et populi honorem vindicans gentibus illis inferet confusionem, dum montes Israel et ruinas eius mox ad pristinum, immo maiorem splendorem sit revocaturus, ad splendorem scil. perennem qui nulla re iam obscurandus sit (36,1-15). Hanc autem rerum conditionem gloriosam Dominus propter nomen suum et gratis sine meritis populi efficiet; quod ut demonstret, scelera populi denuo eis in memoriam revocat; verum haec ipse delebit largiens populo cor novum et veram sanctitatem; ita enim maxima Dei gloria exsistet apud gentes (36, 16-38).

In altero pignore exhibetur praeclara instaurationis figura ac similitudo : ostenditur scil. vati campus plenus ossibus aridis, quae Dei voce et imperio iterum carnibus vestiantur et spiritu donentur vitali; Deus autem qui mortuos ad vitam revocare potest, etiam populo suo

vitam indere potest sublimiorem et theocratiam e statu deiecto ad maiorem pulchritudinem erigere (37,1-14). Modum autem redintegrationis alia adumbrat parabola duorum lignorum quae ad unum coniunguntur : unum scil. fore populum sublato dissidio illo vetere in quo tot malorum causa reponebatur; hanc unionem subsequentur optima quaeque : sub rege et pastore uno David aderit sanctitas, pax imperturbata, Dei inter populum inhabitatio, magna Dei apud nationes gloria (37,15-28). — Quam apte haec ad antecedentia adiungantur quibus illa et confirmantur et magis explicantur illustranturque, cum ex brevi hac analysi satis per se eluceat, non opus erit pluribus prosequi.

a) Oraculum contra Edom 35, 1-15.

Instaurationis praeambulum et partem priorem prophetae assignant reditum ex exsilio in terram palaestinensem; idem fieri apud Ezechielem vidimus 34,13 et alibi. Impedimentum autem reditus videri poterat in eo quod aliae gentes partem magnam terrae invaserant eamque ut suam possidebant. Unde hoc impedimentum erat removendum, ne animi dubii et ancipites haererent. Itaque oraculum contra Edom magno est pro populo solatio et argumento quoque eximio, quam serio Deus reditum promittat. Quare ad populi doctrinam et institutionem plane factum est et tempori post ruinam regni optime congruit neque minus ad seriem oraculorum de instauratione pertinere perspicitur; v. 1 « *Et factus est sermo Domini ad me dicens :* v. 2 *fili hominis pone faciem tuam adversum montem Seir et prophetabis de eo et dices illi* »! — cf. 13,17; 20,46; 21,2 etc.; mons Seir proxime dicit regionem montanam Edomitarum inter mare mortuum et sinum aelaniticum; dein generatim nomen pro regione Edomitarum adhibetur; vide 25,8. Is. 21,11. Advertit h. l. *S. Hier.* : « si semper in prophetis esset sermo Dei et iuge in pectore eorum haberet hospitium, nunquam tam crebro Ezechiel poneret : et factus est sermo Domini ad me dicens » ; v. 3 « *haec dicit Dominus Deus : ecce ego ad te mons Seir et extendam manum meam super te et dabo te desolatum atque desertum* »! — cf. 5,8 et 6,14; extendere manum *contra* aliquem dici solet de iudicio et afflictione gravi qua suam Deus potentiam exserat. Adhibetur hic de exterminio; v. 4 « *urbes tuas demoliar et tu desertus eris et scies quia ego Dominus* »; — non solum amittent quae iniuste occuparunt, sed in vastitate *suae* regionis Deum vindicem agnoscere debebunt; cf. Mal. 1,3.

Deus enim qui est pastor populi sui iniurias ei illatas ulciscitur eius-

que ius strenue tuetur; ipse enim in suo populo laeditur et contumelia afficitur; unde v. 5 « *eo quod fueris inimicus sempiternus et concluseris filios Israel in manus gladii in tempore afflictionis eorum, in tempore iniquitatis extremae*, v. 6 *propterea vivo ego, dicit Dominus Deus, quoniam sanguini tradam te et sanguis te persequetur, et cum sanguinem oderis, sanguis persequetur te* » ; — Edomitae ab antiquissimis temporibus inimicitias contra populum Dei gerebant; ita iam tempore Moysis Num. **20,21.** Iud. **11,17**; posteri enim Esau patris sui vestigia (Gen. **27,41**) terebant; unde eodem modo iam Amos de Edom conquestus erat **1,11** : quod persecutus sit in gladio fratrem suum et violaverit misericordiam eius et tenuerit ultra furorem suum et indignationem suam servaverit usque in finem ; cf. Ioel **3,19.** Abd. **10. 13.** Quod odium in expugnatione urbis Ierusalem praecipue manifestabant (cf. Ps. **136,7.** Lament. **4,21.** Ez. **25,12**) quod tempus h. l. extremae iniquitatis dicitur, uti **21,25** (**31** hebr.); ibi enim et scelera populi et calamitas ab hostibus illata ad summum pervenerunt fastigium. Edomitae autem Iudaeis fugitivis non refugium concesserunt, sed gladio eos interemerunt, quam saevitiam Deus lege talionis se puniturum iurat : *sanguinem te faciam* (hebr.) i. e. « ita cruentabo te ut videaris totus in sanguinem conversus nec aliud esse quam sanguis » (*Lap. Men.* et recentiores); cf. **16,38.** Gravem quoque sensum LXX efferunt : in sanguinem peccasti (sanguine te culpis obvolvisti), sanguis persequetur te; quam lectionem *C.* adoptat altero membro omisso (אשמת pro mas. אשם In voce *dam* (sanguis) allusionem deprehendunt ad Edom (*Calm.* et recentiores). In hebr. adest formula iurandi : profecto, sanguinem odisti (*Mald. Mar. Sm.*).

Membrum ultimum de odio sanguinis et repetitum illud ***sanguis te persequetur*** apud LXX non legitur. ***S. Hier.*** refert : « manifestius interpretatus est Symmachus : sanguinem tuum odisti et sanguis persequetur te » ; eodem modo legitur apud ***Theodoretum***, qui explicat sanguinem de cognatione : « quando enim generi tuo bellum intulisti, merito ab ipso debellaberis, et cognatos quos odisti excitabo contra te ut hostes ». Eodem modo ex mente *S. Hier.* interpretaberis eius versionem. In hebr. legitur אִם לֹא id quod aliqui vertunt : cum non oderis sanguinem (***Houbig. Keil***) i. e. cum sanguinem effundere caedesque committere non veritus sis. At haec locutio est plane singularis. Alii exponi posse censent : nisi odio habes sanguinem i. e. nisi abstinueris a caede (*Vat.*), quae explicatio neque ad verba neque ad contextum apta est; iam enim dictum est Edomitas gladio et caede in Israelitas animadvertisse. Particulam negantem etiam ***Syrus*** non legit : sanguis quem odio habuisti, idem sanguis te persequetur; sensus esse potest : sanguis quem ex odio fudisti te persequetur vindicta; propter eum poenis eris

obnoxius; aliis placet explicare : caedes et excidium a quo adeo horres obvenient tibi (*Tir.*).

Simul cum Edomitis regio affligetur v. 7 « *et dabo montem Seir desolatum atque desertum et auferam de eo euntem et redeuntem* v. 8 *et implebo montes eius occisorum suorum; in collibus tuis et in vallibus tuis atque in torrentibus interfecti gladio cadent* »; — en quomodo sanguis persequetur eos! solitudo erit, quam vix rarus inviset viator; incolae gladio auferentur, ita ut montes repleantur occisis et cadavera per totam regionem in collibus et convallibus iaceant prostrata. Neque ulla spes relinquitur futurae redintegrationis v. 9 « *in solitudines sempiternas tradam te et civitates tuae non habitabuntur et scietis quia ego Dominus Deus* » ; — cf. Mal. 1,3. Dominum nolebant agnoscere populi sui terraeque suae protectorem neque vereri eius populique iura; unde eum experientur vindicem.

Cur ita in eos animadvertatur, patefit v. 10 « *eo quod dixeris : duae gentes et duae terrae meae erunt et hereditate possidebo eas, cum Dominus esset ibi* » ; — Israel et Iuda, utraque regio, ab iis occupabatur; vel saltem consilium et voluntatem eas possidendi enuntiant, quamvis Iahve ibi esset i. e. quamvis esset regio Deo consecrata ibique Dominus sedem suam et domicilium in templo fixisset. Unde in Domini proprietatem et possessionem manus inferunt. Inde autem gloria Dei agitur; v. 11 « *propterea vivo ego, dicit Dominus Deus, quia faciam iuxta iram tuam et secundum zelum tuum quem fecisti odio habens eos et notus efficiar per eos cum te iudicavero* » ; — qua mensura ipsi mensi fuerint, remetietur iis Deus; iis rependet secundum iram et furorem quem ipsi manifestarunt cum odio in populum Dei. Hac ultione exercita Deus maiore gloria innotescet inter suos, quia et suam potentiam in inimicos et suam benevolentiam in amicos modo illustri manifestavit in eiusmodi iudicio. Suam enim et populi causam tuetur. Apud LXX γνωσθήσομαί σοι tibi scil. tamquam ultor innotescam; sed cum id statim in seq. efferatur, praeplacet hebr. בָּם inter eos, quo simul sensus funditur uberior.

Ista punitione cognoscent, Deum non sinere impunita abire opprobria quae maxima insolentia in eum iecerint v. 12 « *et scies quia ego Dominus audivi universa opprobria tua quae locutus es de montibus Israel dicens : deserti, nobis ad devorandum dati sunt!* v. 13 *et insurrexistis super me ore vestro et derogastis adversum me verba vestra; ego audivi* »! — cum apud gentiles opinione communi numen nationale intime coniungeretur cum ipsa gentis sorte, ex eo quod regio Domini esset deserta et ab hostibus vastata, Edomitae ipsum Iahve impotentiae

accusabant et ludibriis proscindebant : *contra me magnificastis vos ore vestro et multiplicastis contra me verba vestra* (hebr. *Vat. Mald. Mar.*), superbe et insolenter contra Deum locuti sunt suam iactantes potentiam et cladem Domino illatam multis irridentes. Cum emphasi additur : ego audivi; omnia quidem scit et audit Dominus; at si id modo peculiari effertur, ratio declaratur singularis qua velit vel praemium vel poenam ultionemque rependere.

Atque sicut Edomitae alienis malis gavisi sunt, ita aliae quoque nationes permultum exsultabunt videntes eorum ruinam; acerbitas autem doloris augetur, cum alii de tua calamitate voluptatem capiunt et tripudium agunt. Merito autem id quoque additur ad Edomitarum casum v. 14 « *haec dicit Dominus Deus : laetante universa terra in solitudinem te redigam* »; — nemo tecum dolebit, nemo te planget vel miserabitur; interitu tuo laetabuntur; igitur eos odio esse aliis et terrori indicatur; ceterum vide Is. 14,7. 8. LXX ἐν τῇ εὐφροσύνῃ; eodem modo explica hebr. כ non particulam comparationis sed temporis (*Keil, Hitz.*). — Demum brevi oraculum totum comprehenditur per modum epilogi et confirmationis v. 15 « *sicuti gavisus es super hereditatem domus Israel eo quod fuerit dissipata, sic faciam tibi : dissipatus eris mons Seir et Idumaea omnis et scient quia ego Dominus* »; — brevi refertur culpa et poena iure talionis infligenda : regio dissipabitur in gaudium aliorum.

b) **Restituentur res israeliticae 36, 1-15.**

Plane diversa est sors populi Dei, quae quam felix futura sit oppositione magis illustratur. Immo quo magis effuderint opprobria inimici, eo fore gloriam ac splendorem maiorem Deus pollicetur solatium subministrans ac levamen in rebus arctis, ne inter irrisiones et tripudia adversariorum animi fidelium concidant, verum potius ex eis capiant argumentum spei maioris. Ipsa oraculi forma ad antecedentia aptatur; sicut ibi contra *montem* Seir verba diriguntur, ita nunc ad *montes* Israel; in ipsis montibus firmitas quaedam ac stabilitas adumbratur, quae fallax esse dicitur in Edom, vera in Israel; vel etiam suspicari licebit vatem iam diu in immensa illa planitie babylonica commorantem non sine animi desiderio recordari montes Israel, montes Domini, quorum mentio honorifica saepius fit in s. litteris (Ex. 15,17. Deut. 32,13. Ps. 47,2; 67,17; 77,54 etc. Hab. 3,19); unde v. 1 « *Tu autem fili hominis propheta super montes Israel et dices : montes Israel, audite verbum Domini!* v. 2 *haec dicit Dominus Deus : eo quod dixerit*

inimicus de vobis : euge altitudines sempiternae in hereditatem datae sunt nobis! v. 3 *propterea vaticinare et dic : haec dicit Dominus Deus : pro eo quod desolati estis et conculcati per circuitum et facti in hereditatem reliquis gentibus et ascendistis super labium linguae et opprobrium populi* »; — de euge vide 25,3; eo quod altitudines *sempiternas* sibi in possessionem cessisse iactant, irridere videntur et subsannare promissiones eas aeterni foederis quibus Deus populo suo terram spoponderat. Quali contemptu terra habeatur ab iis ipsis qui eam occupant, qui contemptus in Dei iniuriam cedit, explicatur v. 3; per omnium scil. ora traducebantur ignominiose et in fabulam et dicterium erant omnibus in circuitu. Vocantur reliquiae gentium, quia tribus vicinae iam etiam variis bellis per Chaldaeos erant imminutae ac debilitatae; vide Ier. 27,6. At quo magis affliguntur et contemnuntur, eo potior adest pro Domino ratio consolationis et causa ultionis in hostes exercendae.

Ubi in *vulg.* legimus *desolati estis et conculcati* textus hebr. praebet שַׁאֹף שַׁמּוֹת; unde interpres vocem priorem derivavit vel explicavit ex שָׁמֵם, alteram vero eadem notione accepit quo שׁוּף invenitur; vide quae dixi ad Iob 9,17. At שאף est inhiare, anhelare ad absorbendum scil. vel devorandum; proinde potius exprimitur cupiditas qua terram in suam possessionem rapere studeant. Ad id autem verbum prius non congruit, si vertitur : quia vastant. Atque LXX quidem habent ἀντὶ τοῦ ἀτιμασθῆναι ὑμᾶς; proinde ex v. 5 quo שאט vertunt per ἀτιμᾶν concludere licet etiam hic שאט esse lectum. Adde שַׁמּוֹת haud facile ad שמם referri posse (cf. *Olshausen*, Lehrbuch d. hebr. Sprache § 165 k; § 245 f) neque *vastare* bene dici in membro parallelo ad *anhelare*, quo aviditas designatur qua possessionem Israel sibi arripere gestiunt. Quare nisi cum LXX legere malueris, explicatio petenda erit ex Is. 42,14 quo loco verbum נָשַׁם cum שָׁאַף coniungitur (*Hitz. Sm.*); dein habes eandem aviditatem expressam duplici verbo et levi correctione scribendum erit שמת. *Syrus* prius verbum etiam explicat de contemptu cum LXX; dein habet *adusti estis*; ergo שֹׂרף legit vel explicuit simul cum שאף.

Quantopere Deo terra palaestinensis cordi sit, enumeratione singularum partium ostenditur, qua singulis quoque auxilium et quasi solatium in rebus adversis promittitur v. 4 « *propterea montes Israel audite verbum Domini Dei : haec dicit Dominus Deus montibus et collibus, torrentibus vallibusque et desertis, parietinis et urbibus derelictis quae depopulatae sunt et subsannatae a reliquis gentibus per circuitum* »; — torrentes אֲפִיקִים intellige valles torrentibus irriguas; quam miserum aspectum praebeat regio bellis vastata, describitur locis vastatis, parietinis i. e. muris destructis ac collapsis urbibusque derelictis, quae factae sint *in praedam* et in derisum reliquiis gentium in circuitu

(hebr.); unde hic quoque in hebr. effertur regionem ab aliis occupatam esse cum magna irrisione et opprobrio in Israelitas. Frequenti repetitione quam indigna res sit et minime ferenda declaratur; unde v. 5 « *propterea haec dicit Dominus Deus : quoniam in igne zeli mei locutus sum de reliquis gentibus et de Idumaea universa quae dederunt terram meam sibi in hereditatem cum gaudio et toto corde et ex animo et eiecerunt eam, ut vastarent* »; — hebr. *profecto, in igne zeli mei locutus sum contra reliquias gentium*... quae attribuerunt sibi terram meam in possessionem *cum gaudio totius cordis* i. e. insolenti laetitia et *cum contemptu animi ut eam expellerent ad praedam* (cf. *Vat. Lap.*) vel *propter eiectionem eius in praedam* (*Mald. Mar.*); incolae expellebantur, ut regio praedae fieret aliis; regionem considerabant tamquam rem vilem, rem evacuatam, omnibus ad praedam propositam.

At ultimum membrum difficultate et obscuritate satis obruitur. Hebr. verbum מִגְרָשׁ multi explicant infinitivum aramaicum vocique tribuunt notionem quae in dialecto syriaca invenitur *evacuare* : ut eam evacuarent ad praedam (*Keil*) vel retenta significatione in hebr. ut eam *expellerent* ad praedam (*Sm.*). Utrumque haud commode dici apparet; nam terram expellere satis mire dicitur pro incolis qui e terra expelluntur; item *evacuare* terram id habet incommodi quod notio vocis aliunde accersenda est. Pari modo infinitivi formam statuere aramaicam non satis consultum videtur, cum certa eius rei exempla desint. LXX habent τοῦ ἀφανίσαι ἐν προνομῇ et antecedit ἀτιμάσαντες ψυχάς; *Syrus* quoque : cum gaudio despexerunt animas quas capiebant et depraedabantur. *Hitz.* scribendum censet לָבֹז et vertit : ad rapiendum proventum eius; sed haec vocis מגרש notio solum pro hoc loco statuitur. *Cornill* emendat למצא בז ad inveniendam praedam; ad litteras traditas magis accedit רשת vel רשתה a ירש occupare, vi possidere; et cum ירש etiam notione expellendi occurrat, eo modo pariter versio graeca explicatur. Unde sensus erit : sibi attribuebant terram meam in possessionem ut eam tamquam praedam occuparent.

Sed quo maiore ignominia afficiuntur, eo maiore cura et studio Deus opem suam pollicetur v. 6 « *idcirco vaticinare super humum Israel et dices montibus et collibus, iugis et vallibus : haec dicit Dominus Deus : ecce ego in zelo meo et in furore meo locutus sum eo quod confusionem gentium sustinueritis* »; — hic *S. Hier.* אפיקים vertit *iuga*, alias torrentes; vide v. 4; LXX utrobique φάραγγας reddiderunt; confusionem vel ignominiam a gentibus illatam portarunt; locutus est Deus i. e. « opprobrii vestri ultor exsistam » (*S. Hier.*); v. 7 « *idcirco haec dicit Dominus Deus : ego levavi manum meam, ut gentes quae in circuitu vestro sunt ipsae confusionem suam portent*, v. 8 *vos autem montes Israel ramos vestros germinetis et fructum vestrum afferatis populo meo Israel; prope est enim ut veniat* »; — nunc demum sententia a v. 3 incepta absolvitur. Deus autem zelum ostendit, quia iu-

reiurando i. e. manum levans poenam talionis inimicis, suis vero instaurationem spondet. Nova enim benedictione ditabitur terra palaestinensis, quae eo depingitur ut montes denuo vireant et fructum ferant non alienis sed Israelitis. Atque iam prope adesse vel appropinquare dicitur tempus quo veniant et redeant ex captivitate (*Mald. Mar. Lap. Men. Tir. Calm. Pint. Troch. Schr.*); minus bene *Keil* cum aliis : bona promissa, rami, fructus mox venient. Sed quomodo reditus iam dici potest prope esse vel appropinquare? Respondet *Pint.* Deum consolari exsules; *Calm.* sermonem habitum monet post urbem expugnatam; ab eius autem expugnatione usque ad reditum a Cyro permissum anni fluxerunt fere quinquaginta, quod temporis spatium quamvis longum sit pro singulis, tamen ratione habita durationis regni vel gentis sat breve videri potest. Ceterum de *prope prophetico* vide ad Is. 14,1. Faciliorem lectionem praebent LXX ὅτι ἐλπίζουσι τοῦ ἐλθεῖν; sed textus hebr. melius contextae orationi congruit.

Promissio laeta ulterius confirmatur v. 9 « *quia ecce ego ad vos et convertar ad vos et arabimini et accipietis sementem*, v. 10 *et multiplicabo in vobis homines omnemque domum Israel et habitabuntur civitates et ruinosa instaurabuntur,* v. 11 *et replebo vos hominibus et iumentis et multiplicabuntur et crescent et habitare vos faciam sicut a principio bonisque donabo maioribus quam habuistis ab initio, et scietis quia ego Dominus* »; — *ecce ego ad vos* sensu h. l. benevolo et pleno amoris; aliter haec locutio usurpatur 5,8; 13,8 etc.; Dei benedictio cernitur in maxima fertilitate, in hominum multitudine, in instauratione ruinarum, in bonorum donorumque divinorum copia. Optima rerum conditio quae olim adfuit in memoriam iis revocatur, de qua traditione populari sacrisque litteris edocentur (cf. 3 Reg. 4, 25), eaque maiore ubertate et copia superabitur; similiter Mich. 7, 14. Zach. 10,6 seq.; luculenter igitur Deus manifestat quanta amoris profusione beneficiorumque liberalitate paratus sit ipse instaurationis tempus ornare. Et quam vere bona promittantur maiora, iam ex eo facile concluditur, quia haec instauratio futura sit stabilis, foedus novum quod Deus initurus sit iam non violabitur neque populus novus theocraticus opprobriis nationum tradetur v. 12 « *et adducam super vos homines, populum meum Israel et hereditate possidebunt te et eris eis in hereditatem et non addes ultra ut absque eis sis;* v. 13 *haec dicit Dominus Deus : pro eo quod dicunt de vobis : devoratrix hominum es et suffocans gentem tuam,* v. 14 *propterea homines non comedes amplius et gentem tuam non necabis ultra, ait Dominus Deus* »; — hebr. v. 12 gradi, ambulare faciam homines i. e. regio habitabitur; et non reddes eos ultra orbos vel absque filiis, i. e. non exterminabuntur ultra in te

incolae tuae (*Vat. Mald.*). Uti Num. 13,33 dicitur : terra devorat habitatores suos, ita cum Iudaei peste, fame aliisque miseriis in terra sua fuerint afflicti et magnam partem consumpti, inimici Iudaeis exprobrabant, eos ab ipsa sua patria in insigne odii testimonium fuisse deletos : *devoratrix hominum et orbans populum tuum* (hebr.); cf. Lev. 18,28 : cavete ne et vos similiter terra evomat, sicut evomuit gentem quae fuit ante vos. Consideratur terra quasi indigne ferens se maculari sceleribus hominum ideoque scelestos occidens; similiter Sap. 5,21 : pugnabit orbis terrarum contra insensatos. Sed eiusmodi pugnam et cladem tempore instaurationis iam non fore v. 14 asseritur; hebr. non *necare,* sed impingere vel cadere facere (kethib); at qeri *orbare;* hoc quoque LXX, *Syrus, Chald.,* quae lectio et testium auctoritate et concinna ad v. 13 responsione praeferenda erit; ceterum totum discrimen in hebr. in unius litterae collocatione continetur : שכל vel כשל.

Ad eam benedictionem a Domino praestitam consequitur honor quoque apud homines; iam non erunt aliis irrisioni; v. 15 « *nec auditam faciam in te amplius confusionem gentium et opprobrium populorum nequaquam portabis et gentem tuam non amittes amplius, ait Dominus Deus* »; — vide v. 6. Haec nequaquam accident mala, quia radix et fons malorum, iniquitas, removebitur. Unde quot adsunt promissiones benedictionis, fertilitatis, honoris, tot adsunt quoque argumenta fore ut in novo populo theocratico pietas et sanctitas vigeat; sunt enim illa ex modo loquendi in V. T. usitata indicia et sequelae legis Dei observatae (vide ad Am. 9,13). In hebr. tertium membrum effertur : *gentem tuam iam non corruere facies;* non legitur apud LXX et *Syrum.* — Haec inchoatione quadam ad exitum perducta sunt post reditum e Babylone; sed promissiones ita enuntiantur, ut tempus instaurationis per se describant; proinde ibi complentur, ubi perfecta adest instauratio i. e. tempore messiano et apud eos, qui revera populum constituunt theocraticum. Cur autem in ipsis Iudaeis haec non plene ad eventum perducta sint, audi *Theod. :* « haec ad exitum pervenissent, si Iudaei voluissent; quia vero quasi canes rabie furentes in Dominum insanierunt, ipsi auctores fuere, ut quae prophetia praedixit minime perficerentur; atque ita mendacii expers est praedictio; siquidem iam antea omnium Deus per Ieremiam prophetam dixit : loquar super gentem et super regnum, ut iterum aedificetur et plantetur, et facient mala coram me, ut non audiant vocem meam, et poenitebit me bonorum quae locutus eram ut facerem eis (Ier. 18,9. 10). Iudaei igitur in culpa fuere ne per prophetiam sibi promissa consequerentur bona ».

c) **Et restituentur propter Dei gloriam 36, 16-38.**

In una pietate et sanctitate situm esse, cur auferatur a populo opprobrium, ipse Deus iam a contrario declarat denuo in memoriam revocans populo mala omnia eis evenisse in castigationem scelerum. Hac monitione id simul efficitur ut alte animis imprimant instaurationem esse beneficium Dei quod Deus nequaquam ob populi merita sed propter suam praestabit gloriam. Reprehensione scelerum pariter docentur quomodo vita sit instituenda, ut ad reditum et bona illa promissa merito sese praeparent. Quare hoc loco apte infertur memoria et exprobratio scelerum praeteritorum; v. 16 « *Et factum est verbum Domini ad me dicens :* v. 17 *fili hominis, domus Israel habitaverunt in humo sua et polluerunt eam in viis suis et in studiis suis; iuxta immunditiam menstruatae facta est via eorum coram me* »! — peccato terram foedari saepe dicitur; cf. Num. 35,33. Deut 24,4. Ier. 2,7 et supra 22,3; hac consideratione etiam explicatur cur terra scelestos dicatur devorare, orbare v. 12. 13; polluta enim peccatis de hoc abusu indignatur quasi et in hominem animadvertit, qua prosopopoeia horror peccati gravitasque malitiae bene depingitur. Altero modo foeditas peccatorum et magnitudo describitur immunditie menstruorum, quae et de se nauseae est et in lege tanta reputabatur, ut quidquid talis femina tetigisset pollutum haberetur (Lev. 15,19 seq.). Tam foeda scelera ut animorum dolore defleant et confiteantur coram Domino, iam exemplo praeiit Isaias : quasi pannus menstruatae universae iustitiae nostrae (64,6).

Exsulibus repetito erat ingerendum, cur et a quo respublica esset destructa, non scil. adversariorum vel hostium potentia, sed nutu ac ultione Dei eorum iniquitate provocati; unde v. 18 « *et effudi indignationem meam super eos pro sanguine quem fuderunt super terram et in idolis suis polluerunt eam*, v. 19 *et dispersi eos in gentes et ventilati sunt in terras; iuxta vias eorum et adinventiones eorum iudicavi eos* »; — peccata in homines et in Deum recensentur summa : caedes iniustae, quibus quam maxime iustitia pedibus conculcatur, idololatria, quae e diametro religioni et foederi cum Deo inito opponitur; idem habes 22,3 et fere 9,9. Frequentes sunt querelae prophetarum de vi et oppressione; cf. Is. 1,15. 23; 5,23. Mich. 3,2 seq.; ad v. 19 vide 7,8; 12,15; 22,15; adinventiones, studia v. 17 explica secundum hebr. de factis eorum et operibus. Sed dum Deus iusto iudicio eos perstrinxit, ipsius honor et gloria in populi ignominia apud gentes detrimentum cepit v. 20 « *et ingressi sunt ad gentes ad quas introierunt et polluerunt nomen sanctum meum, cum diceretur de eis : populus Domini*

iste est et de terra eius egressi sunt »; — i. e. quocumque exsules longe lateque disiecti venerunt, gentibus occasionem dederunt, ut istae nomen Dei contumeliis afficerent : ecce populus *Iahve* et tamen ex terra Iahve egredi debebant; proinde Dominum irridebant quasi suum populum non potuisset tueri. Ita exsules eo ipso quod erant expulsi in opprobrium vertebantur nomini Domini; taxabant enim gentes Dominum dicentes : si is fuisset Deus eorum qualem praedicant, omnipotens, non permisisset eos expelli terra sua (*Vat.*). Iam saepe monui gentes vim et virtutem dei nationalis ex gloria et victoriis cultorum eius metiri; unde videntes populum Iahve oppressum, devictum, conculcatum, vel Deum non eius curam habere vel ipsum parum posse opinabantur.

Sunt qui explicent exsules vitiis suis ac vita flagitiosa nomen Dei apud gentes ignominia affecisse; ita v. g. *Theod.* : « in improbitate degentes auctores fuerunt, ut in me blasphemiae coniicerentur »; similiter *Est. Tir. Pint. Calm.*; nemo utique negabit fuisse exsules Iudaeos qui suis flagitiis gentiles ad blasphemias contra Deum Iudaeorum provocarent, quales fuisse et esse S. Paulus (Rom. 2,21 etc.) aperte conqueritur. At h. l. valde dubium est volueritne propheta idem asserere. Nam in verbis gentium nihil aliud enuntiatur, nisi illos quamvis essent populus Dei, tamen de terra eius egressos esse; at in his verbis totum illud contineri dicitur, cur polluerint Iudaei nomen Dei; id enim ipsa enuntiatione exprimitur : polluerunt cum diceretur (hebr. *in* dicendo, in eo quod diceretur). Ergo non scelera post exsilium, sed flagitia illa quibus eiectionem e terra promeruerint possunt intelligi quibus nomen Dei profanaverunt, quia hisce posuerunt causam expulsionis, quae expulsio Deo vertitur in contumeliam. Haec explicatio etiam subsequentibus confirmatur. Nam Deus declarat se sanctificaturum nomen suum quod polluerint; sed quomodo? respondetur v. 24 tollam vos de gentibus; ergo eductione e gentibus et reductione in terram, quam subsequetur innovatio morum et vera sanctitas. Unde honor Deo restituitur et ipse Deus nomen suum sanctificat coram gentibus eo quod populum suum reducit. Si autem flagitia inter gentes ab exsulibus admissa fuissent praecipua causa cur gentes Deum blasphemarent, nomen Dei ita debuit coram gentibus sanctificari, ut gentes statuerentur testes morum exsulum ad omnem pietatem exactorum; vel saltem id potius exspectaremus. Quare altera explicatio est praeferenda quam supra dedi et quam *Vat. Mald. Sa, Mar. Lap. Men. Loch. Troch.* pariter proponunt.

Deus autem zelo honoris et nominis sui talem iniuriam gloriae suae impingi non sinit, sed sibi ipsi debet, ut gloriam suam illucescere faciat coram gentibus; v. 21 « *et peperci nomini sancto meo quod polluerat domus Israel in gentibus ad quas ingressi sunt* »; — hebr. proprie *misertus sum nominis mei* (*Vat.*), honoris sui prostrati rationem habet eumque ut decet denuo erigere statuit. Deo gloria reddi debet

innumeris titulis ab omnibus; haec gloria Dei bonum est adeo excellens, ut Deus eam necessario appetat et exigat; unde de eius detrimento dolere quasi et affligi dicitur. Quare maximam affert curam ut restituatur v. 22 « *idcirco dices domui Israel : haec dicit Dominus Deus : non propter vos ego faciam, domus Israel, sed propter nomen sanctum meum quod polluistis in gentibus ad quas intrastis,* v. 23 *et sanctificabo nomen meum magnum quod pollutum est inter gentes quod polluistis in medio earum, ut sciant gentes quia ego Dominus, ait Dominus exercituum, cum sanctificatus fuero in vobis coram eis* »; — quod magna emphasi iam Isaias inculcaverat redemptionem non fieri propter populi merita, sed unice ad gloriam et laudem et fidelitatem Dei omnibus clare demonstrandam (Is. 43,22-25; 48,11), id Ezechiel quoque graviter monet. Est scil. beneficium gratuito praestitum. Deus autem nomen suum gloriosum reddit, dum potentiam suam ostendit gentibus id efficiendo quod multis iam vaticiniis est praedictum. Ita quoque se sanctum manifestat in suo populo, quia pro sua sanctitate quam relucere vult in populo regnum suum et dominationem restituit, regno autem Dei veram sanctitatem induci in orbem et propagari certum est; quare hoc suum regnum stabiliens Deus se tamquam sanctum prodit i. e. sanctificatur. Dein gentes quoque experientia rebusque scient eum esse *Iahve* qui scil. efficit quod vult, supremus dominator immensa perfectione praeditus.

Iam modum subiungit quo nomen suum reddet gloriosum ratione habita contumeliae a gentibus v. 20 iactae v. 24 « *tollam quippe vos de gentibus et congregabo vos de universis terris et adducam vos in terram vestram* »; — dein obmutescere debet irrisio gentium v. 20 et eo ipso etiam tollitur illa iniuria gloriae Dei illata. Neque tamen ibi sistit Deus. Instauratione id potissimum auferri debet et sanari quod origo et causa erat ruinae i. e. flagitia illa de quibus modo praefatus est v. 17-19. Quare iam ex reprehensione status prioris quae tantam criminum detestationem continet indoles necessario colligenda est pro restitutione *spiritualis;* ergo facile fluit ex antecedentibus v. 25 « *et effundam super vos aquam mundam et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris et ab universis idolis vestris mundabo vos* »; — modus loquendi accommodatur ad ritus et caerimonias legis; vide Num. 19, 17-19. Ps. 50,4. 9. Verum ea effusione non effici munditiem quandam leviticam, sicut in lustrationibus lotionibusque lege praeceptis, sed animos mundari et nova vita divinitus donari, explicatur v. 26 « *et dabo vobis cor novum et spiritum novum ponam in medio vestri et auferam cor lapideum de carne vestra et dabo vobis cor carneum* »; — cor novum est in oppositione ad v. 17 cor purum, sanctum; item spiritus

vel animus plane mutatus a priore, qui non vetera illa sequatur delicta. Pro corde duro, quod flecti, emolliri, ad obediendum traduci non potuit, sed monitionibus continuo restitit, dabit cor molle, docile, facile et libenter inspirationes Dei suscipiens; ceterum vide ad 11,19.

Atque ulterius explicatur, quomodo haec innovatio efficiatur v. 27 « *et spiritum meum ponam in medio vestri* »; — itaque eo modo fit, ut Deus ipse suum det spiritum in eorum corda, quo quasi novo eoque sublimissimo principio vitali animi eorum imbuti et perfusi ad sentiendi cogitandique rationem sanctam et spiritu Dei dignam instituuntur et evehuntur, Manifestum est quam praeclare hoc oraculo id exprimitur quod ad hominis iustificationem in novo foedere Deus instituit. In aqua illa v. 25 facile cernis adumbrari aquam baptismalem, hic habes spiritum Domini qui se animis communicat eosque innovat, ad novam vitam transfert. Iam quid est hoc aliud nisi vaticinium de regeneratione ex aqua et Spiritu sancto? Pariter declaratur duplex illud quod in iustificatione homini obtingit : remissio peccatorum (v. 25) et infusio gratiae (v. 26. 27) quam infusionem hic habemus expressam in spiritu Domini posito in cordibus, per quem cor nostrum efficitur novum, efficitur obediens et facile cedens monitionibus divinis. Unde haud obscure in corde novo novoque spiritu cernere possumus donum gratiae creatae, ut theologi loquuntur, in spiritu Dei autem ipsam inhabitationem Spiritus sancti, quae donum gratiae creatae consequitur et ultima quasi perfectione absolvit. Attende itaque, quam apte congruat oraculum iis veritatibus quas explicite in novo foedere didicimus. Et si hunc locum perpenderis et cum eo contuleris Ps. 50,21, etiam videbis quam vere et iuste Christus reprehenderit Nicodemum, qui de regeneratione ex spiritu Dei nihil plane invenerit in sacris litteris : tu es magister in Israel et haec ignoras (Ioan. 3,10)? Non opus erit monere interpretes catholicos hic baptismi aquam et Spiritus s. infusionem cerni delineatam.

Dein additur, quales effectus habitura sit haec spiritus Domini in animis inhabitatio : « *et faciam ut in praeceptis meis ambuletis et iudicia mea custodiatis et operemini* »; — spiritus Dei ad omnem erudit sanctitatem simulque vires subministrat quibus sanctitas in lege divina exhibita revera opere exprimi possit; ergo idem propheta edicit quod S. Paulus solum πνεύματι fieri posse affirmat, ut scil. iustificatio legis impleretur in nobis (Rom. 8,4; cf. 2,29; 8,13). Hanc sanctitatem subsequitur pax et securitas v. 28 « *et habitabitis in terra quam dedi patribus vestris et eritis mihi in populum et ego ero vobis in Deum* »; — tum scil. aderit maxima inter Deum et populum amicitia et familiaritas, mutua bonorum communicatio : populus in se exprimit notionem

populi Deo sancti, qui solum pro Deo vivit et omnia ad eius refert gloriam, Deus autem se praebet populo protectorem, remuneratorem liberalitate divina. Ita foedus inter Deum et populum, cuius tessera verbis illis enuntiatur, ad summum fastigium hisce in terris adducitur.

In iucunda hac delineatione bonorum vates etiam pluribus immoratur v. 29 « *et salvabo vos ex universis inquinamentis vestris et vocabo frumentum et multiplicabo illud et non imponam vobis famem*, v. 30 *et multiplicabo fructum ligni et genimina agri, ut non portetis ultra opprobrium famis in gentibus* » ; — primo loco ponitur salvatio ex maculis scelerum tamquam summum beneficium quo Deus pro sua misericordia se patrem et pastorem populi exhibeat; en, quomodo indoles spiritualis instaurationis frequenter effertur! Si porro a peccatis mundati sunt, etiam bonis terrae fruentur neque propter penuriam et inopiam ultra incurrent irrisionem gentium; cf. Lament. 4,9; 5,6. Ioel 2,19 et supra 34,29. Vocare frumentum i. e. iubere ut copiose veniat; vide Os. 2,21 et 4 Reg. 8,1 : vocavit Dominus famem et veniet super terram. Recepti autem in gratiam et donis divinis ditati non in vanam sui complacentiam assurgunt, sed memores culparum antecedentium animos gerunt humiles et de sua sibi indignitate bene conscios v. 31 « *et recordabimini viarum vestrarum pessimarum studiorumque non bonorum et displicebunt vobis iniquitates vestrae et scelera vestra* »; — hanc esse illam animorum dispositionem ac poenitudinem quam Deus in reconciliatis exoptet, iam 20,43 et Is. 64,6 et Ier. 3,23 etc. demonstratum est; similiter iam Moyses monuit : memento et ne obliviscaris quomodo ad iracundiam provocaveris Dominum Deum tuum in solitudine (Deut. 9,7. *Pint.*). Placet enim Deo animus de sceleribus prius admissis dolens eorumque memoria se coram Deo submisse gerens; hunc quoque fructum ex vera enasci iustitia hisce locis docemur. Hebr. explica : taedio afficiemini et nausea de vobis ipsis propter abominationes et scelera vestra; cf. 6,9. Et quantopere exoptet Deus talem animorum submissionem et dolorem, ostendit, dum omnem gloriandi materiam iis adimit v. 32 « *non propter vos ego faciam, ait Dominus Deus, notum sit vobis! confundimini et erubescite super viis vestris, domus Israel* »! — alte animis impressum gerant, non ob sua merita sed solum ex immensa Dei clementia veniam concedi et prosperitatem restitui; sese potius indignos reputent neve unquam dolorem ac poenitentiam abiiciant.

Quam accepta sit Domino talis humilitas et poenitudo, declaratur ex pulchritudine instaurationis quam Dominus effecturus sit v. 33 « *haec dicit Dominus Deus : in die qua mundavero vos ex omnibus iniquitatibus vestris et inhabitari fecero urbes et instauravero ruinosa*, v. 34 *et*

terra deserta fuerit exculta quae quondam erat desolata in oculis omnis viatoris, v. 35 *dicent : terra illa inculta facta est ut hortus voluptatis, et civitates desertae et destitutae atque suffossae munitae sederunt* »; — hebr. v. 34 *pro eo quod fuerat desolata* et v. 35 *facta est ut hortus Eden*, ut hortus paradisi; cf. Gen. 13,10. Is. 51,3. Ioel 2,3 et supra 31, 8. 9; qua comparatione summa quaedam amoenitas declaratur. Civitates *sederunt* i. e. habitantur. Ex hac autem restitutione enascitur gloria Dei et opprobrium quod v. 20 gentes in Dominum iaciebant aufertur v. 36 « *et scient gentes quaecumque derelictae fuerint in circuitu vestro quia ego Dominus aedificavi dissipata plantavique inculta, ego Dominus locutus sim et fecerim* »; — cf. v. 3; « *derelictas* dicit quia supra delendas esse praedixerat a cap. 25 usque ad 29 » (*Mald.*); in circuitu erant Ammonitae, Moabitae, Idumaei, Philisthaei, Tyrii, Sidonii. Ultimam sententiam melius explicabis : ego locutus sum et exsequor opere. Nexum sententiarum vario modo ponunt : alii enim apodosin iam incipiunt in v. 33 : die quo mundavero..., inhabitare faciam (*Keil, C. Schr.*); alii v. 33-35 ut protasin et demum v. 36 apodosin formare volunt (*Sm.*), qui modus nimis languidus est. Aptissimus videtur nexus in *vulg.;* nam in v. 35 id enuntiari incipit quod restitutionem subsequi debet, scil. gentes revera agnoscere instaurationem fieri eamque fieri propter Dei gloriam; quare in v. 33. 34 habetur protasis vel id quod necessario antecedere debet, et in v. 35. 36 apodosis vel id quod erit, postquam prius illud factum fuerit.

Cum multi Iudaeorum bellis essent interempti, pauci in Palaestina relicti, neque adeo multi in exsilium abducti — Nabuchodonosor in tribus deportationibus transtulit quattuor millia sexcentos Ier. 52,28-30, — facile exsulibus dubium oboriri potuit, num adeo pauci instaurationem eam possent efficere quae gentibus quoque esset ratio laudis Domini. Quare Deus se populum aucturum esse spondet v. 37 « *haec dicit Dominus Deus : adhuc in hoc invenient me domus Israel ut faciam eis : multiplicabo eos sicut gregem hominum* v. 38 *ut gregem sanctum, ut gregem Ierusalem in sollemnitatibus eius, sic erunt civitates desertae plenae gregibus hominum, et scient quia ego Dominus* »; — hebr. *inveniar* i. e. facilem me praebebo et promptum obsecrationibus et precibus eorum et ita ab iis *requirar;* multiplicabit scil. homines sicut gregem, sicut oves; qua comparatione fertilitas magnusque numerus qui brevi tempore aderit significatur; vide Mich. 2,12; hebr. v. 38 *ut gregem sanctorum,* scil. « sicut Ierusalem tribus anni sollemnibus temporibus plena est gregibus ovium quae ad sacrificandum adducuntur » (*Mald. Sa, Mar. Lap. Men. Tir.*); ita Iosias dedit omni populo in sollemnitate paschatis agnos et hoedos et reliqui pecoris

triginta millia, boum quoque tria millia, praeterea duces quoque obtulerunt quod sponte voverant et principes templi dederunt pecorum duo millia sexcenta, boves trecentos; principes levitarum dederunt quinque millia pecorum et boves quingentos (2 Par. 35,7-9) et vide *Iosephum,* bell. iud. 6,9,3; quare ingens hominum turba promittitur quae ut felicissimis reipublicae temporibus laeta regionem occupabit. Ipsa quoque comparatione sacra laetitia significatur et populus tamquam oblatio Deo accepta describitur. Populi theocratici multiplicatio maxime de tempore messiano praedicari solet; vide Is. 66,8. Ier. 3,16; 30,19; 33,22. Os. 1,10. Mich. 2,12.

d) **Populus mortuus ad vitam revocatur 37, 1-14.**

Ad fidem, fiduciam, animorum alacritatem augendam praeclara subiicitur imago et figura restaurationis qua ad oculum demonstratur id quod hominibus plane fieri non posse videtur neque ullo pacto humanis viribus effici potest Deum et facere valere et velle; « famosa est visio et omnium ecclesiarum Christi lectione celebrata » (*S. Hier.*); v. 1 « *Facta est super me manus Domini et eduxit me in spiritu Domini et dimisit me in medio campi qui erat plenus ossibus* »; — actionem spiritus Dei in se vocat manum Domini (*S. Ephr.*); vide 1,3 et 33,22; hebr. verte cum LXX et *Syro* (etiam secundum accentus *mas.*) *et eduxit me in spiritu Dominus* vel Iahve (cf. *Pint. Calm. Troch.*), qui loquendi modus etiam ad 8,3 et 11,24 efformatus est; « sensus est : non corporaliter ductus sum de loco ad locum, sed totum hoc per spiritum imaginarie mihi ostensum est; videbar enim mihi egredi ad quendam campum » etc. (*Pint.*) vel ut *Theod.* notat : « spiritualis haec rursum contemplatio est neque enim oculis corporis ea cernebat quae sibi ostendebantur sed sanctissimi Spiritus revelationem percipiebat ». Iubetur ossa illa attente considerare v. 2 « *et circumduxit me per ea in gyro; erant autem multa valde super faciem campi siccaque vehementer* »; — « fecit eum ossa omnia circuire quae non erant operta humo sed super campum iacentia, nec solum multa sed multa nimis et propter temporis vetustatem arida siccaque vehementer et nihil in se humoris habentia » (*S. Hier.*); proinde ab omni specie vel umbra vitae erant quam maxime remota; qua in re sicut in multitudine quoque magnitudo depingitur miraculi et potentiae divinae eorum resuscitatione facta.

Quaestione posita excitatur vatis attentio ad rem cunctas vires humanas longissime superantem v. 3 « *et dixit ad me : fili hominis, putasne vivent ossa ista? et dixi : Domine Deus, tu nosti* »; — i. e. homi-

nibus id fieri posse plane non videtur; totum esse penes Dei potentiam et voluntatem; v. 4 « *et dixit ad me : vaticinare de ossibus istis et dices eis : ossa arida audite verbum Domini* »! — Deus non immediate per se, sed per prophetam tamquam causam ministerialem vel instrumentalem ea vult ad vitam revocare, id quod et ad totam Dei cum hominibus agendi rationem accommodatur, et praesertim ad modum quo per prophetam populum ad instaurationem praeparare vult. Uti in oraculis fieri solet, illa ipsa de quibus vaticinia funduntur interpellantur, id quod ad sermonis sollemnitatem factum est simulque clare exhibet rem omnem ad Dei nutum esse obedientem nihilque Dei voluntati resistere, sed omnia vocem Dei *audire* etsi alias nullatenus audiunt. Deus quippe vocat ea quae non sunt tamquam ea quae sunt (Rom. 4,17): unde v. 5 « *haec dicit Dominus Deus ossibus his : ecce ego intromittam in vos spiritum et vivetis,* v. 6 *et dabo super vos nervos et succrescere faciam super vos carnes, superextendam in vobis cutem, et dabo vobis spiritum et vivetis et scietis quia ego Dominus* »; — in v. 5 eventus proponitur summatim, in v. 6 describitur per gradus singulos : « primum ossa cum aliis ossibus nervorum vinculis colligantur, deinde implentur carnibus et desuper ob pulchritudinem extenditur cutis quae nudarum carnium operiat foeditatem et tunc accipiunt spiritum qui vivere ea faciat, et postquam vixerint, tunc cognoscant quod ipse sit Dominus » (*S. Hier.*).

Propheta iussa exsequitur v. 7 « *et prophetavi sicut praeceperat mihi; factus est autem sonitus prophetante me et ecce commotio : et accesserunt ossa ad ossa, unumquodque ad iuncturam suam;* v. 8 *et vidi et ecce super ea nervi et carnes ascenderunt et extenta est in eis cutis desuper et spiritum non habebant* »; — etiam hic valet : dixit et facta sunt; primum fit strepitus, seu fragor, hebr. *vox; Vat.* explicat de tonitru, alii de sono tubae vel vocis Domini (cf. 1 Cor. 15,52 canet enim tuba); communiter tamen de strepitu ossium sese moventium et ad suum corpus et socium accedentium (*Mald. Mar. Lap. Men. Calm.*) et inter se collidentium. Commotionem pariter accipiunt vel de terrae motu; ita videntur LXX σεισμός; is enim σεισμός Dei adventum declarabat, ut *Theod.* exponit; si Deus autem descendit, terra tremere dicitur; sim. *Vat. C.;* alii vocem accipiunt de fragore vel crepitu ossium (*Mar. Troch. Schr. Keil, Sm.*); alii utramque acceptionem ponunt : vel terrae motum vel ossium. Hoc quoque videtur *S. Hier.* : « statim est facta commotio ossaque in suam sunt applicata compagem, astricta nervis, plena carnibus, pelle cooperta ». Hebr. קוֹל non adest apud LXX; legitur tamen φωνή in A, Ar, K, apud *Theodoretum* et etiam *S. Hier.* in sua versione ex LXX facta vocem exprimit quae pariter

sine aster. legitur in XII. 22. 23. 26. al.; altera vox רעש et tremorem dicit et strepitum vel tumultum; vide Ez. 3,12. 13; 12,18; 38,19. 1 Reg. 19,11. 12. Is. 9,4; 29,6 etc. Hoc loco convenientius videtur, ut vox de fragore vel commotione ossium accipiatur, ita ut ad vocem prophetae statim fiat quasi responsio sonitu et motione ossium. Id magis efficaciam verborum eius delineat quam tonitruum interpositum et terrae motus.

Uti in prima hominis formatione distincte et clare corporis effectio et animae vitalis immissio inter se separantur et describuntur, quo pateat animam non originem ducere ex materia praeiacente, ita idem observatur in hac vitae reducendae effigie (*S. Hier. Theod.*) v. 9 « *et dixit ad me : vaticinare ad spiritum, vaticinare fili hominis et dices ad spiritum : haec dicit Dominus Deus : a quattuor ventis veni spiritus et insuffla super interfectos istos et reviviscant* »! — רוח hic explica de vento, qui sit imago quaedam spiritus vitalis et qui dum super ossa fertur symbolice, ad aspectum auditumque apte eorum exprimit et ostendit animationem; v. 10 « *et prophetavi sicut praeceperat mihi et ingressus est in ea spiritus et vixerunt steteruntque super pedes suos exercitus grandis nimis valde* »; — ex v. 9 cogita, dum propheta illa verba iubente Domino proferret, ventum insufflasse super ossa; quo facto corpora illa viva surrexisse et exercitum innumerabilem coram vate admiratione pleno adstitisse.

Iam quid haec visio et haec imago sibi velit, ipse Dominus vati aperit v. 11 « *et dixit ad me : fili hominis, ossa haec universa domus Israel est; ipsi dicunt : aruerunt ossa nostra et periit spes nostra et abscissi sumus* »! — in ossibus igitur aridis respublica depingitur Iudaeorum exstincta et conditio exsulum abiecta et per se spectatis viribus humanis destituta spe omni. Idcirco ossa *interfectorum*, vi occisorum dicuntur; simulque ea imagine repraesentatur, quomodo ipsi exsules de statu suo civili iudicium ferant; « nam ut ossa arida per se animum recipere et ad vitam redire nequaquam possunt, sed necesse est ut divino favore adiuventur, sic Hebraei in babylonica servitute constituti nec ad patriam reverti per se poterant nec a misera captivitate liberari, nisi eos Deus mirabiliter eriperet » (*Pint.*). Unde quid imagine illa portendatur, iam extra dubium ponitur; nam « ostendit Deus suscitatis ossibus fore etiam ut illi qui similes mortuis esse videbantur, a captivitate et oppressione qua quodammodo sepulti erant liberentur et in pristinam conditionem restituantur » (*Mald.* sim. *Mar. Lap. Tir. Calm.*). Ut igitur spes illorum erigatur, ut sibi persuadeant fore ut ad novum vigorem res eorum a Deo suscitentur et qui iam a vita abscissi videbantur et morti traditi ad novam eamque meliorem vitae theocra-

ticae conditionem a Domino reducantur, ideo Deus spondet illis liberationem interposita sua potentia v. 12 « *propterea vaticinare et dices ad eos : haec dicit Dominus Deus : ecce ego aperiam tumulos vestros et educam vos de sepulcris vestris, populus meus et inducam vos in terram Israel* »! — in tumulis et sepulcris innuit, etsi status captivitatis sit quam maxime miserabilis, ita ut totus populus ab aliis censeatur plane exstinctus et interitu sempiterno sepultus ratione habita status civilis, se tamen et posse et velle opprobriis sepultos et a gentibus conculcatos et interitui devotos liberare et ad novum vigorem evehere.

Tali quippe opere Deus se praestabit revera Deum viventem qui ut ipse est vita perfectissima, ita suos quoque ad veram vitam revocare potest et efficere ut quaecumque dixerit et promiserit vere ad effectum perducantur; quare optime hebr. nomen *Iahve* interponitur v. 13 « *et scietis quia ego Dominus, cum aperuero sepulcra vestra et eduxero vos de tumulis vestris, popule meus,* v. 14 *et dedero spiritum meum in vobis et vixeritis et requiescere vos faciam super humum vestram et scietis quia ego Dominus locutus sum et feci, ait Dominus Deus* »; — illi igitur ad novam vitam adducuntur eo quod Deus dabit spiritum suum in animos eorum; spiritus Domini fons erit et quasi motor novae vitae; unde iterum, cum spiritus Domini sit ipsa sanctitas et ad sancta solum et nobilia hominis animum possit impellere, indoles declaratur spiritualis instaurationis. Quid enim spiritus Domini animis infusus sit effecturus, vates iam 36,26. 27 et 11,19 praeclare docuit. Nota quoque in v. 12. 13 repetitam populi compellationem, qua Deus animum suum benevolum ostendens deiectos blande solatur et se tamquam bonum pastorem (34,12. 15) populo suo exhibet. Etiam hic reditus in Iudaeam tamquam initium et praeambulum instaurationis proponitur. Spiritu Domini accepto adesse significatur veram vitam pacemque imperturbatam; eo quippe praesente habetur vita illa qua ex thesauro Dei bona cuncta promanant.

Ex iis ipsis quae in textu sacro leguntur perspicuum est hic non primo et per se de resurrectione mortuorum oraculum fundi. Nam ossa illa non sunt ossa mortuorum simpliciter, sed interfectorum, quibus, uti v. 11 explicite statuitur, domus Israel, populi status miser in exsilio republica destructa designatur. Ipsa vero vita ossibus illis inspirata significatur ex v. 12-14 reditus ex captivitate et novae theocratiae institutio. Et hunc esse imaginis sensum directe et per se interpretes quoque agnoscunt (cf. *S. Ephr. Hier. Theod. Vat. Mald. Mar. Lap. Tir. Calm.*); sunt tamen qui argumentum duci velint a corporum resurrectione tamquam e re certissima ad liberationem illam (*Pint.*) vel utrumque ex aequo hic demonstrari (*Men.*). Verum iam *S. Hier.* advertit contra eos « qui putant de resurrectione quae ab omnibus

et Iudaeis et Christianis creditur, Dei esse sermonem » facere quaestionem id quod in v. 11 dicatur, « eo quod non de generali resurrectione sed proprie de resurrectione dicatur domus Israel, quae dicat : aruerunt ossa nostra... et si, sicut nonnulli arbitrantur, de generali resurrectione dicit sermo divinus, quid necesse fuit specialiter dici : et inducam vos in terram Israel, cum in omni orbe terrarum resurgere debeant mortui ex his locis in quibus sepulti sunt »? Sed, pergit s. doctor, qui locum hunc de resurrectione mortuorum interpretantur, « non debent nobis facere invidiam quod istum locum aliter exponentes resurrectionem negare videamur. Scimus enim multo robustiora testimonia et in quibus nulla sit dubitatio in Scripturis sanctis reperiri »; dein affert Iob 19,26. Dan. 12,2. Matth. 10,28. Rom. 8,11; « ex quo perspicuum est non nos resurrectionem negare, sed haec non scripta de resurrectione contendere et per resurrectionis parabolam de restitutione Israel prophetari ».

At simul ostendit indirecte ex ea parabola perveniri ad ipsam mortuorum resurrectionem posse : « nec statim haereticis occasionem dabimus, si haec de resurrectione communi intelligi denegemus. Nunquam enim poneretur similitudo resurrectionis ad restitutionem israelitici populi significandam, nisi staret ipsa resurrectio et futura crederetur, quia nemo de rebus non exstantibus incerta confirmat. Totaque nostra illo tendit assertio, quod quomodo videtur incredulum quod ossibus aridis et multa vetustate confectis futura resurrectio promittatur et tamen futurum est quod promittitur, sic et restitutio populi Israel... videtur quidem incredibilis his qui Dei non norunt potentiam, sed tamen futura est ». Eodem modo *Tertullianus* quoque loquitur : « non posset de ossibus figura componi, si non id ipsum et ossibus eventurum esset; nam etsi figmentum veritatis in imagine est, imago ipsa in veritate est sui; necesse est esse prius sibi quo alii configuretur » etc. (de resurrect. carn. c. 30; *M.* 2,837). Atque hanc arguendi rationem amplectuntur haud pauci; ita *Mald.* advertit ad v. 11 : « ex quo perspicuum est non agi hoc loco de futura resurrectione quamvis ea etiam hinc probari possit; nec enim Deus hanc similitudinem ossium proposuisset, nisi mortui surrecturi essent. Non enim consuevit parabolas proponere nisi iis in rebus quae fieri possunt ac solent »; similiter *Calm.* fatetur oblique tantummodo et veluti ex consequenti inde resurrectionem mortuorum demonstrari; praeterea ad eandem sententiam accedunt *Reinke* (die mess. Weissag. 4,1 p. 125), *Loch, Troch.* aliique.

Si ipsam visionem consideramus, id perspicuum sine ullo dubio est exhiberi potentiam Dei quae mortuos quoque ad vitam revocare *possit;* et si perpenderis ad quid visio illa concedatur prophetae, pariter certum est hanc Dei potentiam dari quasi pignoris loco Deum et posse et velle populum ex statu illo misero ad novam melioremque vitam adducere. Sed praeterea simul ob oculos habere oportet quomodo doctrina de vera resurrectione mortuorum iam apud Israelitas aliis s. Scripturae effatis fuerit praeparata et indicata. Ad eam enim via quasi sternitur, dum legimus : Dominus deducit ad inferos et reducit (1 Reg. 2,6) et Am. 9,2 : si descenderint usque ad infer-

num, inde manus mea educet eos etc. quibus verbis saltem iniicitur mentibus cogitatio posse fieri ut quis ab inferis ad hanc reducatur vitam. A qua cogitatione minime alienum est quod Achaz regi eligendum proponitur Is. 7,11 : pete tibi signum in profundum inferni; quibus verbis etiam ipsa mortui alicuius resurrectio optioni regis relinquitur. Si istis locis cogitatio de resurrectione mentibus ingeritur, iam ex aliis in quibus plena mortis destructio et victoria de morte tandem reportanda enuntiatur, facile gressus fieri potest saltem ad opinionem quandam et coniecturam de resurrectione futura. Etenim si mors penitus est destruenda et triumphus de ea agendus, praeda illa immensa quam fecit mors i. e. cadavera illi sunt eripienda; alias enim mors in suo regno quod cadaveribus constat adhuc victrix dominatur. Quare verba : praecipitabit mortem in sempiternum (Is. 25,8) et : ero mors tua o mors, morsus tuus ero inferne (Os. 13,14) a cogitatione resurrectionis futurae haud videntur esse aliena. Clarius atque distinctius ea notio exprimitur Is. 26,19 : vivent mortui tui, interfecti mei resurgent; expergiscimini et laudate qui habitatis in pulvere quia ros lucis ros tuus et terra umbras (mortuos) proiiciet (hebr. vide comment. in Is. I p. 482-484). Haec igitur cum antecesserint tempora Ezechielis et doctrinam resurrectionis mentibus ingesserint, fere necessario fieri debuit, ut in visione hac non solum cernerent quid Deus facere posset, sed potius perciperent Deum qui cadavera ad vitam olim sit reducturus pro sua potentia, iam nunc eo argumento velle omnes reddere certos de nova vita ad quam populum sit evecturus. Quare haud immerito multi SS. Patres ex hoc Ez. loco argumentum promunt ad resurrectionis veritatem persuadendam v. g. *Clemens* romanus ep. 1 ad Corinth. c. 50; *M.* 1,313; *Iustinus*, Apol. 1. n. 52; *M.* 6,405; *Irenaeus* c. haeres. 5, 15,1; *M.* 7,1164; *Origenes*, in Levit. hom. 7,2; *M.* 12,481; in Ioann. tom. 10 n. 20; *M.* 14,371; *Cyrillus* hieros. catech. 18,15; *M.* 33,1036; *Epiphanius*, Ancor. 99; *M.* 43,196; *Ambrosius*, de interpell. Iob et David 1, 5,15; *M.* 14, 804; de Spir. s. 3, 19,149; *M.* 16,811; de excessu fratris 2,73; *M.* 16,1335; etiam auctor quaestionum ad orthodoxos qu. 45 idem profert argumentum *M.* 6,1289. Alios Patres sat multos recensent *Reinke* l. c. p. 125 et *Tailhan*, Analys. bibl. Kilber. I p. 449.

Cum visio haec de ossibus aridis ad domum Israel applicetur quae propter peccata sit in exsilium eiecta, alii eam ad peccatores quoque accommodant. Audi v. g. *Pintum* : « cum per captivitatem peccatum intelligatur et qui captivi erant ossibus aridis comparentur, non est dubium quin per ossa arida peccatores intelligantur. Et merito quidem; fieri enim non potest ut impii per se, ex viribus propriis iustificentur. Cum autem a peccati morte redeunt ad vitam iustitiae, hoc Dei misericordiae tribuitur qui gratiam suam largitur peccatori ».

c) De novo populo theocratico 37, 15-28.

« Reditum pollicitus futuram post reditum tribuum concordiam praedicit » (*Theod.*). Dissidium illud inter Iuda et Israel malorum plu-

rimorum erat ferax et miserum praebebat aspectum populus qui debebat Dei esse inimicitiis inter se divisus. Quare ut ab illo schismate origo ducebatur ruinae et idololatriae, ita in instauratione primum erit stabilem constituere concordiam. Eam iam praedixit Michaeas 5,3; eam celebravit Ieremias 3,18; 31,6; eam actione symbolica praefigurare Ezechiel iubetur v. 15 « *Et factus est sermo Domini ad me dicens* v. 16 *et tu fili hominis sume tibi lignum unum et scribe super illud Iudae et filiorum Israel sociorum eius, et tolle lignum alterum et scribe super illud Ioseph ligno Ephraim et cunctae domui Israel sociorumque eius* v. 17 *et adiunge illa unum ad alterum tibi in lignum unum, et erunt in unionem in manu tua* »; — priori ligno inscribendum est : *Iudae et filiis Israel sociis eius* vel pro Iuda et iis ex filiis Israel qui cum Iuda societatem inierunt; nam ad regnum Iuda pertinebant etiam tribus Beniamin et Simeon et tribus Levi; insuper variis temporibus pii Israelitae ex regno septemtrionali sedem transtulerunt in regnum iudaicum (2 Par. 11,13-17; 15,9; 30,11. 18; 31,1). Alterum lignum designatur *Ioseph et cunctae domui Israel sociis eius*, i. e. omni Israel qui pertinet ad regnum alterum; seligitur Ioseph quia tribus ab eo ortae, Ephraim et Manasse, in eo regno potentissimae erant. Quod additur *lignum Ephraim*, explica ex v. 19; videtur hic per parenthesin quasi insertum, ut declaretur in Ioseph intelligi Ephraim quae tribus praecipua erat; uti enim lignum Iuda, ita lignum Ephraim dicitur ad illam tribum designandam e qua reges prodibant. Suspicatur *C*. lignum Ephraim h. l. ex v. 19 esse ortum et quia concinnitas inscriptionis cum priore perturbetur perperam intrusum eiici debere. Sed concinnitas illa non requiritur; unde altera inscriptio etiam sola voce Ioseph vel pro Ioseph constare potest, cui explicationis gratia additur id esse lignum quo Ephraim et reliquae tribus Israel significentur. Fortasse praeferenda erit haec explicatio, quia postquam de Iuda et Israelitis regno iudaico adiunctis sermo erat, in Ioseph reliquos Israelitas intelligi iam per se patet; insuper quia in Iuda non statim etiam aliqua pars Israelitarum intelligi poterat, necesse erat id adiungere; minime autem necesse fuit efferre ad regnum ephraimiticum adnumerari Israelitas. Actio praecipitur vati haud absimilis ei quae Num. 17,1 seq. (hebr. 17,16 seq.) narratur.

Vatem actionem hanc palam peregisse et duo ligna in unum iuncta coram populo gestasse neque haec solum mente et imaginatione, ut vult *Reinke*, esse facta, ostenditur v. 18 « *cum autem dixerint ad te filii populi tui loquentes : nonne indicas nobis quid in his tibi velis?* v. 19 *loqueris ad eos : haec dicit Dominus Deus : ecce ego assumam lignum Ioseph quod est in manu Ephraim et tribus Israel quae sunt ei adiunctae*

et dabo eas pariter cum ligno Iuda et faciam eas in lignum unum et erunt unum in manu eius »; — lignum vel sceptrum Ioseph erat in manu Ephraim quia haec tribus ex Ioseph orta prae aliis et numero pollebat regiaque dignitate et suum nomen toti regno israelitico imponebat; de numero vide Ios. 17,14. 1 Par. 12,30; primi reges israelitici erant ex tribu Ephraim (Ieroboam, Nadab) et nomine Ephraim totum regnum designari saepe solebat Is. 7,2. 5. 8. Os. 4,17; 5,9; 12,1 etc. Deus unum efficiet populum dissidio sublato et ita quidem ut in manu Iuda i. e. sub domo David uniantur. Davidi enim regnum perpetuum erat promissum; defectio a domo David erat simul defectio a Deo eiusque vero cultu; unde ad efficiendam theocratiam ad domum David i. e. ad regnum Iuda erant reducendi; nam pastorem unum, servum David iis Deus suscitabit 34,23. In textu hebr. legitur *in manu mea,* ita ut ipse Dominus auctor et effector unitatis dicatur. Apud LXX legitur *in manu Iudae;* idem habetur in *vulg.* in manu *eius,* quae lectio בידו etiam in uno alterove codice hebr. invenitur. Cum in subseq. de rege ex Iuda qui unitatem efficiat sermo inducatur, lectio haec plane apta est. Explicat *Chald.* coram me. Virga Ephraim, ut notat *S. Hier.,* iungitur virgae Iuda, ut nequaquam vocetur Iuda et Israel, sed uno nomine appellentur Iuda. Atque revera qui redierunt ex exsilio iam communi vocabulo Iudaei vocabantur omisso discrimine et varietate tribuum.

Quantopere haec unitas in pretio habenda sit, symbolo omnibus palam proposito et oraculo declaratur v. 20 « *erunt autem ligna super quae scripseris in manu tua in oculis eorum,* v. 21 *et dices ad eos : haec dicit Dominus Deus : ecce ego assumam filios Israel de medio nationum ad quas abierunt et congregabo eos undique et adducam eos ad humum suam* v. 22 *et faciam eos in gentem unam in terra in montibus Israel et rex unus erit omnibus imperans et non erunt ultra duae gentes nec dividentur amplius in duo regna* »; — cf. 36,24. Exemplum hic habemus illustre, quomodo inchoatio vel praeparatio instaurationis et eius perfectio messianica uno complexu proponantur. Nam in v. 21 reditus praedicitur ex exsilio, cui immediate tempus subiungitur messianum; est enim rex ille unus omnibus imperans, uti ex v. 24 et ex 34,23 elucet, nemo alius nisi ipse Messias (cf. Is. 9,6; 11,1. Ier. 23,5; 33,15). Quantum vero bonum in ea unitate situm sit, repetita eius mentione ostenditur et commendatur eo quod ipse Deus se eius auctorem fore saepius effert et unitatem illam conservari affirmat per Messiam regem. Quemadmodum unus solum exsistit Messias et salvator, ita qui eius salutis volunt esse consortes unionem inter se sacram servent necesse est. Atque revera Christus precatione ardenti hanc pro suis unionem

a Patre efflagitavit (Ioan. 17,21). Ex quibus facile est concludere quantopere Deus odio habeat dissidia et schismata, quibus misere impeditur quominus omnes fiant unum ovile sub uno pastore rege (Ioan. 10,16); vae illis qui eiusmodi scandala in mundum inferunt et oracula prophetarum et precationem Christi effectu partim spoliare attentant, dum unum Dei populum in varia regna diversitate fidei dividere atque discerpere conantur!

Indolem instaurationis denuo exhibet oppositam tempori priori causisque illis quibus ruina est adducta v. 23 « *neque polluentur ultra in idolis suis et abominationibus suis et cunctis iniquitatibus suis, et salvos eos faciam de universis sedibus in quibus peccaverunt et emundabo eos et erunt mihi populus et ego ero eis Deus* »; — cf. 14,11; 36, 25. Qua ratione unitas illa servanda sit, indicatur, vera scil. pietate; quae igitur si defuerit, eo ipso periculum scissionis imminet. Apud LXX non fit mentio de sedibus in quibus peccaverint et ex quibus salvandi sint, sed sensu planiore : et eruam eos ex omnibus iniquitatibus eorum in quibus peccaverunt (uti *S. Hier.* graeca vertit); similiter *Sym.* praebet ἀποστροφῶν. Quare recte *Houbig.* iam monet multo melius graecum interpretem vertisse ex scriptione hebr. משׁובתיהם *ex aversionibus eorum* (una scil. littera ו transposita pro *mas.* 'מוש) « qui significatus melius quadrat in verbum הושׁעתי nec non in res antecedentes, in quibus tangitur liberatio a peccatis non autem ab habitaculis » (*Houbig.*), quam emendationem etiam *Sm. C.* adoptant; vocem illam vide Ier. 2,19; 3,22; 5,6 etc. Textum hebr. explicant plerique : ex omnibus locis in quibus captivi habitarunt et aliarum gentium exemplo peccarunt eos eruam; in qua acceptione autem duo offensionem et suspicionem movent, inferri scil. subito sermonem de sceleribus in exsilio commissis et promitti liberationem iis qui se gentium moribus reddiderint conformes, cum tamen ii qui gentilem vivendi rationem amplexi sunt nullatenus venia in patriam redeundi oblata potiri vellent. Neque dubium esse potest quin vox *peccandi* non de quolibet defectu leviore, sed de foedis sceleribus, uti in membro priore, accipienda sit. — Alii *sedes* vel habitationes de locis in Iudaea concipiunt eo sensu, ut Deus dicat se omnia ex iis removere quae iis occasio esse possent idololatriae et iniquitatis; at haec explicatio et coacta est neque verbis convenit; pauci codices hebr. legunt *in* omnibus sedibus (cf. *de Rossi*), quae lectio sensum faciliorem praebet.

Regnum Dei quod vocibus : erunt mihi populus et ego ero eis Deus, depingitur perfecte demum constituitur per Messiam qui sanctitatem consummatam docebit et in suis efficiet v. 24 « *et servus meus David rex super eos et pastor unus erit omnium eorum; in iudiciis meis am-*

bulabunt et mandata mea custodient et facient ea »; — vide 34,23 et 36,27 et 11,20. Nota quoties indoles spiritualis instaurationis i. e. pietas, observatio legum Dei etc. commemoretur. Hac autem pietate et observantia mandatorum habitabunt securi v. 25 « *et habitabunt super terram quam dedi servo meo Iacob in qua habitaverunt patres vestri, et habitabunt super eam ipsi et filii eorum et filii filiorum eorum usque in sempiternum, et David servus meus princeps eorum in perpetuum* »; — vide 36,28. Sed quibus haec promissio datur? nempe iis qui mandata Dei fideliter custodiunt et Messiae regi dicto audientes subsunt. Quod cum Iudaei nullatenus praestitissent, ex norma supra tradita 33,13 etc. promissis hisce non sunt potiti. Messias rex regnum fundavit in aeternum duraturum « et regni eius non erit finis » (Luc. 1,33) et qui fideliter in eius regno sese continent, etiam pace eius fruuntur. Praeterea perpendere oportet in terra palaestinensi in qua regnum Dei prima iecit fundamenta, facile cerni typum et figuram regni Dei, quia vetus theocratia illius terrae limitibus fere erat circumscripta; quare sicut terra illa docente S. Paulo typus est patriae regnique coelestis (cf. Hebr. 4,3 seq.), ita quoque priore loco typus est regni Dei in terris constituti, cuius regni initium quoddam et prima erat adumbratio. Quare cum *Mald.* statuere possumus, sicut ponatur h. l. David pro Christo quia Christi gesserit figuram, ita etiam in terra palaestinensi signum poni pro re signata.

Uti Messias rex est in perpetuum, in quo promissio illa de throno aeterno Davidis impletur (2 Reg. 7,14), ita regni messianici bona deficient nunquam v. 26 « *et percutiam illis foedus pacis, pactum sempiternum erit eis et fundabo eos et multiplicabo et dabo sanctificationem meam in medio eorum in perpetuum,* v. 27 *et erit tabernaculum meum in eis et ero eis Deus et ipsi erunt mihi populus* »; — vide 34,25. Is. 54,10; 55, 3. Ier. 32,40; de sanctuario Dei et tabernaculo vide ad Is. 4,5. 6. Bona sunt pax perpetua et stabilis, regni Dei propagatio continua, Dei inter eos inhabitatio et praesentia singularis ac beneficentissima et demum bonorum divinorum amica in eos effusio et maxima inter Deum et populum amicitia, quae in ultimis verbis describitur. Tempore igitur messiano id habebitur perfecte ad quod foedus Dei cum populo natura sua et institutione tendit. Ceterum cf. 36,10. 11. 37; quod iam Lev. 26,9. 11. 12 legem Dei observantibus promittitur, id in regno messiano ratione sublimiori impletum iri asseritur.

Demum gentes quoque ad Dei cognitionem iri adductum et summum finem omnium Dei operum, gloriam Dei, fore praedicitur et ita ipsum hoc vaticinium praeclare absolvitur ultimo rerum omnium fastigio proposito v. 28 « *et scient gentes quia ego Dominus sanctificator Israel,*

cum fuerit sanctificatio mea in medio eorum in perpetuum »; — cf. 36,36. Dei *sanctuarium* erit in medio populo suo; ipse populum suum ad omnem erudit et adducit sanctitatem; gentes autem regno Dei stabilitò ipsae quoque cognoscent « me esse Dominum qui eos sanctificat » (*Theod.*); ita omnibus manifestum erit *Iahve* id opere implevisse quod nomine suo sanctissimo quasi in pignus dato promiserat.

4. *Ultima clades hostium theocratiae. Cap.* 38. 39.

Arg. — Gog rex potentissimus cum gentibus multis ultimo tempore veniet ad terram populi Dei in pace habitantis depraedandam (38,1-9). Cum enim populus habitaret secure neque armis et arcibus ad defensionem esset instructus, facilem victoriam et praedam ingentem rex sibi promisit. At res aliter cedet. Deus enim impetum hostium permittit, ut quemadmodum iam praedictum est, inimicus regni Dei tremendo iudicio et ruina terribili prosternatur, in quo potentia Dei et gloria illustri splendore fulgebit (38,10-23). Repetito clades hostium annuntiatur; tanta est eorum multitudo, ut septem annis Israelitae illorum armis ignem nutriant; hostibus sepultis terra emundabitur (39,1-16). Qualis clades futura sit, alia imagine proponitur : bestiae scil. undique ad victimas et convivium invitantur; tali autem excidio hostium Deus suam gloriam omnibus manifestabit, sicut eam omnibus reddit conspicuam eo quod mox populum suum ex captivitate reducet (39,17-29).

Ad instaurationis indolem plenius delineandam haec quoque prophetia multum confert. Ex ea enim denuo clare docemur, instaurationem non consistere in regno quodam armis potente, cum populus theocraticus nobis describatur tamquam habitans in terra absque munimento cui non sint moenia, vectes, portae; unde hac ipsa populi conditione inermi hostes invitari se profitentur ad agendam praedam. Regnum igitur Dei gentibus infirmum videtur ac debile, cum iis careat quae apud homines maximi aestimentur, armis, arcibus, apparatu bellico. Quare putant se impunitos posse regno Dei bellum inferre. Habebit proinde vi prophetiae etiam instauratio suos hostes debebitque certamina subire, sicut iam apud Ioelem prophetam indicatur (3,9 seq.; cf. Proph. min. I p. 240). Verum adest opitulator Deus qui uti impetum hostium permittit, ita eum franget atque in victoria praeclara et suae gloriae quam maxime prospicit et sui populi bonum insigniter promovet. Hisce autem praeclara enuntiari documenta quae in Ecclesia Christi per saeculorum cursum multis modis iam sint opere expressa et quibus generatim res Ecclesiae regantur ac gubernentur,

quis est qui non videat? Neque obstat quod in Gog eiusque exercitu *ultimus* hostis regni Dei nobis exhibetur (cf. 38,8. Apoc. 20,7); in ultimo enim hoste quasi in exemplo quodam cernuntur omnium hostium consilia, arma, incursus, denique clades quoque et excidium ad Dei gloriam declarandam et bonum populi Dei regnique promovendum. Unde quam apte haec adiungatur ad priores prophetias neminem potest latere.

a) **Exercitus Gog 38, 1-9.**

In regno quoque messiano fore certamina subeunda, fore hostiles incursus hoc oraculo aperte declaratur. Sequitur enim post vaticinium de rege uno David qui regnaturus est in populo Dei (37,24 seq.) et populus ad quem Gog ascendit ita describitur v. 8. 11, sicut instauratione facta populus Dei solet exhiberi (cf.37,25 seq. 36,11; 34,25 etc.). Accedit quod ipsi hostes qui theocratiam aggrediuntur iam non appellantur Aegyptii, Assyrii, Chaldaei, qui inimici erant et persecutores theocratiae veteris, sed hostes nunc nobis exhibentur ex regionibus remotissimis, nominibus plerumque peregrinis et in reliquis oraculis fere inauditis. Quibus ipsa temporis messianici designatio clara in v. 8 adiungenda est; quare de quonam tempore agatur, neminem fugere poterit; v. 1 « *Et factus est sermo Domini ad me dicens :* v. 2 *fili hominis pone faciem tuam contra Gog, terram Magog, principem capitis Mosoch et Thubal et vaticinare de eo* »! — cum oraculum praecipue feratur in Gog et non in terram Magog — excipe tamen 39,6 — hebr. melius vertitur *contra Gog terrae Magog* i. e. qui sit de terra Magog. LXX tamen et *Syrus* inserunt particulam *et :* contra Gog et terram Magog. Effertur in hebr. Magog cum articulo, ut gens illa ex Gen. 10,2 nota designetur. Volunt aliqui nomen Gog ex vocabulo regionis Magog a propheta esse confictum ad arbitrium (*Troch. Keil*); sed cum nomen etiam legatur 1 Par. 5,4 et cum nomina similia in inscriptionibus cuneiformibus quoque inveniantur — Gugu i. e. Gyges, Gagi; cf. *Schrader,* Keilinschr. u. A. T. p. 427 — non opus erit ad meram recurrere fictionem. Aliorum est coniectura Gog vocabulum sicut Pharao in universum significare regem vel dominatorem. Magog Gen. 10,2 alter est filius Iapheth. Antiqua est Iudaeorum traditio hoc nomine intelligi Scythas; ita *Iosephus,* Antiq. 1,6,1 et *S. Hier. :* « igitur Iudaei et nostri iudaizantes putant gentes esse scythicas, immanes et innumerabiles quae trans Caucasum montem et Maeotidem paludem et prope Caspium mare ad Indiam usque tendantur ». Atque haec sententia de Scythis etiam apud recentiores fere communis est. Intelligi

Massagetas (id quod unus alterve coniecit) communiter reiiciunt; vocabulum dici de Armenia septemtrionali et de provincia magna cui Gogarena nomen sit *Lenormant* tenet (les Origines II p. 470), cui sententiae *Kiepert* quoque adstipulatur quatenus Armeniam septemtrionalem et orientalem designari censet (cf. *Dillmann* ad Gen. 10,2).

In explicando membro sequenti נְשִׂיא רֹאשׁ veteres iam discrepant; LXX vertunt ἄρχοντα Ῥώς, ita ut Gog de terra Magog nominetur princeps nationum trium Rosch, Mosoch et Thubal. Eodem modo *Sym. Theod.* verterunt; refert enim *S. Hier.* : « Gog iuxta LXX, Symmachum et Theodotionem princeps est Ros, Mosoch et Thubal; primam gentem *Ros* Aquila interpretatur *caput* quem et nos secuti sumus, et revera nec in Genesi nec in alio Scripturae loco nec in Iosepho quidem... hanc gentem potuimus invenire; ex quo manifestum est Ros non gentem significare sed caput ». Esse gentis nomen inter recentiores defendunt *Gesenius*, Thes. ling. hebr. p. 1253, *Fürst*, Handwoerterb. s. v., item in lexico a *Mühlau* et *Volck* edito, *Schrader* l. c. *Lenormant* l. c. p. 456, *Delitzsch*, Paradies p. 322, *Troch. Schr. C.* multique alii. Sed ad quam gentem nomen referendum sit, non inter se consentiunt. Populi quidem Ros dicti et regiones tauricas habitantis apud scriptores byzantios et orientales haud infrequens est memoria, uti *Ges.* l. c. loquitur, apud quem eius rei testes afferuntur Leo diaconus, Tzetzes, Simon logotheta, Georgius monachus; scriptores quoque Arabum cognoscunt populum רוס dictum ad litus Wolgae habitantem numerosum et bellicosum, barbarum et immundum; quare *Ges.* non dubitat in Ros agnoscere nationem Russorum; item *Fürst* aliique; et ne coniectura audacior videatur, cum populum commemoratum a saeculi decimi p. Ch. scriptoribus iam ab Ezechiele septimo a. Ch. saeculo cognitum esse statuant, monent adesse eius gentis vestigium antiquum in Roxalanis; esse enim Roxalanorum nomen conflatum ex Ros vel Rox et Alanis qui scil. sint ex utraque gente mixti, id quod situ quoque pateat; esse enim medios inter Tauros et Alanos Roxalanos circa paludem Maeotidem; cf. *Ptolemaeus* 3,5. *Plinius*, Nat. Hist. 4,12. Alii autem hanc sententiam reiiciunt; cf. *Keil, Sm.* Aliis placet ad inscriptiones cuneiformes confugere; legitur enim in documentis saeculi octavi et septimi a. Ch. nomen regionis Raschu vel Raschi, « dont le nom correspond très exactement au Rosch et dont la situation géographique est telle qu'il se trouve fort naturellement compris dans le cercle de la domination de Gog. Cette situation est determinée en termes formels par la grande inscription du palais de Khorsabad, dîte des Fastes, laquelle mentionne, entre la Médie lointaine et le pays d'Ellibi (le pays d'Ecbatane), d'une part, les tribus de la Basse-Mésopotamie et de la Chaldée, de l'autre, Raschi qui touche à Elam qui est sur la rive du fleuve Tigre » (*Lenormant* l. c. p. 457); similiter *Delitzsch* l. c. aliis dubitantibus vel contradicentibus (cf. *Schrader* l. c. p. 427).

Vocabulum *rosch* sensu appellativo de principe summo explicant *Syrus*, *Aq. S. Hier. Chald.* et ex recentioribus *Keil, Sm.*; vocabula autem נְשִׂיא רֹאשׁ

coniungi explicant similiter sicut dicitur הַכֹּהֵן רֹאשׁ de summo sacerdote 1 Chr. 27,5 vel ut legitur in nummis מלך ראש et alia huiusmodi. Unde Gog, si haec explicatio est adoptanda, sibi subiectos habet principes vel reges Mosoch et Thubal, qui ei tamquam summo principi et imperatori obedientiam debent. Utra acceptio sit praeferenda dici nequit.

De Mosoch et Thubal vide ad 27,13 et 32,26; regiones inhabitabant montanas ad Pontum euxinum inter meridiem et ortum solis spectantes. Sed ex inscriptionibus cuneiformibus Salmanassar II et Tiglath-Pileser II et Asarhaddon consequitur Tabal regionem in media Asia minore collocari et fere cum Cappadocia coincidere, regionem autem et gentem Muski ex iisdem collocari ad orientem et septemtrionem a Tabal, proinde fere in Armenia minore (*Schrader* l. c. p. 83. 84). Unde ut ea quae in inscriptionibus traduntur cum iis concilientur quae apud scriptores posteriores leguntur, assumendum erit gentes illas prius sedes occupasse magis meridionales, postea autem septemtrionem versus migrare et se recipere coactas esse (cf. *Dillmann* ad Gen. 10,2, qui in Genesi antiquiorem exhiberi conditionem, posteriorem apud Ezechielem haud improbabiliter censet).

Impetum autem illum in regnum Dei a Deo permitti et a Deo tandem ad suum dirigi providentiae finem statim ab initio declaratur, ut omnia Deo gubernatori substare evidens fiat; unde v. 3 « *et dices ad eum : haec dicit Dominus Deus : ecce ego ad te Gog principem capitis Mosoch et Thubal* v. 4 *et circumagam te et ponam frenum in maxillis tuis et educam te et omnem exercitum tuum, equos et equites vestitos loricis universos, multitudinem magnam, hastam et clypeum arripientium et gladium* »; — hebr. שׁוֹבֵב vox est media : convertere (redire facere) vel abducere a recto tramite, seducere, igitur *allicere;* quo sensu alliciendi h. l. videtur esse positum; allicit eum Deus i. e. permittit, ut ex conditione populi inermi occasionem capiat eum invadendi. Sed omnia fieri sub nutu ac dominatione Dei, altero membro declaratur : ducam te et agam quocumque voluero, sicut equus freno regitur et domatur; qua imagine proleptice quoque iam ruina Gog innuitur; vide ad Is. 37,29. LXX hanc partem omittunt et v. statim incipiunt : καὶ συνάξω σε καὶ πᾶσαν τὴν δύναμίν σου (at totum legitur in K, apud Theodoretum et sine aster. in 23. 36. al.). Textus gr. utique est simplicior et facilior, unde a *C.* praefertur; neque tamen textus hebr. quem ceteri exprimunt testes contradictionem continet, ut *C.* contendit; nam etsi Gog libenter ad praedam advolat, tamen omnino dici potest et debet eum in tantum solum agere et vastare in quantum Dei nutu ac voluntate id permittitur; proinde eum esse totum sub Dei

potentia et demum domitum iri non est abs re hic iam inseri, praesertim cum facile ad v. 3 *ecce ego ad te* adiungatur. In hebr. non *loricae* nominantur, sed in universum dicitur omnem exercitum eius, equos et equites vestitos esse perfecte seu pulcherrime, pleno habitu et apparatu militari, cum scuto et clypeo, tenentes gladium universos; de verbis vide ad 23,12 (indutos *veste varia*, habet ibi *vulg.*) et 23,24. Quo magis terribilis videtur hostis, eo magis commendatur Dei potentia et providentia qua sicut equus lasciviens freno ducitur, ne aliud facere possit nisi quod Deus permiserit (*Theod. Mald. Lap.*).

Et quam grandis sit ille *coetus* (cf. 17,17) vel exercitus, ex eo elucet quod rex ille praeter suos subditos multas alias gentes foedere iunctas secum educit ad expeditionem; v. 5 « *Persae, Aethiopes et Libyes cum eis, omnes scutati et galeati,* v. 6 *Gomer et universa agmina eius, domus Thogorma, latera aquilonis et totum robur eius populique multi tecum* »; — ab oriente, meridie, septemtrione, ex regionibus dissitis plurima colliguntur agmina. Impetus itaque vehementissimus contra theocratiam praeparatur. Hebr. *Persae, Kusch et Phuth;* vide 30,5 et 27,10. Gomer Gen. 10,2 inter filios Iapheth primus recensetur, Thogorma autem inter filios Gomer, Kusch et Phuth inter filios Cham; ex posteris igitur Iapheth et Cham exercitus ille hostilis conflatur. Gomer intelligi Cimmerios iam *Tir.* et *Calm.* censuerunt et consentiunt quoque recentiores. Habitabant Cimmerii in regione septemtrionali a Ponto euxino et lacu Maeotide, gens antiquis bene nota (cf. Odyss. 11,14· Herod. 4,11; Strab. 3,2,12). In inscriptionibus cuneiformibus ex tempore Asarhaddon (681-668) etiam recitantur Gimirrai, qui sedes suas habebant in Asia minore; variae enim tribus gentis Cimmeriorum ex sedibus suis septemtrionalibus a Scythis pulsae migrarant in regiones Asiae minoris; immo veteres censebant Thraces asiaticos, Bithynios, Paphlagones, Phryges origine esse Cimmerios (cf. *Lenormant* l. c. p. 334 seq. *Dillmann* ad Gen. 10,2. *Schrader,* l. c. p. 80). De Thogorma vide 27,14; Armenia occidentalis intelligitur. Quod sequitur *latera aquilonis* non ad Thogorma pertinet, sed extrema pars regionis aquilonaris, regio igitur maxime dissita, nominatur ex qua copiae ad exercitum Gog venerint. Unde turba describitur immensa ex regionibus notis et aliis ignotis et maxime dissitis collecta.

Ab Armenis Cappadocia vocatur Gamir; cuius nominis rationem alii inde petunt quod post certamina cum Lydiis saeculo septimo habita pars Cimmeriorum sedes fixerit in Cappadocia. Aliter *Lenormant* l. c. p. 387 : « Je crois qu'il y a plutôt un vestige de l'extension ancienne de la désignation de Gomerites à toutes les populations phrygiennes de l'Asie Mineure ». Inde quoque explicatur, cur *Iosephus, S. Hier. Theod.* aliique Galatas (qui saeculo

tertio a. Ch. in Phrygiam septemtrionalem immigrarunt) ad Gomer referant. —*Schrader* l. c. p. 428 refert *latera aquilonis* ad Thogorma; unde Thogorma collocaretur in extrema parte aquilonis. Cimmerios quippe ait cum Asiam minorem invasissent occupasse Cappadociam et gentes Tubal et Meschech et probabiliter etiam Thogorma ab iis fuisse vel dispersas vel septemtrionem versus pulsas. Alii hanc coniecturam non admittunt, neque ea opus habemus quia nulla adest in textu neque necessitas neque ratio probabilis cur *latera aquilonis* referantur ad Thogorma. Ceterum *Lenormant* omnino negat Cimmerios sedes fixisse in Cappadocia, cum omnia veterum testimonia in id fere conspirent eos invasisse partes magis occidentales Asiae minoris, Paphlagoniam, Bithyniam, Phrygiam, indeque expeditiones suscepisse in Lydiam et Ioniam; l. c. p. 387.

Ut se ad expeditionem bellicam paret, Gog monetur, admonitione quippe irrisoria, cum in ea invasione ipse et exercitus eius sint prosternendi, v. 7 « *praepara et instrue te et omnem multitudinem tuam quae coacervata est ad te et esto eis in praeceptum* »! — vel in custodiam, ut *S. Hier.* ex LXX explicat i. e. esto eorum custos, defensor, dux et imperator, quo scil. agmen ducente tuti sint ac securi sub custodia adeo prudente et potente. Adesse ironiam bene notant *Mald. Mar. Lap. Men. Troch.* Iam ad quid debeat sese praeparare exercitumque instruere edicitur v. 8 « *post dies multos visitaberis, in novissimo annorum venies ad terram quae reversa est a gladio et congregata est de populis multis, ad montes Israel qui fuerunt deserti iugiter; haec de populis educta est et habitabunt in ea confidenter universi* »; — primis verbis alluditur ad Is. 24,22; unde quis sit exitus et poena Gog, simili modo proleptice indicatur, sicut in v. 4. Eo enim sensu *visitari* haud raro usurpatur et eadem notione hic a plerisque accipitur; quod alii volunt : mandatum tibi dabitur (*C.*), ex usu vocis probari nequit. Ultimo exitu praemisso designatur tempus quando et ad quam terram sit venturus. Veniet in fine annorum; cum adventus Gog aperte attribuatur tempori post instaurationem, haec dictio non dicit periodum messianam simpliciter, sed eius temporis ultimum spatium, prout etiam Apoc. 20,7 Gog et Magog in fine temporis extremum impetum in regnum Dei faciunt. Veniet autem ad terram quae post bellum et caedem incolarum iterum est instaurata, cuius habitatores collecti et congregati sunt ex multis populis; veniet ad montes Israel, qui diu deserti erant; tempus enim desolationis et calamitatis diuturnum videtur; unde iugiter; simili modo Is. 42,14 : tacui *semper* et 58,12 deserta *saeculorum*. Nunc vero terra i. e. incolae regionis educti sunt ex conditione illa desolationis et ex populis congregati et habitant in pace et securitate. Quibus omnibus instauratio iam facta

designatur; in pace et securitate habitandi beata conditio regni messianici describitur.

Verum etiam in beatis illis temporibus non deerit insectatio hostium; non deerit atra tempestas v. 9 « *ascendens autem quasi tempestas venies et quasi nubes, ut operias terram tu et omnia agmina tua et populi multi tecum* »; — tempestas scil. qua regio florens destruitur, nubes qua ad terrores augendos omnia tenebris involvuntur; cf. Ier. 4,13. Etiam hic duae exercitus partes distinguuntur : ii quorum Gog est rex et populi multi alii foedere et societate ei iuncti; similiter in v. 1. 5. 6.

Solent prophetae ad hostes theocratiae designandos non in universum et quasi in incertum sermonem dirigere, sed ex sui temporis conditione vel ex peculiari alicuius gentis indole occasionem arripere, ut in uno aliquo populo noto quasi in imagine quadam et exemplari inimicitias, odium, persecutiones in theocratiam, sed etiam ultionem depingant quam Deus de inimicis capiet. Eo modo sermo eorum magis redditur vivus, efficax, praesertim si populus ille iam saepius manum Dei ultricem expertus est. Apud Isaiam vidimus tamquam tales qui hostes theocratiae in se exhibeant in scenam produci et divinis iudiciis coerceri Babel, Moab, Edom (cap. 13. 25, 10; 34, 5), apud Michaeam Assyrium (5,5), Chaldaeos et Aethiopes et Madian apud Habacuc (1,6; 3,7) etc.; horum vestigia etiam Ezechiel premit. Unde impetum hostilem in theocratiam ad vivum describens nomina gentium ponit, non quasi hae gentes cum iisdem nominibus sint permansurae et demum ultimo tempore contra Deum eiusque regnum expeditione militari prorupturae, verum eo consilio ut aequalibus suis modo ad eorum cogitandi rationem accommodato exhibeat imaginem oppugnationis theocratiae. Est igitur expeditio haec militaris et invasio symbolum quoddam et involucrum, in quo distinguatur oportet ipsa res quae significatur a modo quo res exprimitur. Gentibus illis peregrinis ac dissitis declaratur fore inimicos feroces qui nulli labori parcant, nulla difficultate impediri se sinant quominus atrox bellum moveant in regnum et populum Dei; significatur maximus eorum numerus, significatur ubique, in omni gente et natione adversarios fore, qui laetis animis opem ferant seseque adiungant ei qui manus sacrilegas regno Dei inferat.

Et tale bellum atrocissimum gestum iri ultimo tempore regni messiani et apud vatem innuitur v. 8 et clare proponitur Apoc. 20,7. Unde in Gog ultimus et ferocissimus hostis regni Dei designatur. Quare multi antichristum eiusque contra Ecclesiam infestationem h. l. describi censent (cf. ***Mald. Pint. Sa, Lap. Est. Men. Gord.***). Ceterum sat magna quoque est sententiarum varietas. ***S. Ephr. Theod.*** oraculum intelligunt de irruptione populorum ad impediendam templi aedificationem post reditum ex exsilio. ***S. Ambrosius*** in Gog vidit Gothos, de qua interpretatione ***S. Hier.*** ita habet : « illud breviter admoneo quod vir nostrae aetatis haud ignobilis ad Imperatorem scri-

bens super hac natione dixerit : Gog iste Gothus est; cui qua ratione possint omnia quae in hac prophetia scripta sunt coaptari non est meum sed eorum qui hoc putant disserere ». Alii de quibus refert S. Augustinus (de Civ. D. 20, 11) Getas et Massagetas intellexerunt; alii ex nostris praesertim recentioribus, ut loquitur *Mald.*, Turcas esse volunt quod videant in Ierusalem i. e. in Ecclesiam immanes irruptiones facere. Bella describi cum Syris quae iam gesta erant aut deinde fore vates praedicit, sententia est a *Mar.* proposita, dum *Calm.* in Gog Cambysen regem Persarum agnosci vult qui ab aegyptiaca expeditione redux Israelis regionem invasit ibique supremum diem obiit; hisce positis commode omnes vaticinii partes explicari posse censet. Opinatur *Tir.* secundum corticem litterae intelligi in Gog Antiochum Epiphanem et populos ei subiectos, sed sensu allegorico principaliter intento a Spiritu s. designari antichristum. Alii (cf. *Loch*) eo nomine et exemplo omnes describi hostes qui per saeculorum cursum Ecclesiam sint oppugnaturi explicare malunt; ad quam sententiam accedit *S. Hier.* : « omnis igitur superbia et falsi nominis scientia quae erigit se contra notitiam veritatis his nominibus demonstratur »; simili modo loquuntur quoque *Est.* (omnem impiorum turbam designari) et *Mald.* : « vaticinatur de futuris Ecclesiae calamitatibus sub diversis tyrannis praesertim sub antichristo quos omnes vocat Gog, non quod ita vocandi sint aut ex regione Magog erupturi, sed quod barbari, immanes, crudeles sicut Gog futuri essent »; praecipue tamen antichristum designari affirmant.

b) **Eius invasio et clades 38, 10-23.**

Exponuntur consilia Gog et rationes quibus ad bellum populo Dei inferendum incitatur v. 10 « *Haec dicit Dominus Deus : in die illa ascendent sermones super cor tuum et cogitabis cogitationem pessimam* »; — *sermones* דברים explica, ut saepius fieri debet, *res;* ascendere super cor idem est atque in mentem venire; quaenam res ei in mentem veniant et quale consilium pravum excogitet et animo volvat, sequentibus declaratur v. 11 « *et dices : ascendam ad terram absque muro, veniam ad quiescentes habitantesque secure; hi omnes habitant sine muro, vectes et portae non sunt eis;* v. 12 *ut diripias spolia et invadas praedam, ut inferas manum tuam super eos qui deserti fuerant et postea restituti, et super populum qui est congregatus ex gentibus, qui possidere coepit et esse habitator umbilici terrae* »; — hebr. ascendam terram *regionum planarum* i. e. quae sit aperta invasioni, quae non sit moenibus custodita vel arcibus; vide de voce פרזות ad Zach. 2,4 (2,8 hebr.); alii vertunt *ad terram viculorum* i. e. ubi solum oppidula sunt quae hosti invadenti nullatenus resistere possunt. Conditio igitur inermis populi Dei hostem allicit; non est apparatu bellico instructus, ergo facillime ei cedet in praedam. Dein odio quoque et

invidia incitatur, quia populus Dei feliciter et quiete habitat, ac si inimicus Dei tranquillam et prosperam conditionem servorum Dei ferre non posset. Praeterea avaritia et cupiditate stimulatur spoliorum et feroci illa voluptate vastationis et destructionis inferendae rebus bene constitutis. Describitur indoles vere barbarica, cui felicitas aliorum odio est, cuius delectatio in miseria inferenda et ruinis consistit. Hebr. *ut convertas manum contra ruinosa restituta* vel habitata i. e. quae prius ruinae erant, nunc autem reaedificata et restituta sunt (*Vat.*), et *contra populum facientem quaestum et opes* i. e. qui parat sibi peculium et facultates, qui igitur bonorum quadam abundantia fruitur. Habitat in umbilico terrae i. e. in medio terrae habitatae, eodem sensu uti 5,5 Ierusalem in medio gentium esse dicitur, quo situ dignitas quoque theocratiae indicatur; ex ea enim in medio posita verus Dei cultus in omnem undique partem debet diffundi; circa eam reliquae gentes collocantur ut omnes ex ea documenta vitae morumque accipiant; similiter Mich. 5,7 reliquiae Iacob in medio populorum esse dicuntur quasi ros a Domino et quasi stillae super herbam, a quibus itaque fertilitas aliis regionibus impertienda i. e. salus exspectari debeat. Nota ea proferri ab inimico Dei quae omnes persecutores et adversarios Ecclesiae solent incitare : videtur Ecclesia debilis et infirma, utpote armis et favore potentium destituta; unde ei iniurias inferri posse impune quisque sibi facile persuadet; odio stimulantur in cultores Dei tranquille et feliciter viventes, eo scil. modo quo impii loqui solent : iustus gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius (Sap. 2,15); est quippe pius Dei cultor impiis odor mortis in mortem (2 Cor. 2,16); et quoties persecutiones institutae sunt ad bona Ecclesiae diripienda eiusque possessiones et opes rapiendas? Nonne eo ipso quod Ecclesia se in medio populorum positam esse affirmat tamquam eorum magistram, ducem, ingens adversariorum odium et furor excitatur? Quare haud immerito *S. Hier.* voces illas proferri ait a diabolo principe haereticorum; spirant enim odium illud quo diabolus ad opera Dei destruenda furore impotenti fertur.

Advertit *Mald.* : « putant Hebraei terram Iuda umbilicum terrae vocari, quod altissima totius terrae regio sit; quod sine ratione dictum est. Umbilicus dicitur quia in medio omnium terrarum quae tunc habitabantur, esse videbatur, sicut Cicero Ennam Siciliae urbem quod in media insula sita esset, Siciliae umbilicum appellavit »; cuius appellationis alia exempla *Lap.* affert. Vox טבור vertitur *umbilicus* a LXX et *S. Hier.*; talmudicis utique טיבור est *umbilicus*; at dubitari potest sitne haec notio vocis primitiva, an potius ab alia priore derivata. Nam uno loco quo praeterea vox legitur Iud. 9,37 accuratior est explicatio eius quod antea dictum erat : ecce de montibus multitudo descendit. Quare mons vel locus editus, fastigium

designari ea voce videtur, a qua notione fastigium ventris, umbilicus, suam acceperit apud talmudicos appellationem. Vide *de Hummelauer* ad Iud. 9,37; etiam *Calm.* vocem de monte, de Tabor, explicat. Cum Ezechiel terram Israel frequenter vocet *montes* Israel (6,2; 33,28; 35,12; 38,8), facile concipitur quomodo nunc post 38,8 terram designet tamquam *fastigium terrae*, tamquam regionem scil. eminentem, montibus insignem. *Syrus* vocem declarat *pulchritudinem* terrae, *Chald.* autem *fortitudinem* terrae; itane propter Iob 40,11 (hebr. 40,16)?

Dei inimicum stimulari mala cupiditate et avaritia, aliae quoque gentes statim advertunt et nationes quae mercaturam exercent accurrunt, ut scil. in spoliis quae Gog capturus sit mercaturam et quaestum exerceant v. 13 « *Saba et Dedan et negotiatores Tharsis et omnes leones eius dicent tibi : numquid ad sumenda spolia tu venis? ecce ad diripiendam praedam congregasti multitudinem tuam, ut tollas argentum et aurum et auferas supellectilem atque substantiam et diripias manubias infinitas* »; — in hebr. integra sententia per interrogationem effertur : venistine ad rapienda spolia? nonne ad capiendam praedam congregasti multitudinem tuam? etc.; alias leones appellantur reges (19,2; 32,2); at etiam mercatores ditissimi vocantur principes apud Isaiam de Tyro : cuius negotiatores principes, institores eius inclyti terrae (23,8); unde non mirum est principes et duces nationum illarum quae commercium exerceant etiam vocari leones; quare immerito censet *C.* vocem h. l. inepte poni. De Saba vide ad 27,22; Dedan 27,15; Tharsis 27,12 hebr. Sedula hac interrogatione approbant consilia Gog, iis delectantur et sua ex iis quoque emolumenta sperant ad quae capienda accurrunt undique etiam ex regione remotissima, ex Tharsis. Qua re indicatur persecutores theocratiae semper reperire laudem et approbationem et opem eorum qui studiis rerum mundanarum et lucro augendo sunt immersi; hi applaudunt atque sibi ipsi non modica commoda promittunt; ex omni quoque orbis terrarum parte audiuntur illi pugnam contra Ecclesiam laudantes et ad illam exhortantes et de illa tripudiantes.

Verum dum homines lucro rebusque terrenis dediti de conatu hostium Dei exsultant, aliam sententiam fert Deus v. 14 « *propterea vaticinare fili hominis et dices ad Gog : haec dicit Dominus Deus : numquid non in die illo cum habitaverit populus meus Israel confidenter scies* »? — i. e. nonne compertum habes populum habitare confidenter ideoque iniuriae et praedae esse opportunum (*Mar. Calm. Keil*)? vel ut alii explicant : tunc scies et experieris omnia in te impleri quae praedixi, scies ultionem Dei (*Lap. Men. Tir. Loch*); at facile consenties cum *Houbig.* : « videat lector an non forte in mendo sit תדע; hoc enim verbum sive accipitur pro neutro seu pro activo sententiam hoc

loco vix habet ullam; nos multo anteferimus scriptionem תער quam exhibent graeci interpretes in verbo ἐγερθήσῃ *exsurges* » quam emendationem etiam *Ewald, Hitz. Sm. C.* ex LXX adoptarunt. Atque ita sensus exsistit facilis et obvius : nonne ita est? eo tempore quo populus secure habitat consurges, te ad invasionem accinges. Lege ergo cum LXX תֵּעֹר et eius vocabuli usum eodem sensu vide Ier. 6,22. Ioel 4,12 hebr. et similiter Is. 41,25. Ad vocem hanc *consurges* optime adnectitur v. 15 « *et venies de loco tuo a lateribus aquilonis tu et populi multi tecum, ascensores equorum universi, coetus magnus et exercitus vehemens,* v. 16 *et ascendes super populum meum Israel quasi nubes ut operias terram; in novissimis diebus eris et adducam te super terram meam ut sciant gentes me, cum sanctificatus fuero in te in oculis eorum, o Gog* »! — *de lateribus aquilonis* i. e. ab extremo aquilone; ibi ergo terra Magog est collocanda; ceterum cf. v. 4. 5. 9; pro *eris* melius vertes cum LXX *erit* scil. id fiet ultimo tempore et ipse Deus dicitur eum adducere, ut ad solatium fidelium omnia a Dei nutu pendere, ab ipso permitti ad fines sublimes doceatur. Deus enim coram gentibus suam pandere vult gloriam et sanctitatem, dum infensissimum ac potentissimum hostem qui sacrilegas manus sanctae Dei hereditati infert, ad iniuriae et sceleris ultionem prosternit. Ea enim vindicta se ostendit sanctum, quia violationem sanctuarii sui et insolentiam ulciscitur, vel ut *S. Hier.* loquitur, poenis inflictis intelligent Deum iudicem; ita Deus se iustum exhibet et sanctum (*Mald. Mar. Pint. Calm.*); cf. 20,41; 28,22; 36,23; 39,27.

Eo maior illucescet gloria Dei, quia iam olim per prophetas Deus annuntiavit fore ut omnis qui se erexerit contra regnum Dei prosternatur; cum itaque Gog omnium hostium potentiam et furorem in se uno collegisse videatur, cuncta quae a prophetis de adversariis Dei eorumque interitu praedicta sunt, modo quodam eminentiore de Gog valent v. 17 « *haec dicit Dominus Deus : tu ergo ille es de quo locutus sum in diebus antiquis, in manu servorum meorum prophetarum Israel, qui prophetaverunt in diebus illorum temporum, ut adducerem te super eos* »; — illa intellige vaticinia, quibus gentibus et potestati Dei adversariae iudicium et ruina praedicitur, quae oracula in clade ultimi hostis demum perfecte implebuntur. Quare ad huius loci explicationem non est opus recurrere ad oracula prophetarum quae scripto consignata non fuerint (*Mar. Mald.*), verum sufficit meminisse cum *S. Hier. Theod.* aliisque Ioel 3,11. Is 24,1 seq. 25,10; 26,21; 34,2. Os. 2,18; 12,14. Mich. 4,13. Hab. 3,9 seq. Soph. 1,14 etc. Eo loquendi modo simul indicatur quod iam monet *Est.* non certas nationes significari per Gog et Magog, quia si de gente eo nomine appellata solum

valeret vaticinium inveniri non posset quomodo istud verum esset; nam ante Ezechielem eius nationis ut bellum moventis in regnum Dei nullus prophetarum meminit. Providentia quoque Dei egregie illustratur qua fidelibus suis prospicit praedicens persecutiones; tela enim praevisa minus nocent; ecce praedixi vobis, etiam Christus dixit ne animi suorum in tentationibus conciderent, sed firma fide et fiducia erigerentur. — Hebr. vertes : qui prophetarunt in diebus illis *per annos* (apud *Vat.* et recentiores).

Iam quali iudicio Gog sit prosternendus describitur v. 18 « *et erit in die illa, in die adventus Gog super terram Israel, ait Dominus Deus, ascendet indignatio mea in furore meo,* v. 19 *et in zelo meo, in igne irae meae locutus sum, quia in die illa erit commotio magna super terram Israel* »; — Dei enim iustitia et sanctitas provocatur insolentia hostis v. 11. 12; zelat Deus pro populo suo et in ira sua *locutus est* i. e. decernit, ut magnus fiat terrae motus in ea regione quam hostis invasit. Terrae motu saepe descensus iudicis Dei indicatur (Iud. 5,4. Ioel 4,16. Mich. 1,3. Nah. 1,5), terra dirupta iam olim adversarii Dei absumpti sunt et deleti Num. 16,30-32, et commotione terrae homines quam maxime terrentur; eiusmodi concussione iudicium de mundo induci iam docuit Isaias 24,1 seq. Quanto autem terrore omnia sint concutienda describitur v. 20 « *et commovebuntur a facie mea pisces maris et volucres coeli et bestiae agri et omne reptile quod movetur super humum cunctique homines qui sunt super faciem terrae, et subvertentur montes et cadent sepes et omnis murus corruet in terram* »; — cuncta igitur, animata et inanimata, trement et pro sua quaeque natura terrorem manifestabunt; vide Ier. 4,24. Soph. 1,3. Montes *destruentur* (hebr.) *et cadent rupes praeruptae;* vocem מדרגה LXX h. l. explicant φάραγγες, *S. Hier.* in commentario exponit de vallibus vel munitionibus, *Syrus* et *Chald.* de turribus; vocabulum non legitur nisi hic et Cant. 2,14, ubi in membro parallelo ad סֶלַע petram usurpatur. Quae vel natura vel arte industriaque hominum firmissima sunt, concident ad Dei iram et potentiam demonstrandam. Utitur creatura ad inimicos terrendos et destruendos; cf. Sap. 5,18 : armabit creaturam ad ultionem inimicorum; pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos (v. 21).

Iam describitur quale iudicium post tale praeambulum et quasi prooemium v. 19. 20 futurum sit ad Gog et eius exercitum destruendum v. 21 « *et convocabo adversus eum in cunctis montibus meis gladium, ait Dominus Deus, gladius uniuscuiusque in fratrem suum dirigetur,* v. 22 *et iudicabo eum peste et sanguine et imbre vehementi et lapidibus immensis, ignem et sulphur pluam super eum et super exercitum eius*

et super populos multos qui sunt cum eo »; — montes Domini sunt terra Israel; vide ad v. 12 et Is. 14,25; gladius quem Deus advocat varia sunt ultionum et punitionum genera; cf. Is. 34,5. Effunduntur in Gog omnia illa iudicia coniunctim, quibus Deus olim separatim hostes debellavit et coercuit; unde hac ipsa omnium iudiciorum et poenarum comprehensione hostis declaratur qui ut omnium malitiam in se colligit, ita omnium quoque poenis puniatur. Habemus igitur notionem iudicii ultimi quo singula iudicia comprehenduntur (vide quae dixi in comment. Is. I p. 450-452). Nam, uti factum est in clade Madian, in caede Philisthinorum, Ammonitarum, Moabitarum, Edomitarum (Iud. 7,22. 1 Reg. 14,20. 2 Par. 20,23), mutuis caedibus inter se conficient; alii interibunt peste et sanguine (vide ad 5,17; 14,19; 28,23), uti olim prostrati sunt Aegyptii, Assyrii, uti Deus superbiam punivit regis David etc. cf. Ex. 12,29; 4 Reg. 19,35. 2 Reg. 24,15. Alii imbre vehementi vel *inundanti* (hebr.), uti factum in diluvio; alii lapidibus immissis vel grandine, uti hostes olim tempore Moysis et Iosue prostrati sunt Ex. 9,24. Ios. 10,11 et uti contra pseudovates supra 13,11. 13 minatus est propheta; cf. Sap. 5,23. Eccli. 46,6. Apoc. 16,21. In alios demum immittet Dominus ignem et sulphur, ut olim in pentapolim, in servos impii regis Ochoziae et prout generatim in peccatores talis poena denuntiatur; vide Gen. 19,24. 4 Reg. 1,10 seq. Ps. 10,7. Apoc. 20,9. Eadem ruina interibunt qui societatem inierunt cum Gog et laeti ad eius expeditionem opem tulerunt.

Demum quis futurus sit omnium operum et iudiciorum Dei finis ultimus iterum declaratur v. 23 « *et magnificabor et sanctificabor et notus ero in oculis multarum gentium et scient quia ego Dominus* »! — i. e. me magnum et sanctum exhibebo (hebr.); maiestas Dei eiusque sanctitas praeclare manifestabitur et a populis cum reverentia et laude agnoscetur; vide ad v. 16; 35,11; 36,23; « his enim exitio datis qui tunc ignorabant me potestatem meam agnoscent meumque dominium adorabunt » (*Theod.*). Omnia ergo ad finem altissimum, ad Dei gloriam illustrandam, adductum iri sacer vates iterum iterumque monet.

c) **Quanta futura sit clades 39, 1-16.**

Repetito asseritur Dei nutu ac providentia permitti impetum adversariorum et eos plene devinci v. 1 « *Tu autem fili hominis vaticinare adversum Gog et dices : haec dicit Dominus Deus : ecce ego super te Gog principem capitis Mosoch et Thubal* »! — vel principem Ros, Mosoch et Thubal, ut habent LXX; vide ad 38,1; v. 2 « *et circumagam te et*

educam te et ascendere te faciam de lateribus aquilonis et adducam te super montes Israel »; — vide ad 38,4. 15. Cum Deus ultor maxime h. l. describatur, cum emphasi quoque dicitur Deum effecisse ut Gog ad suam perniciem expeditionem susciperet; quo sensu id dicatur, vide 38,11 seq.; eodem modo Deus improbos in reprobum sensum tradidisse dicitur vel obdurasse Pharaonem. Sed impia et sacrilega arma confringentur v. 3 « *et percutiam arcum tuum in manu sinistra tua et sagittas tuas de manu dextera tua deiiciam* »; — hebr. explica : confringam vel excutiam arcum *de* manu tua, sagittas de dextera tua cadere faciam. Alius indicatur modus cladis infligendae, diversus a 38,21. 22; quare modus prophetandi nobis exhibetur, in quo ipse interitus et prostratio hostium clare annuntiatur, sed singula poenarum et cladis infligendae genera non ad rei eventum pertinent, verum solummodo argumentum praecipuum exornant et magis audientium animis imprimunt. Eodem modo in sequentibus v. 4 « *super montes Israel cades tu et omnia agmina tua et populi tui qui sunt tecum; feris, avibus omnique volatili et bestiis terrae dedi te ad devorandum* »; — clades hic designatur, ignominia et opprobriis plena; corpora enim caesorum avibus bestiisque discerpenda et devoranda relinqui maxime probrosum censebatur; quare ad contemptum summum declarandum adversario id ante certamen annuntiabatur cf. 1 Reg. 17,44. 46; vide supra 29,5. Et additur confirmatio v. 5 « *super faciem agri cades quia ego locutus sum, ait Dominus Deus* »; — in montibus v. 4, in campo v. 5; igitur ubique ultione Dei prosternetur.

Neque solum qui in Gog exercitu militant, verum omnes adversarii Dei poenas dabunt; quare iterum indicatur iudicium ultimum, quo omnis potestas Deo inimica poenis addicetur v. 6 « *et immittam ignem in Magog et in his qui habitant in insulis confidenter et scient quia ego Dominus* »; — supra recensuit terras regionesque aquilonares, meridionales, orientales 38,1. 5. 6; nunc adduntur regiones maritimae, insulae, regiones igitur occidentales; ita notio iudicii universalis clare depingitur; terrae enim continentes et insulae igne vindice visitabuntur, cum Deus vindex sit ignis consumens. Ad ultimum exitium hostibus Dei inferendum ignis aptissime commemoratur; nam docente S. Petro in die Domini elementa calore solventur, terra autem et quae in ipsa sunt opera exurentur (2 Petr. 3,10; cf. 1 Cor. 3,13. 2 Thess. 1,8). Iudicio autem Deus suam manifestat gloriam et sanctitatem v. 7 « *et nomen sanctum meum notum faciam in medio populi mei Israel et non polluam nomen sanctum meum amplius et scient gentes quia ego Dominus sanctus Israel* »; — Deus nomen suum quasi profanat, vel profanari sinit, dum populus Dei ab inimicis affligitur (36,20),

dum scelera et oppressiones et insolentia hostium impune grassantur; hisçe enim sanctitati eius maxima infertur iniuria; quare sceleribus punitis apparet *sanctus in Israel;* vide 37,28. Os. 11,9. Et ita fore confirmatur v. 8 « *ecce venit et factum est, ait Dominus Deus; haec est dies de qua locutus sum* »! — veniet et erit vel fiet, certissime fiet; quibus verbis prophetiam hanc non in ancipite relinqui neque ex conditione quadam pendere, sed omnino impletum iri significatur; vide quae dicta sunt ad 33,14. Dies Domini optime hoc iudicium vocatur, quo Dei potentia, providentia, sapientia, gloria omnibus innotescet quam maxime et totius administrationis divinae ratio ad Dei laudem supremam omnibus erit manifesta; locutus est Deus de eo die sicut 38,17 dicitur; de die Domini cf. Am. 5,18.

Porro quantus fuerit numerus exercitus, quantum igitur periculum pro populo Dei, sed etiam quam insigni clade hostes sint contriti, sequentibus exprimitur v. 9 « *et egredientur habitatores de civitatibus Israel et succendent et comburent arma, clypeum et hastas, arcum et sagittas et baculos manuum et contos et succendent ea igni septem annis;* v. 10 *et non portabunt ligna de regionibus neque succident de saltibus, quoniam arma succendent igni, et depraedabuntur eos quibus praedae fuerant et diripient vastatores suos, ait Dominus Deus* »; — tanta igitur erit armorum, clypeorum, scutorum (hebr.), arcuum, sagittarum, lancearum aliorumque instrumentorum copia, ut populo per septem annos pro lignis et alimento ignis sufficiant neque populus opus habeat ad alia ligna conquirenda vel caedenda in agros saltusque se conferre. In ea armorum combustione significatur omnem impetum et superbiam hostium demum ad cineres et favillam, ad nihil, iri redactum neque de tanto apparatu et de illa tot populorum (38,1. 5. 6) pompa quidquam fore residuum. Dein populus Dei etiam spolia colligit; ditescit ex impetu hostili. Atque revera persecutiones Ecclesiae Dei haud unum afferunt emolumentorum genus neque parum conferunt ad eius splendorem et gloriam. Quae hostes Ecclesiae inferre intendebant, ea ipsis evenient; eam volebant deiicere, perdere, ex ea ditescere; iam ipsi deiicientur, peribunt, Ecclesia autem ex periculo illo et probatione dura et tentatione evadet magis speciosa et amplioribus meritis ornata. Id ultimo membro per modum proverbii edicitur, de quo vide Is. 33,1 et Ier. 30,16. Arma comburi, ne vestigium hostium remaneat, habes etiam Is. 9,5. Ceterum patet non rem ipsam quae verbis nude exhibetur esse attendendam, sed id quod re illa significatur; de quo iam monet *Mald.* : « nos nihil aliud his verbis significari existimamus quam insignem victoriam de antichristo; quod vero dicit per septem annos non alia esse ligna comburenda, partim hyperbole est partim

synecdoche qua numerus certus pro incerto ponitur, quod in numero praesertim septenario apud Hebraeos fieri consuevit, ut Prov. 24,16. Is. 4,1 ». Ex hoc annorum spatio alii concludunt fore ut hoste ultimo prostrato adhuc satis supersit temporis, ut peccatores resipiscere possint, fluxuros plures annos, antequam consummatio saeculi contingat, et eo tempore id eventurum quod S. Paulus Rom. 11,25 praedixerit (*Pint. Tir. Gord. Lap.*).

Magnitudinem cladis et destructionem hostis nullo vestigio relicto in terra sancta vates alia imagine declarat : sepelietur scil. Gog et eius exercitus extra terram sanctam, haec ossibus omnibus diligentissime conquisitis mundabitur et de tota pompa et fastu Gog nihil remanet nisi sepulcrum ossibus plenum; v. 11 « *et erit in die illa dabo Gog locum nominatum sepulcrum in Israel, vallem viatorum ad orientem maris quae obstupescere faciet praetereuntes, et sepelient ibi Gog et omnem multitudinem eius et vocabitur vallis multitudinis Gog* » ; — hebr. verte *dabo locum, ubi sit sepulcrum eius;* « dabo Gog non oppida vel arces quas ambiebat, sed vallem unicam, non in usum quem quaerebat, sed in sepulcrum sui suorumque cadaverum » (*Tir.*). LXX et *S. Hier.* legerunt שֵׁם *nomen; Syrus* autem שָׁם ibi. Igitur non opes et spolia quae appetiit 38,12. 13 in Israel inveniet, sed ibi inveniet sepulcrum i. e. id inveniet quo ad sepulcrum erit deferendum. Nam locus sepulcri assignatur *ad orientem maris* i. e. maris mortui; sed ea regio ex 47,18 iam non pertinet ad terram sanctam. Intelligi autem mare mortuum (*Mald. Pint.* et recentiores) quod alias mare orientale appellatur (Ez. 47,18. Ioel 2,20), eo efficitur quia ad orientem maris mediterranei tota terra Iuda sita est; sed totam terram palaestinensem assignari pro loco sepulcri nemo dixerit, insuper esset haec mira terrae Iuda designatio. Aliud indicium pro ea regione adest, si cum K (vallem eorum in finibus Abarim) et *C.* non vallem praetereuntium (oberim), sed vallem montis Abarim explicaveris עֲבָרִים qui est mons trans Iordanem ad orientem maris mortui; cf. Num. 27,12; 33,47. 48. Deut. 32,49. Ier. 22,20 hebr.; *Chald.* ad orientem maris Genesareth interpretatur.

Esse vertendum *ad orientem* maris et veteres versiones syr. chald. et *Sym. S. Hier.* et recentiorum plerique consentiunt; *Keil* tamen vertit *in parte anteriore* maris, eamque partem intelligit vallem Iordanis prope Iericho; de קִדְמַת vide Gen 4,16. 1 Sam. 13,5. Pro *quae obstupescere faciet praetereuntes* LXX sensu planiore praebent περιοικοδομήσουσι τὸ περιστόμιον τῆς φάραγγος et obturabunt ostium vallis, vel ut *S. Hier.* vertit : aedificabunt per circuitum os vallis; exitus vel os vallis obturatur, ne aspectus pateat in locum sepulcri immundum. Similiter habet *Syrus :* et obturabunt val-

lem; unde pro חכמת היא legebatur הגיא (את) חכבור et vox *praetereuntes* in hoc membro non adfuisse videtur. Textum *mas.* de valle *transeuntium* varie concipiunt; alii vallem celebrem, qua multi transire solent, ut a quamplurimis eius sepulcrum cernatur (*Mald. Mar. Lap. Men.*), alii vallem accipiunt invadentium et celerrime transeuntium, quo nomine ipse exercitus Gog designetur tamquam nubes festinato transiens (*Schr.*) vel vallem transgredientium i. e. impiorum, arrogantium (*Ewald*) vel inundantium, i. e. quasi inundatione terram operientium (*Sm.*); alii vallem viatorum, qua scil. ex Peraea in Iudaeam transitur (*Keil*). Pro *obstupescere faciet* vertunt obturat viam viatoribus, verbotenus: claudit vel obturat viatores; de voce vide Deut. 25,4 : non ligabis os bovis terentis; sed rabbini vocem h. l. speciatim accipiunt de narium obturatione : quae vallis obturabit nares transeuntium foetore suo quem cadavera exhalabunt; eos quoque sequuntur *Vat. Mald. Mar. Ges.* Thes. p. 504; a qua interpretatione non multum distat *Ewald* : viatoribus intercipiet halitum vel intercludet spiritum. At praeferenda videtur lectio quam LXX et *Syrus* exprimunt, qua verbum חסם neque ad notionem inusitatam neque ad significationem dupliciter transitivam detorquetur. *Chald.* pro hoc membro affert paraphrasin : ea coniuncta est duobus montibus (ex Zach. 14,5?). *Syrus* vallem illam *magnam* (non viatorum) appellat, *Chald.* vallem vadi vel transitus מגיזתא.

Quam terribilis fuerit impetus hostium eo quoque declaratur quod ad sepelienda cadavera opus sunt menses septem v. 12 « *et sepeliet eos domus Israel ut mundent terram septem mensibus;* v. 13 *sepeliet autem eum omnis populus terrae et erit eis nominata dies, in qua glorificatus sum, ait Dominus Deus* »; — magna sane multitudo describitur eorum qui iudiciis Dei variis (38,21. 22) prostrati sunt, cum in eis sepeliendis omnis populus terrae per septem menses occupari dicatur: vide quae de septem annis v. 9 dicta sunt. Terra mundatur; cadavera enim ex lege immunda sua contagione polluunt homines, domus omnemque supellectilem (Num. 19,11. 13. 15. 18; 31,19); hoc loco in terra immunda haud immerito consideraveris vulnera et damna quae persecutionibus infligi solent et quae parta victoria oportet reparari. Sed haec ipsa reparatio maiorem afferet Ecclesiae splendorem, quia quemadmodum aurum purgatur et probatur in fornace, ita Ecclesia et singula eius membra in periculis et tentationibus. Id exprimitur membro ultimo : dies ille quo Dominus se glorificat erit illis in nomen (hebr.), in laudem et gloriam, vel potius : studium illud quo terram mundant iis honori vertetur eo tempore quo Deus suam gloriam manifestat.

Quare ne minima quidem immundities in terra relinquatur, post septem menses per quos sepultura et emundatio facta est accurate tota terra lustrabitur inquisitione facta ad omnem immunditiam removendam v. 14 « *et viros iugiter constituent lustrantes terram qui sepeliant et requirant eos qui remanserant super faciem terrae, ut emundent eam; post menses autem septem quaerere incipient,* v. 15 *et circuibunt*

peragrantes terram; cumque viderint os hominis, statuent iuxta illud titulum, donec sepeliant illud pollinctores in valle multitudinis Gog »; — v. 14 dilucide apud LXX : lustrantes terram ut sepeliant relictos super faciem terrae; similiter *Syrus* quoque; quod in hebr. legitur : sepelientes *cum circumeuntibus* relictos, sane abundant, neque commode עֹבְרִים subito alia notione accipi potest : sepelient impios vel arrogantes vel invasores, quia qui terram lustrant eodem designantur vocabulo. Ubicumque os invenerit aliquis, signum eriget, ut quorum est sepelire illud auferant de loco moniti. Adeo diligenter omnes operam conferent ad terram mundandam. Ad memoriam invasionis et victoriae etiam urbi alicui nomen novum indetur v. 16 « *nomen autem civitatis Amona et mundabunt terram* »; — hebr. הֲמוֹנָה; nam הָמוֹן appellabatur in antecedentibus *multitudo Gog* v. 11. 15; « finis omnium restitutio puritatis est » (*S. Hier.*). Varia igitur damna a persecutoribus illata diligenter resarcientur et victoriae partae continua exstabit memoria et gratiarum actio quae ipso nomine urbi imposito recordationi omnium commendatur.

d) **Manifestabitur gloria Dei 39, 17-29.**

Prius iterum exhibetur magnitudo cladis alia imagine, qua praecipue ignominia cladis repraesentatur; unde simul cavetur ne sepultura, de qua v. 11-16, quasi in honoris loco fieri censeatur. Imago repetitur ex v. 4 et vide Is. 56,9; v. 17 « *Tu ergo fili hominis, haec dicit Dominus Deus : dic omni volucri et universis avibus cunctisque bestiis agri : convenite, properate, concurrite undique ad victimam meam quam ego immolo vobis, victimam grandem super montes Israel, ut comedatis carnem et bibatis sanguinem;* v. 18 *carnes fortium comedetis et sanguinem principum terrae bibetis, arietum et agnorum et hircorum taurorumque et altilium et pinguium omnium* »; — hebr. v. 17 explica : dic omni generi volucrum (*Mald.*); aves et bestiae rapaces omnes advocantur et pondere verborum magno invitantur, ut occisorum multitudo significetur. Haec victima Domini est, quia ad iustitiam et sanctitatem Dei demonstrandam immolati sunt; vide Is. 34,6. Ier. 46, 10. Inde quoque in v. 18 animalia quae in sacrificiis pro delictis et peccatis immolabantur recensentur; in ipsa enumeratione principes, duces, milites gregarios designari variis illis animalibus advertunt (cf. *Mar. Lap. Men. Pint. Troch.*), uti iam praeierunt *Theod.* et *Chald.;* in hebr. legitur : *tauri saginati Basan omnes* (cf. *Vat. Mald. Mar. Lap. Calm.*), « erat enim Basan regio pastu celeberrima, ut ex

multis Scripturae locis perspicuum est » (*Mald.*). Sed *S. Hier.* Basan saepius vertit voce *pinguis;* vide Am. 4,1; retinuit Basan v. g. Is. 2,13. Ez. 27,6; de ea regione vide Deut. 3,3. 10. 13. Ios. 13,11; 17,1. Atque cum victima Domini sit, lautum eis instruitur convivium v. 19 « *et comedetis adipem in saturitatem et bibetis sanguinem in ebrietatem de victima quam ego immolabo vobis*, v. 20 *et saturabimini super mensam meam de equo et equite, forti et de universis viris bellatoribus, ait Dominus Deus* »; — distingue in v. 20 cum LXX quattuor : equos et equites, heroes et omnes viros bellatores; vel potius ex hebr. רֶכֶב intellige equos (ad equitandum) et equos redarios, quos 1 Reg. 8, 4 *iugales* vertit *S. Hier.;* ita maior exsistit membrorum concinnitas; quare *Chald. Vat. Schr. Sm. C.* eo modo hebr. accipiunt. Itaque splendidus ille exercitus non solum peribit, sed etiam cadavera omnium, principum, ducum, militum misere et foede discerpentur et lacerabuntur i. e. ruina et clades hostium Dei erit turpissima et omnium ludibriis exposita; in avibus et bestiis rapacibus merito dixeris adumbrari Dei agendi modum quo pompam et potentiam inimicorum saepe solet deiicere et prosternere adhibitis rebus plane infirmis et exiguis ad maiorem superborum confusionem.

Cum itaque in clade Gog eiusque exercitus tam multa reperiantur, quibus gloria Dei splendide illucescat in eo iudicio, merito subiungitur v. 21 « *et ponam gloriam meam in gentibus et videbunt omnes gentes iudicium meum quod fecerim et manum meam quam posuerim super eos,* v. 22 *et scient domus Israel quia ego Dominus Deus eorum a die illa et deinceps* »; — *ponam* i. e. dabo (hebr.) vel do, manifesto gloriam meam inter gentes; videbunt scil. manum Domini ultricem, qua hostes prostravit; Israel autem salute concessa experietur Deum fidelissimum promissionum largitorem. Proinde ad rerum omnium culmen, ad Dei gloriae incrementum, sermo propheticus ascendit, uti 38,23.

Cum igitur talis sit Dei potentia et talis eius pro populo suo zelus, iam nunc gentes intelligere debent populum non propter Dei sui impotentiam, sed propter scelera in Deum commissa traditum esse inimicis et oppressoribus. Unde vates ex oraculo proposito utile colligit documentum quo obviam eat opinioni illi et blasphemiae gentium quam 36,20 indicaverat; v. 23 « *et scient gentes quoniam in iniquitate sua capta sit domus Israel, eo quod dereliquerint me et absconderim faciem meam ab eis et tradiderim eos in manus hostium et ceciderint in gladio universi;* v. 24 *iuxta immunditiam eorum et scelus feci eis et abscondi faciem meam ab illis* »; — cf. 36,17; 7,27; quomodo omnes tamquam gladio interfecti possint considerari, collige ex 37,9; faciem

abscondere dicit favorem subtrahere, stomachari, ad miseriam eorum et indigentiam non respicere neque opem ferre; in lumine vultus Domini e contra omnis Dei gratia et benignitas exprimitur. Ad quid verba haec tendant, bene exponit *Theod.* : « cognoscent gentes Babyloniis quoque idem me supplicium inferre potuisse, sed ut ab Israele impietatis ac scelerum poenas exigerem, me nulla eos ope dignos censentem permisisse, ut in servitutem redigerentur » et similiter *Mald. Mar. Calm. Loch, Troch.* aliique.

Atque se potuisse eos immunes servare a captivitate exinde quoque probat et persuadet quia ex illa eos reducet v. 25 « *propterea haec dicit Dominus Deus : nunc reducam captivitatem Iacob et miserebor omnis domus Israel et assumam zelum pro nomine sancto meo* »; — cf. 16,53; magno studio gloriam sui nominis promovebit, eo scil. quod gentibus occasio blasphemandi eripitur (36,20) et quod populum suum maximis bonis cumulabit; vide 11,19; 28,25; 36,23 seq. Haec autem restitutio erit minime propter populi merita, sed solum quia Deus propter se, suam gloriam et fidelitatem et misericordiam populo gratiam largitur; v. 26 « *et portabunt confusionem suam et omnem praevaricationem qua praevaricati sunt in me, cum habitaverint in terra sua confidenter neminem formidantes*, v. 27 *et reduxero eos de populis et congregavero de terris inimicorum suorum et sanctificatus fuero in eis in oculis gentium plurimarum* »; — atque populus Dei agnoscet gratiam illam sibi gratuito concessam; immo in gratiam recepti et Deo reconciliati tamen retinebunt dolorem et confusionem de peccatis anteactis neque obliviscentur se peccasse, sed humili animorum demissione coram Deo memores sunt antiquae iniquitatis; vide ad 16,54. 61; 20,43; 36,31; 43,10. 11. Praeclarum documentum nobis proponitur quo commendatur illud : de propitiato peccato noli esse sine metu (Eccli. 5,5). Et talem animi sensum postulari a Domino vide Lev. 26,40. 41. Ad v. 27 cf. 20,41; 36,24; 38,23. Ier. 50,19.

Hebr. נָשׁוּ veteres versiones quotquot exstant, LXX, *Syrus, Sym. S. Hier. Chald.* explicarunt a נָשָׂא portare; insuper nota *mas.* monetur in ea forma deesse א quam tamen litteram « codices aliqui utriusque collationis » (*de Rossi*) exhibent. Cum praeterea sensus exsistat praeclarus qui alias quoque apud vatem nostrum legitur, haec vocis acceptio omnino retinenda est. Sunt tamen qui legi velint נָשׁוּ *obliviscuntur;* ita iam *Houbig.* : « obliviscentur ignominiae suae; sententia bona est, ut non necesse sit advocare scriptionem נשׂאו » et ex recentioribus *Hitz. Ewald, C.;* at non est parvi momenti quod omnes testes textui tradito adstipulantur neque textus ita omnium conspiratione suffultus facile relinquendus est. In locis quos *Hitz.* affert

34,29 et 36,15 sermo est de opprobrio *gentium* quod iam non ultra sint portaturi; igitur hi loci perperam huc adducuntur. Adde quod lectio tradita aliis quoque locis Ez. commendatur, dum altera de oblivione nullo simili loco apud Ez. confirmari potest. Quae Is. 45,17 et 54,4 leguntur, immerito pro altera acceptione allegantur. Priore enim loco instauratio celebratur talis quae nullo unquam tempore deficiat neque iis poenis coerceatur quibus vetus Israel affligebatur; altero loco non de singulis, sed de ipsa theocratia qua tali est sermo et eius species atque effigies praeclara describitur. Iam vero quod de theocratia qua tali valet, non continuo de singulis dici potest. Ita Ecclesiam vocat S. Paulus sponsam Christi gloriosam, non habentem maculam aut rugam (Eph. 5,27), neque tamen idem dici potest de singulis ex quibus Ecclesia coalescit.

Illa autem recordatio praeteritae iniquitatis gratiam ac clementiam Dei iis ostendet splendidiorem et eius beneficia maiora v. 28 « *et scient quia ego Dominus Deus eorum eo quod transtulerim eos in nationes et congregaverim eos super terram suam et non dereliquerim quemquam ex eis ibi* »; — i. e. quia postquam eos expuli ad nationes eos iterum congregavi ad terram suam; nullum reliquisse Deus dicitur, quia invitatio ad reditum eiusque opportunitas offertur omnibus et quia, uti Amos iam dixerat, in illa cribratione ne unum quidem granum peribit (Am. 9,9 hebr.); cf. Is. 27,12; 43,7 et quae supra 34,11 seq. de Deo dicta sunt qui tamquam pastor bonus oves congregat et pascit. Et instauratione facta a nova theocratia iam non auferet Deus favorem suum v. 29 « *et non abscondam ultra faciem meam ab eis eo quod effuderim spiritum meum super omnem domum Israel, ait Dominus Deus* »; — ratio cur nova theocratia perpetuo sancta conservetur, est largissima spiritus Dei effusio, est regeneratio illa quae spiritu Dei in animis efficitur; vide 11,19; 36,27. Is. 59,21. Oraculum itaque concluditur promissione illorum bonorum quibus indoles specialis et eximia novi foederis constituitur (Ier. 31,33. 34); de largissima spiritus Dei effusione cf. Ioel 2,28. Is. 44,3. Nota praecipue efferri bona spiritualia.

De quo tempore agatur a v. 23 et deinceps, alii aliter sentiunt. Et *Pint.* quidem in v. 23 describi censet magnam illam apostasiam, quae docente Paulo futura sit antequam antichristus surgat 2 Thess. 2,3 et de qua Christus loquatur : quoniam abundavit iniquitas, refrigescet caritas multorum (Matth. 24,12); quare ad punienda flagitia fidelium Deum permissurum, ut acerbis calamitatibus puniantur et opprimantur per antichristum. At eum non esse sensum apud nostrum vatem facile ostenditur; nam secundum Ez. Gog ascendit non contra populum impium; vide 38,11. 12. 14; neque descriptio haec a v. 23 seq. de fidelibus tempore antichristi capi potest. In universum enim sermo instituitur eodem modo quo de exsulibus alias fieri

solet; dein omnes gladio cecidisse allusio est ad 37,11; quae de reductione ex captivitate etc. dicuntur postquam in nationes dispersi sint, non possunt ad fideles tempore antichristi adaptari.

Aliter res concipitur a *Tir. Lap. Gord. Men.*, qui putant vaticinium fieri de conversione Iudaeorum post devictum antichristum. Unde ita exponunt v. 23: et scient gentes quod domus Israel i. e. Iudaea (per Titum) capta et eversa sit manseritque hucusque capta et eversa, non mea culpa, sed propter eorum iniquitatem; hoc scelus demum agnoscent cum caeso antichristo senserint se ab eo foede delusos; tunc convertentur ad Messiam et v. 25 Iudaei toto orbe dispersi et exsules reducentur a Domino in patriam suam, in terram sanctam, ita ut cuncta quae h. l. dicuntur valeant de Iudaeis ultimo tempore ad Christum conversis. At haec explicatio non admitti posse videtur. Nam sermo propheticus conformatur eodem modo et pene iisdem verbis quibus antea; vide 16,54. 61 et 20,41 et 36,23 quos locos iam *Mald.* affert ad nostrum hunc locum illustrandum. Neque ullo modo ostendi potest vel probabile reddi, ab Ezechiele vocari domum Israel, captivitatem Iacob Iudaeos apostatas qui repudiato Messia se ipsos a populo Dei separaverint, neque credi potest prophetam diçere Iudaeos hos apostatas, per orbem dispersos, versari in terris *inimicorum* suorum, quo nomine nationes christianas a vate designari quis existimaverit? ita autem vocari Chaldaeos omnino usitatum est. Etiam quae in v. 29 de effusione spiritus dicuntur, nequaquam ad ultima tempora pertinent, sed supra de instauratione et tempore messiano in universum enuntiata sunt. Quare nihil remanet, cur ea de ultimo solum tempore explicentur. Quodsi contenderis normam statui generalem qua Deus agere soleat, ita ut haec norma iterum iterumque ad usum deducatur, indeque etiam fieri possit applicatio ad conversionem illam a S. Paulo praedictam, non video cur multum sit ea de re disceptandum.

Series altera. Cap. 40-48.

Uti in initio libri Ezechielis nobis visio offertur qua vatis argumentum praecipuum de Deo foederis violati ultore et eiusdem foederis exsecutore imaginibus et signis exprimitur, ita prophetia de instauratione absolvitur visione qua status novus eodem modo imagine quadam ampla expressus et ad vivum descriptus menti prophetae exhibetur. Quae effigies eo aptius, etsi solius artis ac concinnitatis ratio habetur, hic proponitur quia in parte priore quoque visione et imaginibus describebatur quae futura esset urbis Ierusalem sors et quae eius iniquitates (cap. 8-11). Unde quemadmodum antea et sermone plano et visione annuntiabatur casus Ierusalem, ita congruum est, ut eius i. e. theocratiae quoque instauratio et verbis praedicatur et imaginibus symbolisque exprimatur.

Quali autem imagine instauratio sit describenda, dubium esse non

potest. Indolem notaverat vates spiritualem, nihil de regni terreni pompa vel ambitione innuerat verbis suis; quare consequens est, ut imago tota versetur in Dei cultu, in pietate et paçe. Neque ambiguum esse poterit, ex quibus rebus eius imago sit petenda. Templum Domini iacebat prostratum, cessaverat cultus sacer, populus e terra sancta eiectus inter gentes versabatur; proinde ad instaurationem opus est templo novo, novo Dei cultu, populo ad terram suam reduce. Unde in his tribus exprimendis et in effigie describendis tota haec pars continetur.

1. *Novum templum. Cap.* 40-43.

Arg. — Tempore et loco visionis notatis accurate describuntur mensurae muri quo tota area templi circumdabatur, portae, vestibuli, thalamorum (40,1-16). Dein describit et metitur atrium exterius eiusque portas septemtrionalem et meridionalem (40,17-27); porro atrium interius, eius portas, thalamos, mensas sacrificales, gazophylacia (40, 28-47). Exinde per angelum ducitur vates in vestibulum templi, cuius mensurae et ornamenta referuntur; dein ipsius templi mensurae recensentur (40,48-41,4); describuntur eius paries et aedificia et cubicula adiacentia simul cum variis ornamentis (41,5-26). Iterum ducitur in atrium exterius et ex eo ad gazophylacia quae ei ostenduntur et ad quem usum inserviant explicatur (42,1-14). Postquam area circa templum suis est determinata mensuris, videt gloriam Domini intrantem in templum et audit Dominum magna promittentem (42,15-43, 12). Templi autem descriptio absolvitur altari holocaustorum designato et consecrato (43,13-27).

a) **Introducitur visio 40, 1-4.**

Primo tempus visionis declaratur v. 1 « *In vigesimo quinto anno transmigrationis nostrae, in exordio anni, decima mensis, quartodecimo anno postquam percussa est civitas, in ipsa hac die facta est super me manus Domini et adduxit me illuc* »; — tempus declarat ex duplici eventu, de quo vide 1,2 et 33,21. Qui duplex eventus eo aptius commemoratur, quia ea effigies menti prophetae offertur qua damnum illud captivitate populi et eversione urbis illatum significabatur iri reparatum. In *exordio anni* plerique explicant ex Ex. 12,2: mensis iste (novarum frugum) vobis principium (ראשׁ) mensium, primus erit in mensibus anni; si ita est, designatur dies decimus mensis Nisan (cf. *Vil. Mald. Lap. Men. Tir. Troch. Schr. Keil*). Eo die agnus

paschalis seligebatur (Ex. 12,3), igitur proxima fiebat praeparatio ad liberationem ex Aegypto celebrandam, quae liberatio maioris beneficii i. e. messianae liberationis erat typus et figura. Eodem die olim populus sub Iosue ascendit de Iordane terram promissam occupaturus (Ios. 4,19). Qui dies igitur valde aptus erat quo prophetae imago et pignus exhiberetur sublimioris liberationis et occupationis terrae promissae. Aliam acceptionem iam *S. Hier.* proponit et amplectitur; commemorat enim Theodotionem vertisse *in novo anno,* novum autem annum apud Hebraeos vocari mensem septimum, diem autem decimum mensis septimi diem esse ieiunii et placationis; unde in ipso magno expiationis die vati effigiem instaurationis exhiberi opinatur. Atque hunc quoque diem significationi illi optime convenire fatendum est; eo enim expiatio fiebat totius populi et cum Deo reconciliatio, eo die pontifex in sanctum sanctorum ingrediebatur; quare eo die pignus proponi summi Dei in populum amoris novumque ostendi sanctuarium haud videri poterat abs re esse. Verum valde dubium est noverintne Iudaei eo tempore usum eum qui postea invaluit annum incipiendi a mense septimo. Alii eos novisse negant, alii affirmant. Sed quidquid est de ea re, non puto vatem recedere in re sacra ab usu sacro annumque incipere modo civili et ratione habita agriculturae, sed retinere usum in lege mosaica expressum. Unde etiam opinionem eorum negligendam esse censeo qui putant indicari mense septimo die decima ex Lev. 25,9 initium anni iubilaei, quae est rabbinorum (vide *Mald.*) et recentiorum quorundam (*Hitz.*). Explicationi de mense Nisan etiam accedunt LXX qui pro initio anni praebent *in primo mense.*

Super vatem fit *manus Domini* (vide 1,3; 37,1), « ut iuxta carnem in Babylone positus in spiritu ad terram veniret Israel » (*S. Hier.*); *illuc* refertur ad civitatem quae modo nominata est; ceterum LXX habent modo simpliciore ac planiore : facta est super me manus Domini et adduxit me in visione Dei in terram Israel etc.; id quod dicitur in v. 2 « *in visionibus Dei adduxit me in terram Israel et dimisit me super montem excelsum nimis, super quem erat quasi aedificium civitatis vergentis ad austrum* »; — modus declaratur quo ei species illa sit exhibita, in visionibus divinitus immissis, in mentis ecstasi sibi videbatur transferri in terram Israel et ibi dimitti super montem excelsum, montem scil. Sion, qui, ut monet *S. Hier.*, ex Isaiae et Michaeae oraculo mons est elevatus super montes et in vertice montium positus (vide ad Is. 2,2. Mich. 4,1) et similiter *Mald. Mar. Lap. Troch.* aliique. Eam igitur montis sublimitatem cernit vates in visione, de qua iam alii ante eum prophetae vaticinati erant. Unde in ipsa illa altitudine quae adeo effertur satis indicatur id quod propheta vidit non

referri ad foedus antiquum, sed ad illud tempus quando ex oraculis prophetarum mons templi evectus sit ad conditionem illam excelsam, i. e. ad tempus messianum. Aedificium quod ibi cernit tamquam aedificium urbis i. e. adeo amplum, magnificum, variis partibus dispositum atque distinctum, est ipsum templum, uti ex v. 3 seq. patet; quare bene notat *Lap.* : « templum erat quasi civitas quia undique cinctum erat muris et portis; atria habebat quasi plateas, gazophylacia quasi domos »; similiter *Men. Tir. Pint. Troch. Keil, Sm.* Cum aedificium primo sibi oblatum vates comparet urbi, puto inferri posse speciem templi quod viderit haud ita similem fuisse templo Salomonis; nam si eadem imago et viva quaedam templi illius repraesentatio menti eius esset obiecta, cur non id efferret quod primo et per se ei occurrere debuit et quod animi exsultatione non potuit non salutare, scil. speciem notissimam templi? Sed cum primo aspectu non cognoscat esse templum, sed molem quandam aedificiorum quasi urbem describat, censeo iam hoc loco creari obiectionem contra sententiam illorum qui putant in subsequentibus ipsum illud templum Salomonis nobis describi (uti opinantur *Vil. Pail.*). — Cernit vates aedificium *meridiem versus,* quippe qui ab aquilone advenire sibi videtur. Idem exprimitur apud LXX voce ἀπέναντι i. e. « e regione et ex adverso aquilonis unde ad terram Israel propheta veniebat » (*S. Hier.*).

Modo visionis indicato et loco designato iam vati apparet angelus qui ei sit dux atque interpres v. 3 « *et introduxit me illuc, et ecce vir cuius erat species quasi species aeris et funiculus lineus in manu eius et calamus mensurae in manu eius; stabat autem in porta* »; — LXX, sicuti 1,7, *aeris candentis* vel splendentis (*S. Hier.*); angelum designari planum est; simili modo Zachariae adest angelus dux et interpres 2,1 seq.; sed ex 44,2. 5 angelus ille videtur intelligi debere qui ratione singulari angelus Domini appellari solet personam Dei gerens et nomine Dei loquens, de quo vide quae dixi ad Is. 63,9. Instructus apparet fune ad metienda spatia maiora, calamo mensorio ad minora. Stabat in porta scil. aquilonari muri exterioris vel periboli (*Vil.*), quia propheta ab aquilone adveniebat et v. 6 demum se confert ad portam orientalem; esse autem portam periboli, ex v. 5 sequitur. Cur autem talis ei visio offeratur et quid ex beneficio collato ipsi incumbat officii, graviter angelus monet v. 4 « *et locutus est ad me idem vir : fili hominis vide oculis tuis et auribus tuis audi et pone cor tuum in omnia quae ego ostendam tibi, quia ut ostendantur tibi adductus es huc; annuntia omnia quae tu vides domui Israel* »! — magno verborum pondere attentio commendatur, ut scil. bene et accurate utatur sensibus et quae sensibus perceperit sedula animi meditatione perpen-

dat; hoc enim esse Dei consilium et voluntatem, ut rem totam animo hauriat mentique alte insculpat, et ea de causa visionem mentisque ecstasin concedi; quae autem viderit, esse nuntianda domui Israel. Vide Domini fidelitatem qui exsules spe et solatio recreat neque cessat alia et alia pignora instaurationis foederisque aeterni eis subministrare per prophetam, qui est internuntius inter Deum et homines, « ut qui per se videre non possunt, per te discant quae tibi a Domino demonstrantur » (*S. Hier.*).

b) **Describitur porta orientalis 40, 5-16.**

Hisce praenotatis templum describitur. Et primo quidem murus qui totam templi aream cingit et a regione communi separat, mensura declarata (fig. IV a) paucis proponitur v. 5 « *Et ecce murus forinsecus in circuitu domus undique et in manu viri calamus mensurae sex cubitorum et palmo, et mensus est latitudinem aedificii calamo uno, altitudinem quoque calamo uno* »; — calamus mensurae determinatur sex cubitis *in cubito et palmo* (hebr.) i. e. haec mensura cubiti palmo longior erat quam cubitum commune; quare calamus constabat sex cubitis et sex palmis; vide 43,13 : istae autem mensurae altaris in cubito verissimo qui habebat cubitum et palmum; quam mensurae rationem eandem esse censent quae 2 Par. 3,3 prima seu antiqua vocatur. Exstabat igitur cubitum commune et cubitum sacrum quod palmo longius erat; illud sex palmis, septem hoc constabat; palmus autem quattuor digitorum latitudinem habuit[1]. Cubitum vel ulnam longitudinis fuisse censent 0,525 metricae mensurae (vide *Vigouroux*, Manuel biblique I p. 240; *Keil*); alii ulnam vulgarem 0,483 eiusdem mensurae fuisse dicunt (ita *Thenius;* cf. *Schenkel,* Bibellex. IV p. 130. *Riehm,* Handwoerterb. s. v. Elle).

Calamum mensurae longum fuisse sex cubita vel ulnas et sex palmos ex locutione hebr. rite colligunt *Vat. Mald. Mar. Pint. Lap. Men. Tir.* et recentiores; solum *Vil.* accipi vult sex ulnas vulgares et unum palmum; sed ad id iam notat *Lap.* : « ruente hac calami Vilalpandi mensura ruit pariter magna pars dimensionum eius in templo quae calamo hoc mensuratur ». Hoc itaque calamo mensus est angelus murum vel peribolum et inventus est calamum unum et latus et altus. Vocatur murus iste vel peribolus (LXX, *Sym.*) *aedificium* בִּנְיָן, LXX προτείχισμα, *Aq. Sym.* οἰκοδομή; vide 41,12; 42,1. Si aedificationem

1. Ita vocem טֹפַח *quattuor digitos* vertit *S. Hier.* Ex. 25,25 et 37,12; *tres uncias* 3 Reg. 7,26; in loco parallelo 2 Par. 4,5 *palmum*.

spectas quae revera exsequenda sit, mirum videri potest cur murus ad tantam perducatur latitudinem vel grossitiem. Unde *Vil.* non simplicem murum intelligi vult, sed constare stylobatis, quadratis videlicet arulis, ordine dispositis, mediisque cancellis colligatis; eum sequitur ex recentioribus *Pail.* : « ce n'est pas un simple mur d'enceinte que désigne le *binian* mesuré par notre prophète; mais c'est l'ensemble de socles sur lesquels s'élèvent les colonnes du portique des gentiles » (p. 50); unde *binian* concipiunt tamquam concatenationem quandam stylobatarum quibus columnae porticus innitebantur. At de eiusmodi stylobatis propheta nihil dicit; sed solum commemorat murum, qui domum i. e. templum ex omni parte circumdabat. Si eius grossitiem in visione perceptam acceperis tamquam significantem firmitatem muri, quo locus sacer separetur a profano et protegatur, non erit cur de tali latitudine multum turberis. Ad visionem autem plane convenit exprimi et delineari non tam res quae eodem modo quo videntur debeant opere compleri, quam rerum notiones, ita ut conceptus animi et sententiae involucris rerum sensibilium vestiantur et exhibeantur.

Porro describitur porta orientalis[1] v. 6 « *et venit ad portam quae respiciebat viam orientalem et ascendit per gradus eius et mensus est limen portae calamo uno latitudinem id est limen unum calamo uno in latitudine* »; — ad portam quae respiciebat orientem versus, igitur ad portam orientalem se contulit angelus a parte aquilonari v. 3; ascendit per gradus (a) *septem*, uti habent LXX, qui numerus additur v. 22 et 26 in descriptione portae aquilonaris et meridionalis; quare hoc quoque loco eundem esse supplendum vel apponendum merito censent *Vat. Vil. Mald. Lap.* et recentiores. Limen portae (b) eiusdem latitudinis erat ac peribolus. Quod in hebr. sequitur *limen unum* (primum?) *calamum unum latum* non legitur apud LXX; *Syrus* habet non אחד sed אחר et *alterum* limen ; ita quidem tautologia evitatur; at de altero limine mentio fit in v. 8 postquam portae structura est descripta. Quare membrum illud cum LXX melius omittitur; nam cur tanta epitasi efferatur illud fuisse unum limen non apparet ulla ratio. Postea ipsum ingreditur portae aedificium et metitur v. 7 « *et thalamum uno calamo in longum et uno calamo in latum et inter thalamos quinque cubitos* »; — thalamum sive cubiculum (*S. Hier.*) mensus est; erant vero in aedificio portae eiusmodi conclavia (c) ex utraque parte tria v. 10, in quibus templi custodes habitabant; de voce תָּא vide 1 Reg. 14,28 hebr.; neque tamen haec cubicula imme-

---

1. Vide Proleg. p. 6 et in tabula adiecta figuram I et fig. IV A.

diate inter se excipiebant; sed inter unum et alterum erat *murus* (d) quinque cubitorum, uti explicat *Chald.*, vel secundum אילים v. 10. 16, columna vel semicolumna quinque cubitorum, quemadmodum *Vil.* fere concipit explicans postem qua parte inter thalamos erigitur, et *Pail.* : « un massif de maçonnerie, étant proprement le piédestal d'un pilier flanqué de deux demi-colonnes frontales ». Interior pars aedificii portae cubiculis his constabat eo intervallo inter se distantibus; haec igitur praetergressus venit angelus ad alterum limen (e) portae quod pariter metitur v. 8 « *et limen portae iuxta vestibulum portae intrinsecus calamo uno* »; — eadem igitur mensura constabat qua limen exterius; dicitur hoc limen esse *ex latere vestibuli portae* vel ad propylaeum seu porticum portae (f), *a domo*, si rem consideraveris spectans a templo versus portam; proinde optime vertit *S. Hier.* intrinsecus.

Post alterum hoc limen sequitur vestibulum portae seu propylaeum (f) quod iam metitur[1] v. 9 « *et mensus est vestibulum portae octo cubitorum et frontem eius duobus cubitis; vestibulum autem portae erat intrinsecus* »; — frontem vel melius frontes (g) intellige postes vel semicolumnas; vocem *frontis* explicat *S. Hier.* : « in fronte eiusdem sive in marginibus duos cubitos habebat », et vocis hanc reddit rationem *Vil.* : « quod sicut frons eminet in capite animalis, ita huiusmodi postes extra muri perpendiculum eminent; quod vero sint semicylindrica forma vel ut pressius loquar semicolumnari, ideo frontes dicuntur; frons enim fere ea forma est ». Vocem איל rabbini explicant de poste arboris vel quercus instar rotundo (cf. *Vil.*), versiones veteres de postibus, columnis, recentiores de prominentia, crepidine. Vestibulum portae erat intrinsecus i. e. versus templum. Demum subiungitur numerus cubiculorum in aedificio portae v. 10 « *porro thalami portae ad viam orientalem tres hinc et tres inde; mensura una trium et mensura una frontium ex utraque parte* »; — vide v. 7; habebat porta orientalis tria cubicula eiusdem mensurae ex utraque parte, ab austro et ab aquilone, et interstitia istorum conclavium, muri interiacentes vel semicolumnae quibus spatium ab uno ad alterum occupabatur, pariter eiusdem mensurae erant in utraque parte, scil. quinque cubitorum (fig. I. c, d).

Ita quantae longitudinis sit porta declaratum est; iam aliquid de latitudine additur v. 11 « *et mensus est latitudinem liminis portae*

1. In textu hebr. legitur versus : *et mensus est vestibulum portae versus domum uno calamo;* sed hic versus non affertur in versionibus veteribus nisi apud unum *Chald.*, dein contradicit versui sequenti; unde iure negligitur, utpote errore ortus ex antecedentibus.

decem cubitorum et longitudinem portae tredecim cubitorum »; — hebr. *latitudinem ostii portae* vel aperturae portae; inde simul declaratur latitudo aedificii portae et etiam longitudo graduum et liminum. Alterum membrum est omnino obscurum. Sunt qui longitudinem hic explicent de altitudine portae (*Vil. Mald. Mar. Lap. Men. Calm. Pail. Schr.*), ita ut a limine usque ad fornicem tredecim cubita numerentur (*Mar.*). Verum difficile est assumere אֹרֶךְ qua voce semper longitudo designetur subito adhiberi pro voce קוֹמָה altitudine, et parum ad rem esse videtur quod aliqui monent ארך proprie significare *esse extentum*, id quod ad altitudinem quoque conveniat. Quare alii portam h. l. pressius accipiunt pro ea parte quae tecto erat protecta, cum censeant totum aedificium portae utpote quinquaginta cubita longum non fuisse tecto instructum (ita *Hitz. Keil, Troch. Currey* aliique); censent itaque ad utrumque limen fuisse portam tecto instructam longitudinis tredecim cubitorum, reliquam autem partem aedificii portae cubitorum viginti quattuor fuisse retectam. Alii membrum hoc sensu plane carere dicunt (*Sm.*) idque e textu eiiciunt (*C.*).

Sed latitudo portae decem cubitorum pro transeuntibus ante conclavia redigebatur ad cubita octo, quia ante conclavia in utraque parte limes (h) erat cubiti unius v. **12** « *et marginem ante thalamos cubiti unius et cubitus unus finis utrimque, thalami autem sex cubitorum erant hinc et inde* »; — i. e. mensus est marginem vel limitem ante cubicula eratque unius cubiti et talis limes (h) erat ex utraque parte; hebr. explica : et limes (erat) ante cubicula unius cubiti hinc et unius cubiti inde (LXX ἔνθεν καὶ ἔνθεν). Limes iste inserviebat ad protegendos custodes qui in cubiculis vigilabant; praeterea limine hoc posito custodes facile observare poterant quae fiebant ita ut a transeuntibus non impedirentur. Quomodo limites isti vel cancelli fuerint conformati, non additur; *Vil.* opinatur fuisse cancellos marmoreos qui superiore et inferiore stylobatae ornamentis dum cinguntur, computatis hinc atque illinc proiecturis ornamentorum cubitum unum complebant. In altero membro repetitur id quod iam in v. 7 erat dictum.

Descriptis iam singulis portae partibus quae fuerit mensura totius aedificii portae declaratur et primo quidem quae eius latitudo sit v. **13** « *et mensus est portam a tecto thalami usque ad tectum eius latitudinem viginti quinque cubitorum; ostium contra ostium* »; — scil. a tecto unius cubiculi usque ad tectum alterius; LXX ab uno pariete ad alterum; *ostium contra ostium* i. e. mensus est ab uno ostio (i) cubiculi ad ostium cubiculi alterius e regione positi. Ostium autem intelligitur positum in pariete exteriore; totum igitur aedificium

portae latum erat cubita[1] viginti quinque. Quae mensura omnino concordat cum iis quae antea recensita sunt. Nam via portae decem cubita lata est (v. 10), cubiculum unum sex cubita, unde cum sint cubicula ex utraque parte, latitudinem occupant duodecim cubitorum; unde pro pariete uno exteriore cubiculi manet latitudo vel crassitudo cubiti unius et dimidii, quae est mensura lapidis quadri (v. 42); unde efficiuntur ulnae $10 + 6 + 6 + 1\frac{1}{2} + 1\frac{1}{2} = 25$.

Multum disceptatur de v. 14 « *et fecit frontes per sexaginta cubitos et ad frontem atrium portae undique per circuitum* »; — sensus esse videtur, frontes i. e. postes illos vel semicolumnas vel parietes intermedios inter cubicula (v. 10) fuisse altitudinis sexaginta cubitorum; dicitur *fecit*, non mensus est, quia tanta altitudo solum quadam aestimatione designari potuit, non ipsa mensura attingi. Mensura haec non potest referri nisi ad altitudinem. Haec autem aliquibus maior videtur (*Mar. Sm.*). Sed ii non satis considerant agi de aedificio in visione percepto; in ea autem exhiberi aedificium portae tam magnificae altitudinis quid mirum esse potest? Immo Esdr. 6,3 legitur: ut ponant fundamenta supportantia altitudinem cubitorum *sexaginta*. Textus graecus qui hoc loco, multo magis obscurus est hebraeo praebet viginti cubita. Alterum membrum dicere videtur, ad frontem vestibuli (v. 9) fuisse atrium, quo atrio undique circumdabatur portae aedificium, ita scil. ut hoc aedificium totum portenderetur in atrium exterius. Hebr. verti potest: *ad frontem erat atrium*, vel iuxta frontem erat atrium *et erat circa portam undique*. Si *frontem* intellexeris de fronte vestibuli portae, sensus est clarus, quia in atrium exterius intrat quicumque egreditur ex vestibulo portae. Vide fig. IV.

De aliorum explicationibus haec accipe: alii *frontes* explicarunt de duabus columnis erectis ad exitum vestibuli, ne scil. totum aedificium ad nimiam attolleretur altitudinem. *Pail.*: « Il trouva à la façade ornée de colonnes soixante coudées, ainsi qu'au parvis attenant à la porte autour ». Alii textum mutant: et longitudo vestibuli erat viginti cubitorum et ad atrium porta undique attingit (*Sm.*); *Cornill:* et mensus est vestibulum portae viginti cubita latum (reliqua delet). Alii etiam coniectarunt numerum adfuisse quadragenarium littera מ expressum, quae littera corrupta sit in

---

1. Dicitur *cubitus* et *cubitum*; hoc magis in usu est quando mensura designatur. Ceterum audi *S. Hier.* rationem reddentem cur elegerit alterum: « illud autem semel monuisse sufficiat nosse me cubitum et cubita neutrali appellari genere, sed pro simplicitate et facilitate intelligentiae vulgique consuetudine ponere et genere masculino; non enim curae nobis est vitare sermonum vitia sed Scripturae sanctae obscuritatem quibuscumque verbis disserere » (*M.* 25,378); in ipso autem commentario etiam *cubita* ponit.

ס = 60 et in כ = 20 apud LXX. Versio anglicana quae nuper correcta denuo et emendata edita est, ita habet : « he made also posts, threescore cubits and the court reached unto the post, the gate being round about ». Varias textus mutationes partim ex graeco textu obscurissimo excogitarunt *Hitz.* *Ewald*, *Boettcher*, quas partim referunt et reiiciunt *Sm. C.*

Recensita latitudine (v. 13) et altitudine designata (v. 14?) iam sequitur totius aedificii portae longitudo v. 15 « *et ante faciem portae quae pertingebat usque ad faciem vestibuli portae interioris, quinquaginta cubitos* »; — hebr. explica : *et a porta introitus usque ad vestibulum portae interioris quinquaginta cubita* i. e. a parte exteriore portae introitus usque ad partem exteriorem vestibuli, proinde tota aedificii longitudo quinquaginta cubitis constabat. Portae introitus ex altera parte respondet porta *interior*, quae est ibi, ubi e vestibulo in atrium exitur. Longitudo autem rite conficitur ex mensuris v. 6-10 datis : habet enim limen prius 6, tria cubicula 18, frontes vel parietes intermedii 10, limen alterum 6, vestibulum 8, frontes vel postes 2; unde 50 efficiuntur. — Nota vocem *portae* modo latius, modo strictius adhiberi, modo pro tota illa structura variis partibus constituta, modo pro illa parte qua est introitus vel exitus; unde hic *porta interior* commemoratur (cf. v. 6. 10. 11).

Aliter structuram explicat *Friedrich* (Tempel und Palast Salomo's p. 41 seq.); censet enim prophetam imitatione exprimere portam talem qualem Assyrios aedificasse in Khorsabad excavationibus nuper factis probatum sit. Unde aedificium portae ita concipit : post primum limen pervenitur ad atrium quoddam quod tecto caret, de quo 40,14; post hoc atrium introitus est ad aedificium portae et istud *alterum* limen pariter 6 cubita latum est; unde 40,6 *limen* et *limen unum* commemoratur. Dein sequitur cryptoporticus cum thalamis ex utraque parte et muris intermediis; demum limen *tertium* v. 8. Quod in v. 11 dicitur longitudinem portae esse cubitorum tredecim ita explicat : in portis assyriacis cernuntur ad cryptoporticus latus dexterum et sinistrum turres, quibus fit ut ipsa porta produci videatur; de istis turribus sermo est v. 14; « et fecit frontes per 60 cubitos », et ante has turres et introitum atriolum erat positum, ad quod pervenitur per primum limen unde in v. 14 : « et ad frontem atrium portae undique per circuitum ». Iam Ezechiel latitudinem turrium computans ad longitudinem vestibuli v. 9 effert in v. 11 longitudinem tredecim cubitorum pro octo cubitis in v. 9. — At hic aliqua proponuntur, quae quomodo inter se constent non assequor. Vestibulum ex v. 9 est non in aditu portae, sed in exitu; *Friedrich* autem turres duas ponit post *primum* limen; quomodo igitur latitudine turrium vestibulum ex octo cubitis ad tredecim producitur? Neque perspicitur quomodo longitudo totius aedificii rite computetur ex v. 15, si limina tria et

turres 5 cubita latas et atriolum ad reliquum aedificium addantur, vel cur eae partes non in computationem veniant; neque collocatione versuum ea explicatio commendatur; nam in v. 11 tredecim cubita nequeunt intelligi cum de turribus antea nihil dictum sit et in v. 14 turres istae collocantur in media mensuratione portae. Neque de duplici vestibulo ulla fit apud prophetam mentio. Praeterea non potest assumi vestibulum portae v. 9 subito in v. 11 appellari portam simpliciter. Dein dictio in v. 14 *frontes* esset valde obscura, si subito ad duas turres esset transferenda. — Quod in v. 12 de margine dicitur, intelligi vult de sedilibus vel scamnis ex lapide factis, quibus uti potuerint viatores et quicumque in porta negotia vel lites habuerint quae tractarentur (p. 46). Verum num aditus ad sanctuarium hisce rebus tractandis assignatur a propheta?

Ut descriptio portae ad finem perducatur, additur aliquid de fenestris et ornamentis v. 16 « *et fenestras obliquas in thalamis et in frontibus eorum quae erant intra portam undique per circuitum; similiter autem erant et in vestibulis fenestrae per gyrum intrinsecus et ante frontes pictura palmarum* » ; — fenestrae erant in cubiculis et in eorum columnis vel parietibus intermediis et eae erant in interiore parte portae hinc et inde; eodem modo fenestrae erant in vestibulo portae. Fenestras *obliquas*—*Sym.* vertit τοξικάς—*S. Hier.* ita explanat: « quae obliquae sive τοξικαὶ idcirco a sagittis vocabulum perceperunt quod instar sagittarum angustum in aedes lumen immittant et intrinsecus dilatentur ». Ceterum de sensu vocis אֲטֻמוֹת variae feruntur sententiae. LXX hic et 3 Reg. 6,4 vertunt κρυπτός; sed 41,16 δικτυωτός; aliae quoque versiones feruntur: πεφραγμένος *Sym.* (?), βεβυσμένος *Aq.* (vide *Field* ad h. l.); *Syrus* vertit: fenestrae intrinsecus obliquae, extrinsecus arctae; *Chald.* explicat fenestras obturatas, clausas, quam explicationem *Troch. Schr. Keil* adoptant, ita ut non potuerint ad libitum aperiri; solum adfuisse ad lumen intromittendum; vel fuisse fenestras clatratas (*Sm.*); alii priorem explicationem a *S. Hier.* datam praeferentes fenestras concipiunt oblique vel fastigate factas (*C.*); sim. *Pail.*: « La direction de la trouée pratiquée dans le marbre ou dans le bois n'aurait pas été perpendiculaire à la surface, mais oblique, de manière à avoir son orifice intérieur plus élevé que l'orifice extérieur, à double fin d'admettre la lumière et d'empêcher les écoulements de la pluie. Une telle disposition de grilles à jour anticipait l'usage de nos contre-vents à persiennes ». Clausas intelligit *Friedrich* quippe quarum effigies solum ornamenti gratia parietibus sit impressa.

Vestibulum quod antea אֵילָם vocabatur, l. h. et deinceps saepe nominatur אֵלָם vel אֵילָם; utramque vocem ad idem designandum adhi-

beri suadetur versionibus veteribus LXX, syr[1]. vulg. chald.; hisce accedunt interpretes sat multi (cf. *Kühn, Sm. C.*)[2]; et huic acceptioni etiam propterea acquiescendum erit quia non est credibile enumeratis et descriptis singulis portae partibus, cum solum agatur nunc de fenestris et ornamento caelaturae palmarum, addi partem aliquam novam antea non commemoratam. Praeterea nisi vestibulum vel porticum explicaveris, haec pars portae quae tamen deesse nequit desideraretur in descriptione aliarum portarum v. 21. 29. 33. 36; porro vestibulum vel porticum a porta distingui ita, ut fenestras fuisse portae et vestibulo dicatur v. 25. 29. 33, facile intelligitur; haud facile tamen, si אילם explicaveris cum aliis de proiecturis cymatii vel de pariete prominente. Sed si vox vestibulum dicit, quomodo h. l. numerus adhibetur pluralis, cum tamen de uno solum vestibulo sermo fuerit? Propter numerum pluralem alii vocem explicant adhiberi ad designandum et introitum et exitum portae, ita ut locus ille liminis utriusque intelligatur. At ex v. 30 potius colligitur vocem eam esse plurale tantum, id quod etiam per *qeri* in subseq. confirmatur. Alii malunt numerum pluralem referre ad errorem punctatorum, qui error ortus sit vel ex v. 8 hebr. vel ex v. 15, in quo legitur vestibulum portae *interioris*, unde falso conclusum sit ad vestibulum portae exterioris.

Pictura vel caelatura palmarum (*S. Hier.*) erat אֶל אֵיל; id quod de duabus columnis in introitu porticus vel vestibuli intelligunt; ita fere iam *S. Hier.* : « per quae ostenditur in introitu portae sexaginta occurrere cubita cum variis ornamentis »; vide ad v. 9. 14; explicatio sat est probabilis, quia modo mentio facta est de fenestris vestibuli. Eiusmodi palmarum ornamenta etiam cernebantur in parietibus templi Salomonis 3 Reg. 6,29. 2 Par. 3,5; vide infra 41,18 seq.; *Vil.* ita verba accipit : et columnarum capitella palmarum spatulis exornabantur; *Pail.* : devant les façades (il y avait) des représentations de palmier. Alii tamen eiusmodi caelaturum in omnibus columnis vel parietibus intermediis fuisse censent (*Mald. Mar. Men. Kliefoth*). Quod *S. Hier.* iam monet poni palmas ut ex creaturis Creator intelligatur, etiam recentiores quidam advertunt (*Troch. Hengstenberg, Baehr,* der salom. Tempel p. 120 seq.) ostendi palmis eo aedificio aditum aperiri ad domum Dei Creatoris; in palma enim vim ac virtutem vitae maxime

1. *Syrus* vertit modo פריסתדין parastades, modo אסכוכבתא; cf. *Payne Smith*, Thes. c. 307.
2. Hunc vocis usum *Delitzsch* vocat babylonismum, cum babylonice quodvis anticum dicatur *êlamu* (apud *Baer* l. c. p. X).

exprimi, in ea ostendi vigorem ac virorem continuum; quare vitam iusti palmae conferri : iustus ut palma florebit Ps. 91,13 et similiter : iusti quasi virens folium germinabunt Prov. 11,28; cf. Ps. 1,3; 51,10. Ier. 17,8. Eccli. 24,18; unde in caelatura palmarum merito adumbrari dixeris veram illam vitam vigoremque spiritus cuius copia et fructus acquirantur et suppeditentur templo Domini vel eo quod Dominus habitat in medio populo suo. Palmae signa quoque sunt victoriae et triumphi; vide Ioan. 12,13. Apoc. 7,9; qui igitur ad palmam eniti voluerit, templum Dei adeat. Palmis itaque haud incongrue idem exprimitur quod propheta 11,19 et 36,26 verbis propriis vaticinatus est.

c) **Atrium exterius eiusque portae 40, 17-27.**

E porta orientali ad atrium exterius (fig. IV C) vatem perducit angelus, in quod atrium porta orientalis protendebatur (v. 14). Iam describit quid e vestibulo portae in atrium ingressus viderit v. 17 « *Et eduxit me ad atrium exterius et ecce gazophylacia et pavimentum stratum lapide in atrio per circuitum; triginta gazophylacia in circuitu pavimenti* » ; — atrium dicitur exterius ratione habita atrii interioris v. 28; pari modo in templo Salomonis atrium aderat exterius et interius. Erant ibi triginta cellae vel conclavia (bb); eiusmodi conclavia etiam in templo Salomonis erant; vide 1 Par. 28,12. 4 Reg. 23,11. Ier. 35,4; 36,10; eorumque mentio etiam fit in templo secundo Neh. 13,4. De situ eorum h. l. solum dicitur ea fuisse אֶל ad pavimentum; id quod alii explicant *super* pavimento (*Kühn, Sm. C.*), alii *contigua* pavimento (c). Ceterum nihil certi statui potest fuerintne prope portas vel prope peribolum, neque scitur qua ratione ea viderit distributa. Varia quidem opinantur interpretes; sed in re plane incerta eorum coniecturas referre piget. Neque de eorum magnitudine quidquam traditur; ceterum voce per se non designari conclave parvum elucet ex 1 Sam. 9,22, ubi *S. Hier.* vertit triclinium, in quo scil. triginta viri ad epulandum accumbebant; neque patet sitne eorum structura eo modo concipienda quo 42,3 seq. describuntur, scil. habentia tres contignationes cum porticibus. Pavimentum intellige tessellatum i. e. tessellis aut vermiculatis crustis stratum (*Vil. Troch. Keil*); vide Esth. 1,6; *S. Hier.* vocat pavimentum vivis stratum lapidibus. Vide fig. IV c c.

LXX vocem רִצְפָּה quam 2 Par. 7,6. Esth. 1,6 λιθόστρωτον vertunt h. l. reddunt περίστυλα, intercolumnia, ut vertit *S. Hier.*; unde *S. Hier.* atrium habuisse opinatur « ante fores ordinem columnarum et pavimentum in fronte

portarum, sive porticus post tergum portarum; in quibus porticibus puto columnas ordine fuisse dispositas, ut ante gazophylacia essent porticus et in frontibus porticuum columnae porticus sustinentes ». Etiam *Vil.* textum hebr. et versionem graecam iungens ita rem exhibet : « et portam quidem egressum induxit me in atrii exterioris orientalem aream subdialem quam ingressus animadverti eam porticibus undique cinctam fuisse, tesselatis pavimentis affabre elaboratis, quibus gazophylacia imminebant in singulis intercolumniis singula »; similiter *Pail.* : « introduit dans le parvis extérieur, je vis tout autour des portiques s'élevant sur un opulent dallage de pierre et soutenant de leurs colonnes trente chambres, exèdres, ou conclaves » (p. 94). Id quod hoc loco neque de porticibus neque de intercolumniis innuitur in textu, peti potest ex 42,6, quod vide. — Rem ita describi posse censet *Currey* : « the chambers were probably placed symmetrically, five on each side of the three gates, each chamber standing by itself, so as to leave a space between the gates and the chambers and between the several chambers, the space being occupied by the pavement, on which the chambers are therefore said to stand ». Cum vates noster אֶל saepius eodem sensu quo עַל adhibeat, non potest certo dici qua ratione hic usurpetur; unde *super* pavimento admitti potest.

Ubi fuerit pavimentum, accuratius determinatur v. 18 « *et pavimentum in fronte portarum secundum longitudinem portarum erat inferius* »; — hebr. *ad humerum* i. e. ad latus *portarum;* portae scil. orientalis, meridionalis, septemtrionalis (vide v. 20. 24); et erat eiusdem cum portis longitudinis, igitur cubitorum quinquaginta vel potius dempta latitudine periboli, cubitorum quadraginta quattuor. Cum pavimentum viderit ad latus portarum, certum est conclavia non fuisse coniuncta aedificio portae. Pavimentum hoc appellatur *inferius*, quia pavimentum atrii interioris, ad quod ex exteriore per gradus octo ascendebatur (v. 31) superiore loco erat constitutum; unde cur illud *inferius* appelletur, satis ex subsequentibus declaratur neque licet vocem quae etiam apud LXX legitur cum *C.* delere. Pro pavimento LXX in initio v. habent αἱ στοαί; sed in altero membro vertunt ut antea περίστυλον. Cellis et pavimento descriptis quantae fuerit magnitudinis atrium exterius refertur v. 19 « *et mensus est latitudinem a facie portae inferioris usque ad frontem atrii interioris extrinsecus centum cubitos ad orientem et ad aquilonem* »; — mensus est a fronte portae inferioris usque ad frontem atrii interioris; porta inferior est porta atrii inferioris vel exterioris. Et usque ad quem terminum mensus sit, indicatur addito *extrinsecus* i. e. mensus est aream inter exteriorem et interiorem portam iacentem exclusis portis (*Vil.*), vel mensus est usque ad gradus infimos quibus ascendebatur ad atrium interius

(*Tir.*). Spatium igitur latum erat centum cubita a porta usque ad portam ab oriente ad occidentem, a meridie ad aquilonem (*Vil.*); addens scil. *orientem* et *aquilonem*, breviter vates declarat, a qua parte mensura sit sumpta (ab oriente ad occidentem scil.) et in quam partem finita fuerit (scil. in aquilonem a meridie). LXX aliter : et duxit me ad aquilonem. Transitus iste etiam in textu hebr. indicatur eo quod mensura ad aquilonem adducta dicitur.

Porta describitur aquilonaris v. 20 « *portam quoque quae respiciebat viam aquilonis atrii exterioris mensus est tam in longitudine quam in latitudine*, v. 21 *et thalamos eius tres hinc et tres inde et frontem eius et vestibulum eius secundum mensuram portae prioris, quinquaginta cubitorum longitudinem eius et latitudinem viginti quinque cubitorum* »; — porta aquilonaris in atrio exteriore eodem modo erat constructa sicut porta orientalis; tres eius partes praecipuae enumerantur : cubicula et parietes intermedii (frons, frontes, vide v. 10) et vestibulum i. e. אֵלָם, de quo vide ad v. 16. Eadem est mensura quae portae orientalis; etiam in reliquis plane est similis priori v. 22 « *fenestrae autem eius et vestibulum et sculpturae secundum mensuram portae quae respiciebat ad orientem, et septem graduum erat ascensus eius et vestibulum ante eam* »; — hebr. *et palmae eius* cf. v. 16; additur numerus graduum, vide ad v. 6. Vestibulum erat ἔσωθεν, ita LXX i. e. intus erat, introrsum situm erat; scil. non in ea parte portae qua primus aditus ad eam erat per gradus et prius limen, sed in opposita, in exitu portae ubi ad atrium exterius via patebat; vide fig. I f. Ex LXX et *vulg.* legendum est in textu hebr. לִפְנִימָה *introrsum* (cf. *Boettcher, Kühn, Sm. C.*), uti etiam ex v. 9 exigitur. Dein additur quid spatii fuerit inter portam exteriorem et interiorem v. 23 « *et porta atrii interioris contra portam aquilonis et orientalem et mensus est a porta usque ad portam centum cubitos* »; — i. e. porta quae pertinebat ad atrium interius erat posita e regione portae aquilonaris, sicut etiam e regione portae orientalis erat porta alia qua aditus patebat ad atrium interius. Portae igitur atrii exterioris et atrii interioris ex adverso positae erant; inter se centum cubitis distabant; vide v. 19.

Eodem modo describitur porta meridionalis v. 24 « *et eduxit me ad viam australem et ecce porta quae respiciebat ad austrum, et mensus est frontem eius et vestibulum eius iuxta mensuras superiores* »; — hebr. *et duxit me versus austrum;* LXX sicut in v. 21 etiam hic commemorant primo loco τὰ θεέ *cubicula* quae angelus mensus sit; et ita etiam in hebr. constanter legitur in v. 29. 33. 36; unde concinnitatis causa hic quoque cum LXX erit legendum. Reliqua quoque ad nor-

mam superiorum erant exacta v. 25 « *et fenestras eius et vestibula in circuitu sicut fenestras ceteras; quinquaginta cubitorum longitudine et latitudine viginti quinque cubitorum* »; — hebr. *et fenestrae erant ei et vestibulo circumcirca, sicut fenestrae illae;* verba hebr. clara sunt: porta et vestibulum habebat fenestras, sicut de aliis portis dictum est v. 16. 22. Ex verbis latinis posset quis suspicari angelum fenestras quoque esse mensum. Demum additur de tota porta : longitudo erat quinquaginta cubitorum et viginti quinque cubitorum latitudo (hebr.); uti v. 13. 15. 21. Item de gradibus, vestibulo, palmis v. 26 « *et in gradibus septem ascendebatur ad eam et vestibulum ante fores et caelatae palmae erant, una hinc et altera inde in fronte eius* »; — vide ad v. 22; etiam h. l. explica cum LXX : vestibulum ἔσωθεν, erat introrsum situm; de palmis in fronte vel frontibus vide v. 16. Etiam huic portae alia erat posita ex adverso et in eadem distantia, sicut in ceteris portis v. 27 « *et porta atrii interioris in via australi et mensus est a porta usque ad portam in via australi centum cubitos* »; — et porta erat (ducens) ad atrium interius versus meridiem; vide ad v. 23. 19.

Patebat igitur aditus ad atrium exterius per tres portas : orientalem, aquilonarem, australem, quae eadem ratione et mensura erant constructae. E regione illarum, centum cubitis distantes, erant tres aliae portae quibus ingressus patebat ad atrium interius; vide fig. IV A, B. De his agitur in subsequentibus.

d) Quae pertineant ad atrium interius 40, 28-47.

Primo enumerantur et describuntur portae australis, orientalis, aquilonaris, quibus introitus ad atrium interius patebat. Hae autem portae constructae sunt eodem modo quo tres illae quae ad atrium exterius pertinent, si duo exceperis, nam non septem gradibus, ut in illis, sed octo ad eas ascenditur, vestibulum autem earum situm est non in exitu portae, ut in prioribus, sed in ipso aditu, ita ut singularum portarum vestibula inter se ex adverso opponantur. In v. 27 angelus mensus est spatium inter duas portas australes e regione sitas; unde ad portam australem atrii interioris ipsa mensione pervenit, et apte pergitur v. 28 « *Et introduxit me in atrium interius ad portam australem et mensus est portam iuxta mensuras superiores* »; — explica : *per* portam australem quam scil. dum transit metitur v. 29 « *thalamum eius et frontem eius et vestibulum eius eisdem mensuris et fenestras eius et vestibulum eius in circuitu, quinquaginta cubitos longitudinis et latitudinis viginti quinque cubitos* »; — lege secundum *qeri* et LXX (et *Syrum,* saltem partim) : thalamos eius et frontes; in altera quoque parte

verte secundum hebr. *et fenestrae erant ei* (*portae*) *et vestibulo circumcirca;* ita LXX quoque habent et *Syrus* et *Chald.;* similiter etiam *S. Hier.* in sua versione praebet : fenestras vestibulorum in circuitu. Igitur perperam in *vulg.* angelus dicitur metiri fenestras et bis metiri vestibulum. Vide fig. II et fig. IV B.

Qui sequitur versus valde est obscurus et ut *S. Hier.* iam advertit in LXX non habetur neque in veteri interpretatione latina ponebatur v. 30 « *et vestibulum per gyrum longitudine viginti quinque cubitorum et latitudine quinque cubitorum* »; — uti verba iacent, mendum est manifestum; portae enim aedificium 50 cubita longum est, ut modo dicebatur; cubicula autem et parietes et vestibulum eiusdem sunt mensurae uti in portis prioribus; proinde tria cubicula complectuntur 6 + 6 + 6 = 18 cubita, duo parietes intermedii 5 + 5 = 10 cubita; unde vestibulum etiam limine simul cum vestibulo computato non potest esse longum 25 cubita. Adde modo in v. 29 dictum esse vestibulum esse eiusdem mensurae sicut in portis prioribus, ergo esse octo cubitorum vel simul cum postibus 10 cubitorum (v. 9). Versus iste etiam deest in aliquibus codicibus hebr. — immo in cod. Kennicot. 296 notatur eum deesse in plerisque, legi in nonnullis, in aliis esse deletum (*de Rossi*). Unde ex rationibus et internis et externis non est temerarium versum hunc delere.

Legitur quidem apud *Syrum* et *Chald.;* adest quoque in A, K, Ar et in codd. 26. 42. 49 et sine aster. in XII. 168; adest in syr. hex. et in 87. 88 (cf. *Field* ad h. l.). Qui versum retinent, vario modo rem declarare conantur. Et *S. Hier.* quidem ambiguitatem tolli censet illo quod sequitur : et vestibulum eius ad atrium exterius, « ut scil. hoc atrium quod habebat in longitudine viginti quinque cubitos et in latitudine quinque non interioris, sed exterioris atrii sit, ut prioris atrii latitudinem, hoc est viginti quinque cubitos, exterioris atrii possideat longitudo et in latitudine quinque cubitos teneat »; intelligit igitur novum plane vestibulum, de quo neque in antecedentibus neque in subsequentibus ulla est mentio. Alii vestibulum novo plane et inaudito sensu explanant, uti *Mald. Tir.*, de spatiis scil. quae erant inter thalamos et procurrebant ab uno poste ad oppositum postem alterius lateris, unde longitudinem singulorum eandem esse aiunt quae sit latitudo totius portae. Alii vocem accipiunt de postibus : postes qui cingebant vestibulum longi i. e. alti erant 25 cubita, lati 5 cubita (*Mar.* sim. *Vil. Pail.*); alii de eminentiis vel proiecturis crepidinibusque parietum (*Schr. Keil*), quorum modus computandi plane est artificialis neque in reliqua descriptione unquam adhibitus. Alii demum, ut *Calm.* numeros mutant. Ex quibus omnibus elucet maxime esse consultum cum *Boettcher, Ewald, Hitz. Sm. C.* versum hunc delere. Quodsi versum omnino retinere volueris, intellige de novo quodam aedificio portae australi adiecto (uti *S. Hier.* forte intellexit),

cuius quidem simile ad alias portas non exstet; verum nonne in tota hac structura singulae partes ad eandem normam proponuntur? unde ergo nova haec accessio quae ad unam adiiciatur portam?

In qua re adsit discrimen additur v. 31 « *et vestibulum eius ad atrium exterius et palmas eius in fronte et octo gradus erant quibus ascendebatur per eam* » ; — hebr. *et gradus octo erant ascensus eius;* proinde octo gradibus atrium interius super exteriore elevatum erat. Vestibulum vel propylaeum (*Sym.*), cum versus atrium exterius situm esse dicatur, erat in aditu vel introitu portae, non in exitu eius, prout in prioribus portis, vide fig. II f et fig. IV B.

Dein describitur porta orientalis v. 32 « *et introduxit me in atrium interius per viam orientalem et mensus est portam secundum mensuras superiores;* v. 33 *thalamum eius et frontem eius et vestibulum eius sicut supra; et fenestras eius et vestibula eius in circuitu, longitudine quinquaginta cubitorum et latitudine viginti quinque cubitorum* » ; — in hebr. *et fenestrae erant ei* (*portae*) *et vestibulo eius circumcirca;* ita quoque apud LXX, *Syrum, Chald.;* vide ad v. 29. Dein eodem modo uti in v. 31 portae situs, ornamentum, altitudo determinatur v. 34 « *et vestibulum eius id est atrii exterioris et palmae caelatae in fronte eius hinc et inde, et in octo gradibus ascensus eius* »; — hebr. uti in v. 31 *: et vestibulum eius versus atrium exterius;* de palmis vide v. 16. — Eodem modo sermo fit de porta aquilonari v. 35 « *et introduxit me ad portam quae respiciebat ad aquilonem et mensus est secundum mensuras superiores;* v. 36 *thalamum eius et frontem eius et vestibulum eius et fenestras eius per circuitum, longitudine quinquaginta cubitorum et latitudine viginti quinque cubitorum* » ; — lege hic et in v. 33, sicut supra in v. 29, cum LXX et *qeri : thalamos eius et frontes eius;* pariter cum LXX et fenestrae eius erant in circuitu; v. 37 « *et vestibulum eius respiciebat ad atrium exterius, et caelatura palmarum in fronte eius hinc et inde, et in octo gradibus ascensus eius* » ; — in hebr. oportet hoc loco scribi secundum LXX et *vulg.* et ex norma versuum aliorum, non אילו, sed sane אילמו, uti scribitur in v. 31. 34.

Atrium interius ad sacrificia offerenda locus erat destinatus. Unde iam ea enumerantur et describuntur quae ad cultum sacrificalem requirebantur. Et primo quidem ea exhibentur quae ad victimam rite praeparandam necessaria sunt; v. 38 « *et per singula gazophylacia ostium in frontibus portarum; ibi lavabant holocaustum* » ; — hebr. *conclave et ostium eius ad postes* (frontes), *ad portas* i. e. iuxta singulas portas erat cubiculum cuius ostium erat ad postes portae (*Mald.*) [1]; postes

1. Sed propter pluralem numerum apud LXX et *S. Hier.* et propter congruentiam et aequa-

(vel frontes) eos potes intelligere de quibus in v. 9 qui ad vestibulum pertinent; nam de vestibulo etiam in v. 39 est sermo et cum ibi victimae mactarentur, certe conclave ad eas lavandas etiam prope vestibulum (fig. II l) situm fuisse oportebit assumere. Ex vestibulo (f) per ostia (n) in exedras illas (l) victimae inferebantur ibique lavabantur (*Tir.*). Verba *vulg.* eundem praebent sensum : ostia singulorum conclavium erant ad frontes vel postes portarum. Ex textu graeco coniicere licet pro אילים legi posse vel debere אילם vel אֻלם, ita ut ostium dicatur fuisse in vestibulo. Ceterum postes illos intelligi vestibuli satis ex v. 39 elucet. Talis lotio victimarum in lege levitica non erat praescripta. Ea itaque maior quaedam cura declaratur quae de munditie victimae habenda sit. Cum enim in v. 39 demum de mactatione mentio fiat, planum est in v. 38 lotionem intelligi quae fieri debeat antea, proinde non eam de qua Lev. 1,9, scil. lotionem intestinorum et pedum; quare perperam hanc lotionem ad legem illam referunt *Troch. Keil;* nec profecto valet argumentatio : veteres aliam lotionem hostiarum non cognoscebant, ergo haec debet intelligi. Lex enim levitica etiam in seq. non obtinet.

Dein mensae determinantur ad mactandas victimas v. 39 « *et in vestibulo portae duae mensae hinc et duae mensae inde, ut immoletur super eas holocaustum et pro peccato et pro delicto* »; — ex utraque vestibuli parte duae mensae collocatae sunt ad mactandas victimas; tria sacrificii genera designantur; vide Lev. 1,3-17; 4,3 seq. 5,15; 7,1 seq. Sed a lege levitica qua praecipitur ut victima immoletur ad latus altaris aquilonare Lev. 1,11, iste modus alienus est. Praeterea extra vestibulum ad eius latus utrumque aliae mensae collocabantur v. 40 « *et ad latus exterius quod ascendit ad ostium portae quae pergit ad aquilonem duae mensae et ad latus alterum ante vestibulum portae duae mensae* »; — hebr. verte : *et ad latus* (*humerum*) *foris, ascendenti ad ostium portae aquilonem versus duae mensae;* cum *versus aquilonem* dicatur, vates portam orientalem ob oculos habet, cuius latera versus aquilonem et meridiem spectant. Sed facile tibi persuaseris id non de una porta exclusis aliis dici; nam in tota descriptione magna cernitur aequalitas et constantia singularum inter se partium; deinde per alias

---

litatem quam ubique observari cernimus, duo conclavia ad unamquamque portam statuere licebit. Ceterum de hoc versu maxima est inter eruditos controversia, cum textus eius valde sit implicatus neque ex versionibus veterum quidquam lucis affulgeat. Vide v. g. longam disquisitionem apud *Kühn* et *C.*; apud LXX nihil dici de lotione iam notavit *S. Hier.* sed esse additum ex Theodotione. *Cornill* conclavia haec omnino removet v. 38 ex coniectura ita exhibens : et iussit me ire ad ostium vestibuli portae orientalis (interioris). De sola porta orientali etiam *Sm.* explicat.

portas victimas induci eo magis certum esse debebit, quia porta orientalis clausa erat, de qua re vide infra. — Alii tamen censent de una porta eaque aquilonari (*Kühn*) haec asseri. — Quae in v. 39. 40 dicta sunt summatim repetuntur v. 41 « *quattuor mensae hinc et quattuor mensae inde; per latera portae octo mensae erant super quas immolabant* »; — hebr. *ad humerum* (*latus*) *portae* in utraque parte mensae collocatae erant quattuor; duae scil. in vestibulo, duae extra vestibulum. Quomodo ad humerum *portae*, satis ex v. 40 declaratur.

Hisce adduntur aliae quattuor ex lapide factae v. 42 « *quattuor autem mensae ad holocaustum de lapidibus quadris exstructae, longitudine cubiti unius et dimidii et latitudine cubiti unius et dimidii et altitudine cubiti unius; super quas ponant vasa in quibus immolatur holocaustum et victima* »; — aliqui has mensas easdem putant cum prioribus (*Mald. Mar. Lap.*); sed iam numerus obstat. Cum hae lapidibus confectae sint, priores ligneas esse censent. Duodecim itaque mensae victimis immolandis paratae sunt. Nam has quattuor quoque ad mactationem inservire, ipsa voce עֹלָה indicatur, quae post v. 38. 39 non potest non intelligi de sacrificio, de quo etiam veteres versiones vocem acceperunt (LXX, *Syrus, S. Hier. Chald.*). Notio *scalae* quam aliqui ex v. 26 voci vindicare student (*Keil*) gratis asseritur. Hasce mensas unice inserviisse ad instrumenta asservanda non est putandum. Ridiculum enim est dicere cum *Schr.* eiusmodi instrumenta tanti fuisse ponderis, ut mensae requirerentur ex caesis lapidibus factae. Cur enim ad asservandos cultros, lebetes, phialas mensae lapideae opus essent? Immo ex altera v. 43 parte probabile fit quod censet *C.* instrumenta ad mactationem non in ipsis mensis, sed in earum margine esse posita. Habebant enim mensae marginem unius palmi v. 43 « *et labia earum palmi unius reflexa intrinsecus per circuitum; super mensas autem carnes oblationis* »; — sim. LXX γεῖσος et *Syrus* labia; etiam *Aq.* (in secunda ed.) *Sym. Theod.* verterunt eodem modo, uti *S. Hier.* refert; unde hebr. legebant שׂפתים cum *sin*, cum textus *mas.* שׁ habeat. Haec labia vel limbi reflectebantur introrsum, qua inflexione ne res caderent cavebatur. Haec explicatio quae cum versionibus veterum concordat retinenda videtur. Alii sequuntur paraphrasin chaldaicam, qua vox explicatur de uncinis, e quibus victimae mactatae suspendantur v. g. ad cutem detrahendam, vel de paxillo furcae simili (inde numerum dualem intelligi!), quam notionem ex voce שׁפת *ponere, collocare* censent derivari posse. Apud LXX ultimum membrum ita legitur : et in mensis desuper tecta, ut operiantur a pluvia et siccitate, id quod de suo LXX posuisse *S. Hier.* affirmat; alii textum *mas.* in eandem formam esse emendandum statuunt (*Ewald, Hitz.*).

In sequentibus cellae vel conclavia (fig. IV d) sacerdotibus destinata describuntur; v. 44 « *et extra portam interiorem gazophylacia cantorum in atrio interiori quod erat in latere portae respicientis ad aquilonem, et facies eorum contra viam australem, una ex latere portae orientalis quae respiciebat ad viam aquilonis* » ; — cum in v. 45. 46 solum sacerdotum conclavia commemorentur, textum hebr. corrigere oportet secundum LXX : *duo* conclavia; lege igitur non שרים (cantores) sed שתים, uti iam monet *Houbig.* et sequuntur recentiores communiter[1], etiam *Keil,* alioquin tenax defensor textus *mas.;* etiam reliquus versus secundum LXX legatur oportet apud quos eius sensus est simplex et obvius : in atrio interiori duo erant conclavia, unum ad latus portae aquilonaris spectans versus austrum (et facies eius versus austrum), alterum ad latus portae australis et spectans versus aquilonem (fig. IV d). Cum dicatur *extra portam interiorem,* id ita oportet ex seq. intelligi, ut e regione interioris partis portae sint collocata. Duo haec conclavia inter se erant ex adverso opposita : unum ad latus portae aquilonaris sed ita ut facies eius, pars anterior vel frons spectaret ad meridiem, alterum ad latus portae meridionalis eius fronte ad aquilonem directa.

Atque versum esse ita legendum et explicandum patet ex declaratione quae subiungitur v. 45 « *et dixit ad me : hoc est gazophylacium quod respicit viam meridianam; sacerdotum erit qui excubant in custodiis templi;* v. 46 *porro gazophylacium quod respicit ad viam aquilonis sacerdotum erit qui excubant ad ministerium altaris; isti sunt filii Sadoc qui accedunt de filiis Levi ad Dominum ut ministrent ei* » ; — conclave ad portam aquilonarem situm destinatur sacerdotibus qui officiis in templo funguntur; alterum illis reservatur qui ministeria altaris obeunt i. e. omnia illa peragunt quae ad altare et oblationes sacrificiorum spectant. De muneribus sacerdotum vide infra 44,15 seq. Utrum hae cellae eiusdem structurae fuerint atque illae 42,6 i. e. utrum

---

1. *Pail.* p. 153 tamen aliter : « quand j'eus pénétré dans le parvis intérieur par sa porte septentrionale, je vis dans ce parvis, compris entre ses trois portes, les chambres dont était formé le quartier des chanteurs. Elles occupaient, au-dessus des galeries, les deux étages des sept travées de l'aile orientale, des sept travées de l'aile septentrionale, et des sept travées de l'aile méridionale. En me plaçant devant la porte orientale, en face du Sanctuaire, je remarquai : 1) que toutes les chambres à ma droite, au nord par rapport à moi, regardèrent le midi, moins la moitié de l'aile orientale qui regardait l'occident, — et que 2) toutes les chambres à ma gauche, au midi par rapport à moi, regardaient le nord, moins la moitié de l'aile orientale qui regardait l'occident. Et l'ange me dit : voyez-vous à votre droite ces chambres au nord et regardant le midi? Ce sont celles où veilleront les gardiens du temple. Et vis-à-vis, voyez-vous à votre gauche ces chambres au midi et regardant le nord ? Ce sont celles où veilleront les prêtres attachés au ministère de l'autel ».

habuerint plures contignationes et porticus necne, in incerto erit relinquendum cum vates nihil aliud de iis referat. Sadoc summus sacerdos ex stirpe Eleazar in historia sacra celeber est propter fidem Davidi regi constanter et in magna rerum difficultate servatam (2 Reg. 15,24 seq. 17,15; 19,11. 3 Reg. 1,8. 38), propter quam et a Salomone rege pro Abiathar pontifex est constitutus 3 Reg. 2,35; ceterum vide infra 44,15. Itaque non omnes posteri Aaron admittentur ad munera sacerdotalia, sed solum qui sunt ex familia Sadoc; proinde iam indicatur a Deo fieri electionem secundum propositum eius, non secundum ius generationis antiquum.

Atrii interioris descriptio concluditur v. 47 « *et mensus est atrium longitudine centum cubitorum et latitudine centum cubitorum per quadrum; et altare ante faciem templi* »; — si altare in medio spatio quadrato erat collocatum, populus qui ante portas meridionalem et aquilonarem adorabat, in id oculos dirigere potuit; de eo vide 43,13 seq. et fig. IV k.

e) **De vestibulo mensurisque templi 40, 48-41, 4.**

Post descriptionem atrii interioris ad ipsum sanctuarium (fig. III), ad templum proprie dictum angelus vatem adducit. Et primo quidem ei vestibulum (A) templi ostendit v. 48 « *Et introduxit me in vestibulum templi et mensus est vestibulum quinque cubitis hinc et quinque cubitis inde et latitudinem portae trium cubitorum hinc et trium cubitorum inde* »; — hebr. *mensus est postem vestibuli* quinque cubitis hinc et quinque cubitis inde (ab); dein pergitur in textu LXX : et latitudinem portae cubitorum quattuordecim et latera (humeros) portae (cb) trium cubitorum hinc et trium cubitorum inde. Plerique recentiorum textum hebr. hic quoque secundum LXX emendant, quo facto facilius multo ea quae in v. 49 dicuntur explicari possunt. Si enim porta vel introitus latitudinem habet cubitorum quattuordecim et latera eius ex utraque parte latitudinem trium cubitorum; spatium vestibuli internum efficitur fuisse $14 + 3 + 3 = 20$ cubitorum, quod spatium ab aquilone meridiem versus longitudo vestibuli appellatur, dum eius latitudo ab oriente ad occidentem extenditur v. 49 « *longitudinem autem vestibuli viginti cubitorum et latitudinem undecim cubitorum et octo gradibus ascendebatur ad eam; et columnae erant in frontibus, una hinc et altera inde* »; — secundum LXX latitudo erat *duodecim* cubitorum, et ita erit legendum, quia requiritur, ut longitudo totius templi quae centum cubitorum etiam secundum textum hebr. est revera efficiatur; de qua re postea 41,13. Pariter secundum LXX *decem* gradibus (d)

ascendebatur — in hebr. numerus plane non adest; — numerus autem decem graduum eo commendatur, quia maiore altitudine maior quoque loci sanctitas declaratur : ad atrium exterius ascenditur per septem gradus, ad atrium interius per octo, ad ipsum sanctuarium per decem, qua ratione totum aedificium per gradus consurgere pulcherrime videbatur. Insuper cum in textu hebr. post gradus legatur אשר quod explicari non potest nisi valde coacte, certum videtur legi oportere עשר i. e. decem. De varia lectione nos iam *S. Hier.* edocet : « Symmachus quem in hoc loco secuti sumus, *octo* gradus posuit, LXX *decem*, Theodotio et Aquilae secunda editio *undecim*, prima autem nullum numerum posuit sed absolute ait : et gradibus in quibus ascendebatur ad eam » ; neque ponitur numerus apud *Syrum* et *Chald.*

Qui textum hebr. et *vulg.* sequuntur, rem varie concipiunt. Ita *Vil.* latitudinem portae trium cubitorum hinc et inde sic declarat : « latera portae sive postes qui ab ostio extenduntur usque ad interiores angulos mensus est, meridianum trium cubitorum hinc et aquilonarem trium cubitorum inde, ex quo fit ut portae latitudo sit quattuordecim cubitorum in medio relicta, quoniam mensus est longitudinem vestibuli cubitorum viginti »[1]. At sane valde arbitrarium est cum *Vil. Mald. Lap. Men.* explicare latitudinem portae non de porta sed de lateribus, postibus vel muro adiacentibus portae. Quare verbis saltem melius consulunt, qui putant fuisse duas ianuas seu valvas portae singulas trium cubitorum latitudinis (*Mar.*), ita ut in media porta tamen vacuum relictum sit quo aspectus pateret in sanctuarium, quod cavum *Mar.* sex cubitorum, *Schr.* quinque fuisse statuit. Aliter *Keil;* longitudinem vestibuli non concipit cum plerisque eo sensu quo longitudo vestibuli describitur 3 Reg. 6,3 (ut scil. tanta sit longitudo vestibuli, quanta aedis vel sanctuarii latitudo, cui praetensum erat vestibulum — *Vil. Mar. Lap. Vat. Men. Tir. Calm. Sm. Currey*) quae longitudo a meridie aquilonem versus h. l. sit computanda, sed explicat longitudinem ab oriente ad occidentem directam; unde pro ipsa porta statuit duas valvas, singulas trium cubitorum, quibus introitus plane clausus sit. Frons itaque totius portae extrinsecus lata erat cubita sedecim (5 + 5 + 3 + 3 duo scil. postes et duae ianuae computantur); unde si parietes vestibuli crassitudine erant duorum cubitorum et dimidii, latitudo interior vestibuli efficitur esse undecim cubitorum. — Demum *C.* textum mutat in hunc modum : et latitudo portae 14 cubitorum et latera portae tria cubita hinc et tria cubita inde; et *latitudo* portae viginti cubitorum et *longitudo* duodecim. — Sed vide ad 41,13.

---

1. Audi *Pail.* : il mesura les montants de la porte à l'intérieur du vestibule et leur trouva, de l'ouverture à chacun des angles, trois coudées ici et trois coudées là. En tant qu'ouverture elle avait 14 coudées de large, en tant que chambranle, elle avait en façade, à l'extérieur et intérieur, trois coudées à droite et trois coudées à gauche; nous obtenons en effet ainsi la longueur entière du vestibule : 3 + 3 + 14 = 20.

Ex vestibulo introducitur in sanctuarium (B) 41,1 : « *et introduxit me in templum et mensus est frontes sex cubitos latitudinis hinc et sex cubitos inde, latitudinem tabernaculi* »; — hi igitur postes (fg) sanctuarii uno cubito latiores erant quam postes vestibuli; pro tabernaculo אהל LXX praebent αἰλάμ; unde scribe hebr. אילים vel איל, ut scil. ea repetitione latitudo *postis* indicetur. Nam quid sibi velit hoc loco tabernaculum, nemo explicaverit. Alii duo illa verba delent. Iam mensurae templi referuntur v. 2 « *et latitudo portae decem cubitorum erat et latera portae quinque cubitis hinc et quinque cubitis inde; et mensus est longitudinem eius quadraginta cubitorum et latitudinem viginti cubitorum* »; — etiam sanctuarium in templo Salomonis habebat viginti cubita in latitudine, « et porticus erat ante templum viginti cubitorum longitudinis iuxta mensuram latitudinis templi » (3 Reg. 6,2. 3); igitur eodem modo quo 40,49 longitudinem vestibuli a plerisque accipi dictum est. Ex sanctuario pergitur in sanctum sanctorum (C) v. 3 « *et introgressus intrinsecus mensus est in fronte portae duos cubitos et portam sex cubitorum et latitudinem portae septem cubitorum* »; — hebr. mensus est postem aperturae vel ostii; ipsum ostium dicitur latum fuisse sex cubita; ad ostii latus ex utraque parte adstabat postis duorum cubitorum (i); et ultimum membrum in LXX ita legitur : et humeros ostii septem cubitorum hinc et septem cubitorum inde (ik). Cum autem ex v. 4 tota latitudo viginti esset cubitorum, postes duorum cubitorum ita cum humeris ostii ex utraque parte coniunctos esse necesse est, ut unum cum iis murum efficiant crassum duo cubita (ik); dein habes pro ostio 6, pro muro simul cum postibus ex utraque parte 7 + 7 cubita, ergo latitudinem 20 cubitorum. Murus igitur interiectus erat et divisit sanctum a sancto sanctorum; eius crassities erat duorum cubitorum, eius autem ex utraque parte longitudo septem cubitorum; duo igitur erant latera portae, unum a porta usque ad parietem meridionalem, alterum a porta usque ad parietem aquilonarem. Eodem modo textum hebr. et *vulg.* accipiunt *Vil. Mald. Mar. Lap. Men. Tir. Calm.*; ita v. g. *Vil.* : « mensus est postem utrumque portae, hoc est crassitudinem muri, duorum cubitorum; ostium quoque portae mensus est sex cubitos latum, et humeros sive latera portae, hoc est muri partes quae ab ostio extenduntur ad angulos interioris domus, septem cubitorum ». Unde *latitudinem portae* accipi posse censent pro latitudine laterum portae. Sed magis obvius est et clarior textus graecus, unde iam *Houbig.* recte censuit ex eo textum hebr. esse emendandum; eum ita *C.* emendat. Saltem pro רחב scribere oportebit כתפות : et *latera* portae septem cubitorum. Porro nota quanta reverentia exhibeatur adyto vel interiori parti sanctuarii. Non

enim dicitur, ut alibi, *et introduxit me,* sed solum angelus ingreditur, vates ne in visione quidem in sanctum sanctorum admittitur, sed ei v. 4 angelus ex adyto voce missa indicat quae sit mensura.

Textum hebr. de *latitudine* portae quae sit septem cubitorum retinent *Troch. Kliefoth, Schr. Keil.* Verba *portam sex cubitorum* intelligunt de altitudine portae. Sed quomodo hac ratione latitudo adyti viginti cubitorum habeatur, non explicatur, cum solum recenseantur postes duo et porta septem cubitorum, ergo 2 + 2 + 7 cubita. Neque huic defectui remedium affertur si portam duabus valvis cubitorum septenorum constitutam esse dixeris; nondum enim efficiuntur viginti cubita. Expositio quam *Currey* proponit est prorsus coacta neque ullo pacto docet quomodo ad latitudinem adyti perveniatur : « the first measurement of the door was from *post* to *post* six cubits, and the second measurement, the *breadth* of the door was the breadth of the actual doors which shut of the Holy of Holies and which may have been so hung that each of the posts projected half a cubit beyond the hinge of the door (which opened inwards) so as to secure the complete closure of the Holy of Holies ».

Demum mensura adyti indicatur v. 4 « *et mensus est longitudinem eius viginti cubitorum et latitudinem eius viginti cubitorum ante faciem templi; et dixit ad me : hoc est sanctum sanctorum* »; — ea pars quae ante templum vel versus sanctum sita erat latitudine viginti cubitorum fuisse dicitur; additur *ante* templum, ut quam vocaverit latitudinem pateat; cum enim quadratum fuerit, non videtur latitudinem a longitudine distinctam habuisse; dicit ergo se appellare latitudinem eam partem quae versus sanctuarium erat (*Mald.*). Eodem modo in templo quoque Salomonis sanctum sanctorum erat eiusdem mensurae, dum sanctum vel templum erat eiusdem quidem latitudinis viginti cubitorum, sed longitudinis cubitorum quadraginta (3 Reg. 6,16. 17), prout hic quoque in v. 2. 4 mensurae determinantur.

f) Templi aedificium describitur 41, 5-15.

Primum dicitur murum templi (fig. III 1) habuisse crassitiem sex cubitorum; dein narratur ad murum istum sancti et sancti sanctorum adiectum fuisse aliud aedificium quod sanctuarium a tribus partibus cingebat (scil. versus meridiem, occidentem, septemtrionem) et tribus contignationibus assurgebat. Hoc aedificium adiectum ad latus sanctuarii vocatur צֵלָע *latus;* singula cubicula quibus constabat vocantur צְלָעוֹת *latera.* Simile aedificium etiam ad templum Salomonis additum erat : et aedificavit *tabulatum* יָצִיעַ per gyrum... et fecit *latera* in cir-

cuitu (3 Reg. 6,5 seq.); erant autem tria tabulata vel contignationes; ad quos usus inservierint cubicula illa, vide 3 Reg. 7,51. Unde ea quoque re exprimitur aliqua cum templo Salomonis similitudo; v. 5 « *Et mensus est parietem domus sex cubitorum et latitudinem lateris quattuor cubitorum undique per circuitum domus* »; — *latus* vel aedificium illud ad tria latera templi adiectum (m) in templo Salomonis quinque erat cubitorum; numerum intellige de latitudine singulorum conclavium et quidem, ut bene monet *Mald.* id valet solum de infimis cubiculis; nam supremum sex cubita habebat, medium quinque, quia secundum primo, tertium secundo cubito uno latius erat. Pariter crassities parietis domus (l) erat sex cubitorum solum in parte inferiori; nam in superiori quattuor tantum cubita latitudinis habuit; erant enim tres cubiculorum ordines quorum secundus latior erat primo cubito uno, et tertius secundo cubito altero; itaque duobus cubitis murus templi angustior erat superne quam inferne (*Mald. Lap. Men. Loch, Kühn*). Ita recte statui patebit ex sequentibus, atque similis erat dispositio in templo Salomonis : « tabulatum quod subter erat quinque cubitos habebat latitudinis et medium tabulatum sex cubitorum latitudinis et tertium tabulatum septem habens cubitos latitudinis » 3 Reg. 6,6.

Latera vocari cubicula templo contigua plerique interpretum censent (*Mald. Mar. Lap. Men. Tir. Loch, Troch. Ges.* Thes. p. 1171, *Fürst, Schr. Keil, Sm. C.*); etiam *Calm.* licet aliquantulum haesitet eam acceptionem admittit. LXX ad verbum vertunt πλευρά, item *Syrus* דפנתא; *Chald.* מחיצא quam vocem pariter de tabulato, conclavi laterali, de medio pariete explicant; vide *Levy*, Chald. Woerterb. II p. 24 et similiter *Buxtorf*, Lexic. chald. p. 723. — Aliter vocem explanat *Vil.* accipiens eam de anteridibus sive antis vel pilis; eum sequitur *Pail.* scribens : « tselaoth ou *latera* ne sont pas les chambres qui entourent trois côtés du temple, mais les murs de séparation qui les enserrent, tout en faisant fonction de contreforts » (p. 124); assumit undecim eiusmodi anterides in utroque templi latere; « comme murs partiels de séparation ils partageaient en trois chaque contrefront, ce qui multiplie 3 par onze = 33; or 33 au nord, 33 au midi donnent 66 ». Sed haec iam ad sequentia spectant.

Aedificium hoc ad latera templi adiectum (m) describitur v. 6 « *latera autem, latus ad latus bis triginta tria, et erant eminentia quae ingrederentur per parietem domus in lateribus per circuitum, ut continerent et non attingerent parietem templi* »; — i. e. cubiculum erat super cubiculum, idque *bis* « quia supra primum erat secundum et supra secundum tertium; itaque bis erat unum supra aliud » (*Mald.* sim. *Sa*); at communiter textum latinum ita intelligunt, ut cubicula fuisse

dicantur numero bis triginta tria id est sexaginta sex (*Lap. Men. Tir. Calm. Loch*); illud *bis* etiam legitur apud LXX et explicatur ex hebr. פעמים quam vocem legebant numero duali, sicut reperitur Gen. 27, 36. Iob 33,29. Sed textus *mas.* fert numerum pluralem; quare plerique textum hebr. vertunt : cubicula super cubicula, tria idque triginta vicibus, vel tricena cubicula in tribus contignationibus, ita ut nonaginta cubicula numerentur (cf. *Mald. Troch. Hitz. Schr. Currey, Keil, C.*); *Kühn* autem et *Sm.* ex textu hebr. colligi posse « triginta tribus vicibus » contendunt; alium numerum *Chald.* effert : « 33, undena per ordinem » i. e. in singulis contignationibus undena; *Syrus* habet : latus super latus triginta et tribus vicibus. Ex modo quo LXX, *Syrus*, *S. Hier. Chald.* numeros ponunt legisse videntur in hebr. שלושים שלוש et non eo ordine quo nunc habetur; si ita, vertendum erit : 30 cubicula tribus vicibus (*C.*).

Dein exponitur qua ratione cubicula haec coniuncta fuerint aedificio sanctuarii; hebr. verti potest : *et ibant ad parietem quem domus habebat versus cubicula circumcirca ut tenerentur et* (*tamen*) *non tenebantur in pariete domus;* igitur trabes cubiculorum fulciebantur quidem pariete templi, sed ita ut in ipsum parietem non intruderentur; quod quomodo fieri potuerit, proponit *Vil.* : « et retractationes quasdam fecit in ipsis lateribus (muris) domus, in quibus trabes et tabulata cubiculorum domum circumdantium ponerentur, ne opus esset ipsos templi parietes fodere, ut continere possent trabes » vel ut *Mar.* declarat : « significat murum superius coarctari, ut in podio relicto exterius trabes niterentur neque murum fodere esset necesse » et in eundem sensum *Mald.* : « dicebantur ingredi quia secundum et tertium cubiculum singulos *cubitos* ex muro assumebant, ut muro niteretur; at non ingrediebantur proprie, quia murus uno cubito angustior fiebat. » Quod *vulg.* habet *et erant eminentia,* ita accipi potest : cum fabricaretur murus templi, relictae sunt in eo prominentiae, super quas traversae trabes cellarum innitebantur, ita ut necesse non esset murum perforare, ut tabulatorum tigna illi inniterentur (*Lap. Men. Tir.*); simili modo legitur 3 Reg. 6,6 de cubiculis : « trabes autem posuit in domo per circuitum forinsecus, ut non haererent muris templi » vel potius : *imminutiones, retractationes* muri ibi apposuit מִגְרָעוֹת; atque de quadam muri contractione facta ad singulas contignationes etiam recentiores verba accipiunt (*Loch*, *Troch. Schr. Keil, Sm.*); eodem modo *C.* qui ut sensus clarius efferatur pro באות scribit בצעות, cui voci notionem *imminutionis* attribuit. Atque revera nomen talis notionis hic lectum esse olim LXX ostendunt qui praebent *διάστημα,* quo vocabulo etiam redditur מגרעות 1 Reg. 6,6 *imminutiones.*

Posse in una contignatione collocari 30 cubicula, computatione facile efficitur. Ex mensuris supra allatis haec habemus : templum vel sanctuarium longum est cum fronte sancti (41,1) et fronte sancti sanctorum (41,3) cubita sexaginta octo, quibus adde crassitiem muri sex cubitorum, unde pro *externa* longitudine habebis cubita 74 et in latere aquilonari et in latere meridionali; in latere autem occidentali praeter latitudinem internam 20 cubitorum addere oportebit crassitiem murorum lateralium 6 + 6; unde latitudo *externa* efficitur 32 cubitorum. Cubicula autem longa sunt cubita quaterna; unde circa spatium 74 + 74 + 32 cubitorum facile possunt collocari cubicula 30, ita ut v. g. in parte aquilonari ponantur 12 cubicula et totidem in parte meridionali et 6 in latere occidentali. Remanet enim spatium sufficiens pro mediis parietibus quibus singula cubicula inter se separantur; ita in parte aquilonari et meridionali relinquuntur vicena sena cubita, in parte occidentali 8 cubita, quae sane pro parietibus mediis sufficiunt quippe qui crassi esse minime debent.

In sequentibus declaratur id quod supra iam supponendum erat in explicatione v. 6, scil. cubicula in secunda et tertia contignatione evadere latiora, e contra murum templi magis contrahi et imminui; simul etiam dicitur ex una contignatione ad alteram aditum et ascensum fuisse. Haec duo in v. 7 continentur; verum textus est satis implicatus apud omnes testes antiquos; v. 7 « *et platea erat in rotundum ascendens sursum per cochleam et in coenaculum templi deferebat per gyrum; idcirco latius erat templum in superioribus, et sic de inferioribus ascendebatur ad superiora in medium* »; — textus latinus eo fit obscurus quod *templum* ingeritur; necesse est, prout veteres interpretes iam monent, templum intelligere sicut domum in textu hebr. de aedificio ad templum adiecto vel de serie cubiculorum templo appensa (cf. *Vil. Mald. Lap. Men. Tir. Pint.*); cochleam autem interpres ex 3 Reg. 6,8 huc ingessit (*Vil. Mar.*). Sensum versiculi *Vil.* ita reddit recte : « et aditus vel ostium inferiorum cubiculorum patebat ad cochleam qua ad media et superiora cubicula ascendebatur, quae quidem cubicula universam propemodum domum circuibant; et spatium fiebat maius sursum ascendendo ad cameras atque adeo cubicula latiora erant quo superiora ».

Textus hebr. uti traditur hunc in modum forte verti potest et explicari : *dilatabat se, dum circumducebat se sursum sursum versus ratione habita cubiculorum* id est cubicula quo erant superiora, eo latiora erant templum circumeuntia; *nam id quod domum circumdabat quo erat superius eo propius ad domum accedebat; ideo latitudo* maior erat *versus domum in parte superiore et sic inferius ascendebat ad superius ratione habita medii.* Textum hunc non uno vulnere iacere prostratum facile concesseris. Sat multa in eo sunt incerta. Verbum רחב et סבב in *platea* et *rotundo* deprehenditur apud *S. Hier.*; vocem מוסב explicavit (sicut rabbini quoque) de cochlea;

reliqua eius versio sat facile ex textu hebr. deprehendi potest. Ceterum *S. Hier.* in sua versione aliquatenus imitatus est Symmachum (cf. apud *Field*). Textum emendat *C.* pro נסבה scribens נוספה et omittens כי מוסב et aliqua transponens : « et cubicula infimae contignationis lata 4 cubita et augescunt cubicula, quo superius eo magis, circumcirca versus domum; nam imminutiones sunt in pariete domus pro contignationibus cubiculorum circumcirca, ne in parietem domus immitterentur; et ab infima contignatione ascenditur ad mediam et a media ad supremam ». In ultimo membro textus hebr. secundum LXX, *Syrum*, *S. Hier. Sym. Chald.* ita intelligi vel emendari debet, ut ascensus ex infimo tabulato ad supremum exhibeatur; optimum in eo membro textum praebet *Syrus* : et ex imo ascendunt in medium et ex medio in supremum.

Ipsa domus et aedificium adiectum innitebatur substructioni seu fundamento sex cubita alto v. 8 « *et vidi in domo altitudinem per circuitum fundata latera ad mensuram calami, sex cubitorum spatio* » ; — altitudinem vocat suggestum, locum elatiorem, in quo domus vel templum situm erat, uti *Calm.* advertit : « sermo est ibi de colle prominente cui insidens templum super planam soli superficiem altius attollebatur ». In altero membro hebr. vertes vel (secundum *kethib*) : fundata erant cubicula lateralia, vel (secundum *qeri*) : fundamenta cubiculorum lateralium; sensus idem est : cubicula illa substructionem habebant vel fundamentum calami unius *pleni* (hebr.) i. e. sex cubitorum ; vide 40,5.

Qua substructione cui templum et aedificium adiectum innitebatur denuo ostenditur templum prae atrio interiore in loco eminentiore esse situm ; vide ad 40,49; gradibus scil. decem (ex LXX; alii requiri debere duodecim propter sex cubita opinantur) ascendebatur ab atrio interiore ad templi vestibulum.

Quid in hebr. ultima vox אַצִּילָה sibi velit, obscurum est; de voce אַצִּיל vide 13,18. Ier. 38,12; sed ad quid notio *iuncturae* h. l. referri possit quis certo dixerit? Volunt aliqui notionem calami ita determinari, esse scil. sex cubita *usque ad axillam;* sed calamus iam supra 40,5 declaratus est; unde id hoc loco iterum fieri vix est probabile, neque apparet quomodo iis vocabulis id fiat; nam quid sit cubitum usque ad axillam vel iuncturam, pariter nequit explicari. Alii *iuncturam* appellari censent mucronem vel marginem; sed usque eo pertingere mensuram sex cubitorum plane abundat postquam semel dictum est fundamenta esse calamum alta. Atque profecto hoc membrum, nisi novi quid adiungatur, inutile est; quid enim calamus sit iam est expositum. Unde probabilis est eorum sententia qui putant *iuncturam* dici de ea parte domus vel aedificii qua una contignatio alteri iungitur; quam opinionem si adoptaveris, poteris explicare : a fundamentis usque ad alteram contignationem erant sex cubita (ita *Kliefoth*, *Currey*); proin fundamenta et contignationes tres habuisse sena cubita, totum igitur aedificium a solo vel ab atrio interiore eminuisse 24 cubitorum

altitudine. — Vocem hanc veteres interpretes iam ignorarunt; LXX eius loco praebent διαστήματα, *Sym.* κατὰ ἀγκῶνα (scil. ex syr. hex. איך אקויא id quod Symmacho adscribitur), *Chald.* רוח spatium, id quod *S. Hier.* quoque secutus est, *Syrus* vocem omisit, idem *C.* imitatur. Forte designari fundamentum prominens *Sm.* coniectat, qua coniectura nihil iuvamur, nisi ut tautologia textui obtrudatur.

Murus (n) *lateris* vel aedificii adiecti quinque cubita latus erat et circa illud area (eiusdem latitudinis) extendebatur (o). Haec duo enuntiantur in v. 9 « *et latitudinem per parietem lateris forinsecus quinque cubitorum et erat interior domus in lateribus domus* »; — hebr. verte : *et latitudo parietis qui pertinet ad latus* (aedificium adiectum) *ad extra* (*erat*) *quinque cubitorum et quod vacuum relictum est prope* (*ad*) *aedificium conclavium quod pertinet ad templum;* unde sensus esse videtur, etiam hoc spatium ante aedificium (o) fuisse quinque cubitorum, id quod cum v. 11 congruit omnino, dum ibi מֻנָּח id quod relictum est (quae vox eadem hoc nostro loco in hebr. legitur) etiam quinque cubitorum fuisse scribitur. Similiter hebr. explicant *Vat. Mald. Lap. Calm. Schr. Keil, C.;* erat spatium hoc pariter ad extra, inter conclavia et murum distinguentem a gazophylaciis de quibus v. 10 et 42,1 seq. agitur (*Calm.*). Paries huius aedificii adiecti erat uno cubito gracilior muro templi. — Porro exponitur quale intervallum intercesserit inter aedificium et conclavia in atrio interiore sita v. 10 « *et inter gazophylacia latitudinem viginti cubitorum in circuitu domus undique* »; — haec conclavia describuntur 42,1 seq.; tantum igitur distabant quantum erat latitudo templi; sita erant ad partem meridionalem et septemtrionalem. Ad partem occidentalem alia erat structura, de qua v. 12 agitur; cum dicatur spatium eiusmodi fuisse סָבִיב סָבִיב circumcirca, id de tribus partibus templi fortasse valet, ita ut illud quoque aedificium gazophylaciorum nomine recenseatur. Ceterum vide ad v. 14. 15. — Sunt qui alteram partem v. 9 in unam sententiam cum v. 10 iungant : et quod vacuum relictum est inter cubicula domus et inter gazophylacia latitudo erat 20 cubitorum (*Boettcher, Hitz. Kühn, Sm.*), quae explicatio ex LXX commendari videtur; at textus hebr. priore modo bene potest intelligi et propter מֻנָּח in v. 11 ita concipi debere videtur. Vide fig. IV e.

Dein duas ianuas in aedificio adiecto fuisse dicitur (p) quibus ad spatium illud relictum v. 9 perveniebatur v. 11 « *et ostium lateris ad orationem; ostium unum ad viam aquilonis et ostium unum ad viam australem, et latitudinem loci ad orationem quinque cubitorum in circuitu* »; — vocem מֻנָּח hic vertit *S. Hier.* orationem, fortasse cogitans, ut *Vil.*

Mar. Lap. Tir. opinantur, de מְנוּחָה *requie,* de requie orationis vel de loco ubi Dominus requiescere seu habitare censetur, aut sequens Symmachum, cuius in fine versus translatio ὁ τόπος τῆς προσευχῆς servata est, dum LXX, *Syrus, Chald.* rite vocem de spatio relicto explicant. Latina igitur versione neglecta explica hebr. cum *Vat. Mald. Calm.* et recentioribus : *et ianua lateris* (aedificii adiecti) *versus locum relictum,* de quo in v. 9; unum ostium erat ad aquilonem, alterum ad austrum; *et latitudo spatii vacui* vel loci relicti (o) erat quinque cubitorum (hebr.). Ubi fuerint ostia haec, utrum in medio aedificio, an in parte inferiore, non additur. Vide fig. III p.

Sententia est ab omnibus interpretibus accepta, in *latere, lateribus* sicut 3 Reg. 6,5 seq. designari aedificium extrinsecus ad templum adiectum. A qua interpretatione unus recedit *Friedrich* l. c. p. 10 seq. qui iis vocibus exprimi contendit constructionem quandam ex trabibus confectam et in tribus contignationibus erectam, qua interiores sancti et adyti parietes vestiantur, ita ut spatium interius sancti et adyti ad decem cubita in templo salomonico sit redactum, cum constructio illa יצוע ex utraque parte in infima contignatione fuerit lata quinque cubita (3 Reg. 6,5). Ostium et cochleam ponit in poste illo quo sanctum separatur ab adyto. Verum haec explicatio non videtur conciliari posse cum textu apud Ezechielem, de quo hic solum agitur. Nam ex 41,5 paries templi crassus est sex cubita; in v. 9 autem docemur parietem qui sit ad *latus* extrinsecus latum esse quinque cubita. Unde structurae illi cui nomen latus adiacet paries 5 cubitorum. Iam ex illa sententia ei adiaceret paries templi i. e. paries sex cubitorum; unde a vate duo parietes distinguuntur. Arbitrarie autem *Friedrich* explicat eundem parietem dici sex cubitorum et quinque cubitorum, quia latitudo eius 5 cubitorum ex lapidibus, latitudo unius cubiti ex ligno sit facta. Esto ita; sed tum dici debuit lateri apponi parietem *sex* cubitorum, quia integer templi paries cui adiungitur *latus* revera est tantae latitudinis. Neque in ea acceptione explicari potest quid sit in v. 9. 11 *munach* 5 cubitorum circumcirca ad *latus,* ad quem locum ostia lateris dirigantur ab aquilone et meridie. Nam vix probabile est vatem spatium templi interius quod iam 41,2. 4 declaratum est, nunc ita describere, ut dicat ad *latus* quinque pertinere cubita; praesertim cum ex sententia *Friedrich* idem spatium a latere ambiente relictum iam 41,1 אֹהֶל *tabernaculum* sit dictum et descriptum tamquam 10 cubita latum. Quis enim existimabit idem spatium ter efferri, efferri nominibus variis? Insuper ipse mensurandi modus non favet novae acceptioni. Ingressus in templum angelus metitur frontes, portae latitudinem, longitudinem et latitudinem spatii interni (41,1-4); dein parietem mensurat quem sane non potest metiri *intra* ipsum templum; unde in v. 5 iam extra templum consistere percipitur et huic mensurationi adiungitur mensura lateris. — Praeterea mirum est quod *Friedrich* etiam gizrah eodem sensu accipit quo atrium

interius; sed cur propheta pro una eademque re sine ulla explicatione modo hoc modo aliud nomen adhiberet?

Porro in parte occidentali pone templum et aedificium adiectum cum suis cubiculis alia conspiciebatur structura satis lata et longa, de qua v. 12 «*et aedificium quod erat separatum versumque ad viam respicientem ad mare, latitudinis septuaginta cubitorum; paries autem aedificii quinque cubitorum latitudinis per circuitum, et longitudo eius nonaginta cubitorum* »; — vide fig. IV f; versus *mare* i. e. ad occidentem, uti aliis in locis *S. Hier.* etiam vertit (cf. Ex. 10,19; 27, 12. Ios. 8,9). In hebr. *et aedificium quod erat ante* הַגִּזְרָה *ad partem occidentalem latum erat 70 cubita.* Iam quid nomine isto significatur? Scribit *S. Hier.* ad 42,1 : « pro *separato* quod Aquila et Symmachus transtulerunt, secunda Aquilae editio et Theodotio ipsum verbum posuere *gazera* »; vocabulum locum dicit abscissum vel segregatum, quam significationem *Chald.* quoque exprimit; LXX reddunt ἀπόλοιπον, semel 42,13 διαστήματα. Cum explicatio nominis a vate non detur, ea solum ex subsequentibus v. 13. 14 et 42,1. 10. 13 colligi potest. Ex iis autem effici videtur spatium illud vacuum viginti cubitorum quo templum et aedificium ei adiunctum a tribus partibus circumdabatur eo nomine esse appellatum; vide ad v. 10. Dicitur enim aedificium[1] in v. 12 fuisse *ante* gizrah (ad faciem eius); unde fieri nequit, ut ipsum gizrah spatium illud denotet, in quo aedificium sit erectum (uti volunt *Troch. Schr. Keil* paucique alii). Porro 42,1. 10. 13 gazophylacia illa sita ad partem aquilonarem et meridionalem templi constituta esse dicuntur e regione gizrah; quae descriptio omnino congruit ad spatium illud in v. 10 indicatum, neque enim aliud quidquam fuisse indicatur a parte aquilonari et meridionali templi, nisi aedificium adiectum et spatium illud viginti cubitorum. Appellatio quoque *loci separati* (fig. IV e) spatio illi satis convenit quippe quo sanctuarium minime omnibus pervium cingebatur. Si insuper quod aliqui existimant locus ille cancellis claudebatur, eo magis *locus abscissus* vocari potuit. Dein hanc loci acceptionem omnino suaderi in v. 13. 14 videbimus.

Iam quae fuerint mensurae templi aliorumque spatiorum et aedificiorum adnotatur v. 13 « *et mensus est domus longitudinem centum cubitorum, et quod separatum erat aedificium et parietes eius longitu-*

---

1. *Friedrich* l. c. p. 35 perperam infert ex hoc versu etiam murum quo atrium interius cinctum sit vocari *binjan* et istud binjan latum fuisse quinque cubita; sed binjan et murum h. l. distingui (aedificium et parietem) nimis clarum est.

dinis centum cubitorum »; — templum vel domus longitudinem habuit centum cubitorum; quae ab oriente ad occidentem hoc modo ex antecedentibus computatur : habet enim frons vestibuli 5 cubita, vestibulum ipsum latum est 12 (ex LXX; vide 40,49), frons sanctuarii habet 6 cubita (41,1), ipsum sanctuarium longum est 40 cubita (41,2), frons sancti sanctorum habet 2 cubita (41,3), sanctum longum est 20 (41,4), paries quo clauditur crassus est 6 cubita (41,5), cubicula aedificii adiecti lata sunt in infima contignatione (cui crassitudo parietis templi 6 cubitorum respondet) 4 cubita (41,5), paries exterior cubiculorum habet 5 cubita (41,9); unde longitudo efficitur 100 cubitorum. Qua computatione simul confirmatur id quod ad 40,49 dictum est. — Alterum membrum clarius vertes ex hebr. : *et locus segregatus* (gizrah) *et aedificium et parietes eius centum cubitorum longitudinem habent;* etiam haec mensura ab oriente ad occidentem computatur hunc in modum : mensura loci segregati cum spatio illo relicto מֻנָּח efficit cubita 20 + 5 (v. 9. 10), dein sequitur paries aedificii 5 cubitorum, dein ipsum aedificium latitudine 70 cubitorum (v. 12); unde efficiuntur 100 cubita. Paries autem aedificii versus occidentem ea computatione efficitur ipso peribolo (40,5), quo hoc quoque aedificium clauditur; id enim quam maxime e rei natura esse videtur (fig. IV f). Unde quae v. 12 dicuntur de pariete *in circuitu*, intellige de tribus lateribus : orientali, australi, aquilonari. Sicut igitur limina portarum exteriorum in ipso collocantur peribolo, ita hoc quoque aedificium non alio claudi pariete quam ipso peribolo quam maxime verisimile videtur. Quod si non admiseris, sed praeter peribolum ad occidentem posueris parietem 5 cubitorum pro hoc aedificio, partem eius orientalem debebis relinquere vacuam a muro et plane apertam; dein etiam debitum numerum efficies hoc modo : munach habet cubita 5; gizrah 20, aedificium 70, paries ad occidentem 5.

Additur mensura templi et loci segregati ab aquilone versus meridiem v. 14 « *latitudo autem ante faciem domus et eius quod erat separatum contra orientem centum cubitorum* »; — hebr. *latitudo partis anterioris* (faciei) *domus et loci segregati ad orientem centum cubitorum est* i. e. post longitudinem mensura capitur latitudinis domus, quae latitudo est *ad orientem* etiam eo quod revertenti ab occidentali parte, in qua mensura longitudinis sumpta est, latitudo e regione orientis protenditur. Mensura conficitur ex antecedentibus hoc modo : templum ipsum latum est 20 cubita (41,2) quibus adde crassitiem parietis utriusque 6 + 6 cubitorum (41,5); adde latitudinem cubiculorum aedificii adiecti pariter ex utraque parte 4 + 4 cubitorum (41,5) et crassitiem parietis ex utraque parte 5 + 5 cubitorum

(41,9); dein adiunge ex utraque parte et aquilonari et meridionali spatium relictum 5 + 5 cubitorum et locum segregatum 20 + 20 cubitorum (i. e. munach et gizrah v. 9-11); unde 100 cubita latitudinis domus et loci segregati efficiuntur. — Ceterum LXX illud *ad orientem* non praebent sed solum latitudinem templi et τὰ ἀπόλοιπα exhibent mensuranda; haec autem ἀπόλοιπα spatia sunt viginti cubitorum ex utraque parte, quibus nomen gizrah imponi ex hac ipsa computatione elucet. Mirum est quod Friedrich l. c. p. 37 vult eo nomine designari atrium exterius.

Dein mensura datur aedificii illius magni quod est ad occidentem templi, de quo in v. 12 dictum est v. 15 « *et mensus est longitudinem aedificii contra faciem eius quod erat separatum ad dorsum, ethecas ex utraque parte centum cubitorum* »; — res clarius proponitur in hebr. *et mensus est longitudinem aedificii ante locum segregatum* (ante gizrah) *quod erat occidentem versus ab eo et parietes eius centum cubitorum;* quae mensura iam ex v. 12 elucet, cum longitudo sit 90, parietes autem ex utraque parte 5 + 5 cubita crassi perhibeantur. Ex v. 12 etiam patet *ethecas* אתיקים h. l. vix aliud dicere atque parietes. Alii vertunt porticus, ambulacra. Quodsi ita, debebis explicare et aedificium centum fuisse cubitorum (ex v. 12) et ex utraque eius parte sita fuisse ambulacra vel porticus eiusdem longtitudinis; cui tamen acceptioni modus loquendi parum favet, utpote nimis concisus et abruptus. Notionem *occidentis* quae hic omnino convenit אחור, אחרון alias quoque induit v. g. Deut. 11,24; 34,2. Iob 23,8. Is. 9,11. Aedificium illud, cum extenderetur secundum locum segregatum et iuxta eum, situm erat pone locum segregatum, si spectas rem a templo; erat ante eum, si ab occidente constiteris; vide fig. IV e, f, D.

Longitudinem templi *Keil* alio modo describit; omittit enim vestibulum templi et crassitiem frontium, sed computat ad longitudinem templi illa viginti cubita, de quibus in v. 10 agitur et quae loco segregato attribuimus. Sed cur vestibulum a templi longitudine excludatur, non apparet ratio. Dein cogitur *Keil*, ut latitudinem centum cubitorum in v. 14 expressam habeat, *fingere* aliam aream, de qua nihil in textu et quae 20 cubita lata ad aedificium illud pertinuerit et ex utraque parte aditum ad illud permiserit. Sed nemo non videt quam arbitrarium sit id *fingere* ut computatio possit consistere. *Troch.* eum sequitur, et fere eodem modo *Schr.* rem proponit.

Sunt qui gizrah de ipso accipiant templo; immo *Vat.* dicere non dubitat: « merito scriptores in hanc unam confluunt sententiam, ut putent templum ea voce indicari » et ex recentioribus etiam *Kühn* existimat ea significatione

templum quoque includi. At in v. 13. 14 gizrah omnino clare a templo distinguitur, neque licet cum *Vil.* particulam *et* explicare *id est*, ut ea ratione templum et gizrah unum idemque esse vel denotari templum cum aedificio appendiciorum dicatur (*Vil.* 2 p. 300). *Pail.* ita censet : « aedificium separatum s'applique à la série des chambres ou lieu de la prière; lequel édifice, cernant le temple, est *séparé* de tous les autres bâtiments (p. 128)... cet édifice étant le temple même qu'on a appelé *séparé* parce qu'il n'était attenant à aucune autre construction, ne pouvait être séparé du temple (p. 135) ». Sed, ut alia mittam quae ex v. 13-15 colliguntur, vix credibile videtur aedificia illa vel appendicia quae antea *latus*, *latera* vocata sunt, nunc subito alio nomine eoque novo appellari et deinceps 41,1. 10 designari.

g) Templi ornamenta 41, 16-26.

Secundum textum graecum mensuris datis statim transitur ad ornamentum et reliquum apparatum describendum; pergitur enim (ut *S. Hier.* textum graecum vertit) : « et templum et anguli et aelam exterius strata ligno et fenestrae in modum retis factae tres ad lucendum, ut prospiceretur per eas; et domus et ea quae proxima erant strata ligno per circuitum, et pavimentum et de pavimento usque ad fenestras »; sed nota in textu graeco dici : fenestrae factae *tribus* i. e. in tribus illis aedificii partibus : in templo, in interiore sanctuario, in vestibulo, de quibus antea mentio facta est. Hic textus merito praefertur. In textu enim hebr. ita pergitur, ut angelus mensuras earum partium quas antea iam sumpsit denuo sumere dicatur et medias inter mensuras aliqua de ornamentis inserantur; unde bonus ordo deest : « *Et templum interius et vestibula atrii*, v. 16 *limina et fenestras obliquas et ethecas in circuitu per tres partes contra uniuscuiusque limen stratumque ligno per gyrum in circuitu; terra autem usque ad fenestras et fenestrae clausae super ostia;* v. 17 *et usque ad domum interiorem et forinsecus per omnem parietem in circuitu intrinsecus et forinsecus ad mensuram* »; — ex textu tamen colligi potest pavimentum stratum fuisse tabulatis (tabulis cedrinis, ut habet *Chald.*) et parietes quoque a terra usque ad fenestras eiusmodi tabulatis fuisse opertos et exornatos, ut iam concluserunt *Vil. Mald. Mar. Lap.;* reliqua vero satis esse obscura et aenigmatum instar nemo non videt. Neque clarior est textus hebr. quem vertere debebis : *et templum, interius et vestibula atrii; et limina et fenestrae obliquae* (cancellis clausae? cf. 40,16) *et ethecae* (parietes? porticus? ambulacra? περίστυλα LXX 42,3,5) *per gyrum circa tria, e regione liminis tabulatum ligneum circumcirca et (a) terra usque ad fenestras (et fenestrae opertae) super*

ostio et usque ad domum interiorem et forinsecus et in omni pariete circumcirca in exteriore et in interiore (erant) mensurae (? מדות *stragulae, tapeta?* quam vocem etiam Iud. 5,10 ea notione inveniri volunt; cf. Ps. 133,2 hebr. ubi *vestimentum* vertitur). Cum scriptum sit *circa tria*, confirmatur lectio graeca, qua in ultimo membro v. 15 tria efferuntur, quae tria (ו interposito) ex hebr. explica templum, sanctum sanctorum (interius), vestibulum, quae tria etiam in v. 17 cernere licet.

In antecedentibus non iam de mensuris, sed cum LXX de pavimento et parietibus tabulato ligneo exornatis esse sermonem, etiam subsequentibus confirmatur, quippe quibus alia ornamenta recensentur v. 18 « *et fabrefacta cherubim et palmae et palma inter cherub et cherub, duasque facies habebat cherub,* v. 19 *faciem hominis iuxta palmam ex hac parte et faciem leonis iuxta palmam ex alia parte expressam per omnem domum in circuitu* » ; — de palmis vide ad 40,16. In aditu templi exteriore solum palmae ornamenti gratia videbantur; in sanctuario prope Dei sedem etiam cherubim. Ad loci sanctitatem et Dei sedem demonstrandam cherubim potissimum conferunt, quorum imagines ad arcam cernebantur et quibus Deus quasi vehi videbatur; cf. quae dicta sunt ad cp. 1. Facies cherubim explica eodem modo quo ibi dictum est. Cum imagines essent in pariete depictae vel affixae per modum operis caelati, duae solum facies poterant exprimi. Cogita superiorem partem, os, humeros, brachia, pectus effigiem hominis, reliqua leonis figuram spectantibus exhibuisse. Et ita *facta erant* cherubim et palmae per omnem domum circumcirca (hebr.); eodem ornamenti genere templum quoque Salomonis instructum erat 3 Reg. 6,29. Noto etiam *Vil.* explicare faciem ita, ut non vultum duplicem intelligat, sed formam partim humanam partim leoninam, quam acceptionem acriter defendit (2,311 seq.) et contra accusationem novitatis Patribus adversae vindicat inter alia auctoritate *Clementis* alexandrini qui sphingas ferae simul et hominis imaginem significantes Aegyptios quodammodo ab imaginibus cherubim esse mutuatos affirmet[1]. Membrum ultimum accuratius explicatur v. 20 « *de terra usque ad superiora portae cherubim et palmae caelatae erant in pariete templi* » ; — de pavimento trans portam usque, per totum parietem usque ad laquearia eiusmodi ornamenta erant sculpta. Ita quoque LXX : caelatus omnis paries per circuitum a pavimento usque ad laquearia (ἕως τοῦ φατνώματος) cherubim et palmae caelata (ut *S. Hier.* vertit); qui textus

1. Alludit *Vil.* ad Strom. 5,5. 6; *M.* 9,56. 61. 62; sed ipse *Vil.* mox addit Clementem non expresse dicere eiusmodi figuras esse e templo petitas.

clarior est, cum praebeat totam *domum* a pavimento *usque ad laquearia* fuisse eo modo exornatam; obscurius est enim illud *trans portam usque* (hebr.).

Pariter obscurum est et sane corruptum quod sequitur v. 21 « *limen quadrangulum et facies sanctuarii aspectus contra aspectum* »; — vel hebr. *templum* habebat *postem quadratum et facies sanctuarii* (pars antica), *aspectus sicut aspectus* id quod explicare tentant : pars antica sancti sanctorum eundem praebebat aspectum sicut sanctum i. e. habebat etiam postem quadratum vel postes quadratos. *Syrus* in priore membro habet : paries templi quadratus erat (quem textum *C.* sequitur : paries sanctuarii rectagonum erat); secundum LXX sanctum et templum forma quadrata constructum esse dicitur. Pro altero membro veram lectionem et sensum facilem suppeditant LXX et *Syrus* iungentes verba cum sequentibus : *ante faciem sanctuarii aspectus erat sicut aspectus altaris lignei* i. e. ante sanctum sanctorum collocatum erat aliquid quod formam et figuram altaris prae se ferebat. Quare hoc quoque loco textu graeco discimus verba hebr. aliter esse iungenda atque iunguntur in versione latina, apud *Chald.* et in *mas.* textu. Insuper patet textum graecum esse praeferendum, quia quo loco altare sit collocatum certo dici debuit. — Ad textum hebr. vide 1 Reg. 6,31 hebr. — Vide fig. III q.

Altare accuratius describitur v. 22 « *altaris lignei trium cubitorum altitudo et longitudo eius duorum cubitorum et anguli eius et longitudo eius et parietes eius lignei. Et locutus est ad me : haec est mensa coram Domino* »; — LXX addunt etiam altaris latitudinem duorum cubitorum ; partes eius enumerantur *anguli,* quos explicabis de cornibus altaris quae alibi appellantur Ex. 27,2; 30,2 etc.; haud immerito tigilla esse censent angularia aureis laminis contecta (*Vil. Tir. Lap. Sm.*); LXX *cornua* ponunt. Alia altaris pars, uti patet, non potest esse *longitudo*. LXX praebent eo loco ἡ βάσις αὐτοῦ; unde lege in hebr. non ארכו sed levi mutatione אדנו *basin eius,* quam vocem vide Ex. 26,19 seq. Iob 38,6. Cant. 5,15. Altare vocatur *mensa coram Domino;* collocabatur coram sancto sanctorum, sicut altare thymiamatis. Cum sacrificia et oblationes haud raro panis Dei appellentur (Lev. 21,6. 8. 17. 21. 22 hebr.), nominis ratio facile deprehenditur; « hoc altare est quasi mensa in qua Domino ignis et thymiama quasi esca Deo gratissima proponitur » (*Lap.* sim. *Men.*); cf. Mal. 1,7. Altare thymiamatis in templo Salomonis erat cedrinum et obductum auro (3 Reg. 6,20. 22. 2 Par. 4,19); praeterea aderant ibi decem candelabra aurea, decem mensae pro panibus propositionis aliaque (3 Reg. 7,49. 2 Par. 4,8), de quibus nihil in templo ab Ezechiele viso refertur.

Cum altare collocaretur ante introitum in adytum templi, ad ipsum introitum oculos convertit vates et de ianuis quaedam addit v. 23 « *et duo ostia erant in templo et in sanctuario;* v. 24 *et in duobus ostiis ex utraque parte bina erant ostiola quae in se invicem plicabantur; bina enim ostia erant ex utraque parte ostiorum* »; — i. e. porta templi et porta sancti sanctorum habebant valvas binas, et ex v. 24 singulae valvae iterum habebant binas fores versatiles, flexibiles; ita ex hebr. *duae valvae valvis, duae versatiles valvae, duae uni valvae et duae valvae alteri.* Pro porta templi quae lata erat decem cubita 41,2 ianua quattuor constans valvis vel foribus facile concipitur; difficilius pro porta sancti sanctorum quae solum sex cubita lata erat, quam portam si diviseris in duas ianuas trium cubitorum et has duas ianuas in binas valvas unius cubiti et dimidii, ipsae valvae nimis videntur exiguae. At cum in textu graeco idem habeatur, neque valvae unius cubiti et dimidii repugnent[1], textui tradito acquiescendum erit, neque valet quod obiicit *C.* in 1 Reg. 6,34 talem portam ex quattuor valvis constantem solum templo i. e. sancto neque tamen sancto sanctorum assignari. Nam vatem nostrum non exprimere in omnibus templum salomonicum iam saepius advertimus. Intelligi autem *templum* de sancto et *sanctuarium* de adyto vel oraculo vel sancto sanctorum certum est et fere ab omnibus admissum; idem est earundem vocum usus Lev. 16,2. 16. 17. 20. 1 Reg. 6,5. 17. 33 (cf. *Vil. Mald. Lap. Keil, Kühn, Sm.*).

Et quemadmodum in 3 Reg. 6,32. 35 ostiis commemoratis ornamenta eorum describuntur, ita hic quoque v. 25 « *et caelata erant in ipsis ostiis templi cherubim et sculpturae palmarum sicut in parietibus quoque expressae erant, quam ob rem et grossiora erant ligna in vestibuli fronte forinsecus* »; — vide ad v. 18; « crassiora erant ligna in vestibulo portae forinsecus, ut et firmitatem haberent et caelaturam possent recipere »; ita *S. Hier.;* vestibulum igitur tabulis crassioribus sive axibus solidis operiebatur (*Calm.*). In hebr. legitur עָב עֵץ: veteres explicant de lignis (LXX), de trabe (*Chald.*); recentiores explicant vel de tecto quodam quod fuerit ante vestibulum forinsecus (*Sm. C.* qui tamen prudenter addit?), alii de cymatiis ligneis (*Schr. Keil*). Explicatio est incerta[2]; in 3 Reg. 7,6 עב *S. Hier.* vertit *epistylium.*

1. Notat *S. Hier.*: « solent enim in maioribus tricliniis bina sibi haerere atque coniungi (ostia), ut maior introitus nequaquam duobus et ingentibus, sed quattuor minoribus claudatur vel aperiatur foribus ».

2. Versio anglica habet : thick beams of wood; *Ewald* : Laubwerk, ornamenta frondes et folia imitantia.

Praeterea de vestibulo additur v. 26 « *super quae fenestrae obliquae et similitudo palmarum hinc atque hinc in humerulis vestibuli secundum latera domus latitudinemque parietum* »; — illud *super quae* neque in hebr. neque in graeco legitur; de *obliquis* fenestris vide ad 40,16; 41,16; hebr. *palmae* erant hic et illic in humeris vel in parietibus lateralibus vestibuli et in cubiculis quibus aedificium adiectum constabat (v. 6), *in lateribus* et in trabibus? ultima vox הָעֻבִּים pariter incerta est. *Sym.* vertit τὰ πάχη, uti עָב 3 Reg. 7,6 vertunt LXX πάχος; hoc autem loco praebent ἐζυγωμένα (scil. latera domus); *Syrus* vertit: latera domus obducta (obtecta) erant asseribus.

h) De gazophylaciis 42, 1-14.

Ad utramque templi partem, aquilonarem scil. et australem, duo alia aedificia sita erant, quae occupabant omne spatium atrii interioris a loco segregato (gizrah) fere usque ad atrium exterius (fig. IV g). In istis aedificiis varia erant cubicula ad duos usus destinata, ut scil. ibi sacerdotes ea comederent quae ex sacrificiis illis erant attribuenda et ut ibi vestimenta sacra ad functiones sacras iuduerent et post eas exuerent. Hoc aedificium versus aquilonem situm primo loco describitur v. 1 « *Et eduxit me in atrium exterius per viam ducentem ad aquilonem et introduxit me in gazophylacium quod erat contra separatum aedificium et contra aedem vergentem ad aquilonem* »; — ex atrio interiore vates ducitur per portam aquilonarem in atrium exterius, ex quo introducitur ad *conclave* הַלִּשְׁכָּה; ita tota structura variis conclavibus constans vocatur. Cum eo in aedificio sacerdotes vestes sacras assumerent, conveniens erat, ut aditus pateret ex atrio exteriore. Erat aedificium hoc e regione loci separati (gizrah; vide 41,10) et e regione *structurae* vergentis ad aquilonem. Haec structura vocatur הַבִּנְיָן, quo nomine murus ille vel peribolus designabatur de quo 40,5 agitur. Unde gazophylacium, prout *S. Hier.* vertit, e regione oppositum erat loco segregato ex una parte, et ex altera muro illi; ergo inter utrumque extendebatur. Appellatur quidem nomine בִּנְיָן etiam aedificium in parte occidentali templi et loci segregati situm (41,12); at hoc aedificium in nostro loco nequit intelligi; nam *quod est e regione* bis repetitum melius de situ ex utroque latere accipitur, uti fit in v. 3; et cum vates ductus sit in atrium exterius et exinde situm determinet, propius adiacet cogitare de illo muro. Gazophylacium hic dici de ordine et serie gazophylaciorum iam advertunt *Mald. Vil. Vat. Lap. Men. Tir.*

Situ determinato mensura quoque huius aedificii recensetur v. 2 « *in facie longitudinis centum cubitos ostii aquilonis et latitudinis quinquaginta cubitos* »; — hebr. verte : *ante longitudinem centum cubitorum* i. e. iacebat aedificium ante vel ad faciem eius quod supra iam tamquam habens longitudinem centum cubitorum erat descriptum i. e. templi locique segregati 41,13. Si ita ad eius spatii vel loci faciem extendebatur, ipsum quoque eiusdem erat longitudinis quae quidem mensuratur *versus aquilonem*, uti clarius habent LXX, in ea parte longitudinis aedificii quae spectat ad aquilonem; hebr. habet *ad portam aquilonis*, id quod difficilius est sed eodem modo explicari debebit, nisi malueris vocem referri ad 41,11, ut scil. mensura longitudinis sumatur ex ea parte quae sit illi ostio aquilonari opposita; id quod in ratione metiendi perinde est atque illud. Latum erat aedificium hoc quinquaginta cubita; quare eius latitudo eadem est quae longitudo portarum atrii (40,29. 33.36). Vide fig. IV gg.

Hoc quoque aedificium tribus contignationibus esse constitutum dicitur in v. 3, in quo iterum situs eius determinatur et ex qua parte porticus fuerint indicatur; v. 3 « *contra viginti cubitos atrii interioris et contra pavimentum stratum lapide atrii exterioris ubi erat porticus iuncta porticui triplici* »; — hebr. verte *e regione viginti* (*cubitorum*) *atrii interioris et e regione pavimenti atrii exterioris porticus erat ad porticum in tribus* (contignationibus). Cubitis viginti atrii interioris locus segregatus vel gizrah (e) designatur eiusdem scil. latitudinis 41,10; de pavimento atrii exterioris vide 40,17. Proinde intra hos duos limites aedificium hoc situm esse indicatur, et ita quidem, ut contra utrumque terminum sit porticus, ante, vel ad faciem porticus in tribus contignationibus; vide ad v. 5. Habuit itaque ex utraque parte tria tabulata quae porticibus innitebantur. De voce אתיק vide ad 41,15. 16; *S. Hier.* hic vertit *porticum*, quam notionem alii quoque sequuntur et quae ad rem apta est. Ceterum iam veteres varie vocem accipunt : LXX περίστυλον, στοάν, *Syrus* septum, *Chald.* angulos seu columnas angulares.

Praeterea versus aquilonem ante conclavia ambulacrum (h) est quo ex iis ad atrium interius pervenitur v. 4 « *et ante gazophylacia deambulatio decem cubitorum latitudinis ad interiora respiciens viae cubiti unius; et ostia eorum ad aquilonem* »; — textus eget emendatione ex LXX : et longitudinis centum cubitorum; via illa igitur centum cubita longa ante totum aedificium protendebatur. Probabilius in parte aquilonari sita erat, quia additur ostia conclavium spectasse ad aquilonem; ex iis autem per ambulacrum illud perveniebatur ad atrium inte-

rius. Ex textu graeco pro *via* דרך scribe ארך et pro *uno* אחת scribe centum אמות מאה.

Ceterum interpretes varie exponunt. Sunt qui textum hebr. et *vulg.* posse retineri censeant. Explicant viam unius cubiti de introitus in singula conclavia spatio; ad quam tamen acceptionem neque vox *via* neque mensura unius cubiti apta est; ianuam isti construunt angustam nimis! *Calm.* cubitum unum exponit de limbo per totam ambulacri longitudinem protenso instar illius qui ante thalamos erat in portis 40,12. Similiter *Currey :* « in the middle of the chambers was a gangway leading inward with stairs to the upper stories ten cubits wide, while along the north front of the building there was a kerb of one cubit as before the guard chambers 40,12, on which kerb the north doors opened ». Etiam *Sm.* ambulacrum hoc fuisse opinatur inter utramque conclavium seriem, de qua mentio in v. 8 fit. Sed tum non intelligitur cur addatur : ostia eorumad aquilonem; id enim solum de una parte dici posset; verum modus loquendi indicat, ambulacrum in latere septemtrionali fuisse ad quod ex singulis conclavibus patebat aditus.

Quomodo tres contignationes horum conclavium sint constitutae paucis adumbratur v. 5 « *ubi erant gazophylacia in superioribus humiliora, quia supportabant porticus quae ex illis eminebant de inferioribus et de mediis aedificii* »; — illud *ubi* in textu hebr. neque hic neque in v. 3 legitur. Hebr. verte *conclavia superiora erant contractiora* vel angustiora; *nam absumebant* (detrahebant) *porticus de iis* i. e. porticus scil. spatium aliquod de conclavibus detractum occupabant et ita cubicula superiora erant breviora *prae infimis et mediis* conclavibus aedificii. Quomodo autem porticus spatium detraxerint de mediis et superioribus cubiculis indicatur v. 6 « *tristega enim erant et non habebant columnas sicut erant columnae atriorum; propterea eminebant de inferioribus et de mediis a terra cubitis quinquaginta* »; — alterum membrum verte ex hebr. *propterea auferebatur de infimis et mediis a solo;* conclavia illa erant *triplicata* (hebr. *Mald.*) triplicia, alia super alia; proin tres erant contignationes. Et cum non essent columnae quibus porticus superiorum contignationum ex aequo inniterentur, necesse erat ad spatium habendum pro porticu media et superiore, ut cellae mediae et superiores eo spatio imminuerentur vel retraherentur. Ex comparatione instituta cum cellis in atriis (40,17. 38. 44) concludi poterit illas quoque tribus contignationibus fuisse structas, sed habuisse columnas quibus porticus impositae erant; neque tamen sequitur *omnia* illa gazophylacia eodem modo fuisse constructa; id enim de illis in 40,38 commemoratis propter usum ad quem destinata erant non probabile videtur. — Quod in textu latino

in fine v. 6 legitur *cubitis quinquaginta* neque in hebr. neque in graeco legitur.

Erant autem duo ordines conclavium, unus e regione templi, alter e regione atrii exterioris; de utroque edocemur v. 7 « *et peribolus exterior secundum gazophylacia quae erant in via atrii exterioris ante gazophylacia; longitudo eius quinquaginta cubitorum,* v. 8 *quia longitudo erat gazophylaciorum atrii exterioris quinquaginta cubitorum, et longitudo ante faciem templi centum cubitorum* »; — hebr. explica *et murus forinsecus secundum cellas* protensus erat *versus atrium exterius ante cellas* i. e. iis ex adverso respondens, cuius longitudo erat 50 cubitorum; id explicatur et confirmatur versu sequenti, quo dicitur in illo aedificio centum cubita longo conclavia quae atrio exteriori erant opposita solum occupasse dimidium totius longitudinis; in altera autem parte quae erat ex adverso templi omnem longitudinem aedificii conclavibus fuisse attributam (gg). Ad conclavia autem aditus (i) erat ex atrio exteriore v. 9 « *et erat subter gazophylacia haec introitus ab oriente ingredientium in ea de atrio exteriori* »; — introitus erat *infra* conclavia, quia atrium exterius magis erat depressum; unde introitus ex loco inferiore ascendebat (hebr. מִתַּחַת); erat introitus ab oriente, ita scil. ut ostium eius spectaret orientem versus, ut qui ab oriente atrium exterius ingressus ad ea conclavia gressus dirigeret ad eum perveniret introitum et ex eo qui erat infra conclavia ad ea ascenderet vel ad aream quam occupabat aedificium.

Aedificium plane simile etiam ad australem partem templi conspiciebatur; de quo agitur in v. 10 « *in latitudine periboli atrii quod erat contra viam orientalem, in faciem aedificii separati et erant ante aedificium gazophylacia* »; — hebr. verte et explica *in latitudine muri atrii versus meridiem, ante locum segregatum* (gizrah) *et ante aedificium erant cellae;* pro *via orientis* legi oportet *versus meridiem,* sicut 40,44; cum enim e regione gizrah sitae essent, necessario versus meridiem spectabant, uti etiam in v. 12 et 13 explicite asseritur. Earum situs in latere australi eodem modo determinatur sicut in v. 1 de aquilonaribus : erant e regione gizrah et e regione muri illius qui בִּנְיָן vocatur 40,5; insuper dicuntur sitae in latitudine vel ad latitudinem muri quo atrium interius ab exteriore separabatur; de muro vide ad v. 7; similis ergo murus pro parte meridionali assumi debet.

Haec conclavia aliis ex adverso versus aquilonem positis plane similia describuntur v. 11 « *et via ante faciem eorum iuxta similitudinem gazophylaciorum quae erant in via aquilonis; secundum longitudinem eorum sic et latitudo eorum et omnis introitus eorum et similitudines et ostia eorum* »; — de via illa (h) vel ambulacro ante cellas vide v. 4;

in altera versus parte enuntiatur ad priorum conclavium similitudinem et formam etiam horum longitudinem, latitudinem, omnesque *exitus et dispositiones* (hebr.) esse instituta et effecta : sic longitudo eorum, sic latitudo eorum etc.; de ostiis vide ad v. 4; eadem erant in ordine conclavium meridionalium v. 12 « *secundum ostia gazophylaciorum quae erant in via respiciente ad notum; ostium in capite viae quae via erat ante vestibulum separatum per viam orientalem ingredientibus* »; — hebr. verte *sic ostia conclavium versus meridiem,* sicut scil. erant illa versus aquilonem, uti in v. 11 dicitur. Dein describitur introitus ex atrio exteriore eodem modo quo ad v. 9 vidimus *et introitus in capite viae, viae ante murum* vel in conspectu muri convenientis (?); de hac via (i) vide v. 4; *ante murum* הגינה vel idem dicit quod in v. 4 legimus : ante gazophylacia deambulatio, vel intelligitur de muro qui correspondeat illi in v. 7 descripto. In capite istius viae, ibi ubi incipere vel unde egredi videtur erat introitus *versus orientem venientibus ad ea* i. e. qui per orientalem portam ingrediebantur in atrium exterius, hanc habebant ianuam per quam ex atrio exteriore ad conclavia illa pervenire poterant. De voce הגינה nihil constat; apud rabbinos explicatur idoneus, decens. Sed cum teste *Fürst* codices valde varient et cum LXX aliud, aliud *S. Hier.* legerint, vox ipsa videtur esse corrupta.

Ad quid conclavia haec inservire debeant explicatur v. 13 « *et dixit ad me : gazophylacia aquilonis et gazophylacia austri quae sunt ante aedificium separatum, haec sunt gazophylacia sancta, in quibus vescuntur sacerdotes, qui appropinquant ad Dominum in sancta sanctorum; ibi ponent sancta sanctorum et oblationem pro peccato et pro delicto; locus enim sanctus est* »; — hebr. *quae sunt e regione loci segregati* (gizrah); vide ad 41,10; 42,1. 3. Has cellas angelus declarat sanctas i. e. ad usum sacrum destinatas, qui statim declaratur eo quod sacerdotes qui coram Domino suis funguntur officiis et qui sacrificia offerentes ad Deum accedunt, in istis cellis *comedere* iubentur *sancta sanctorum* (hebr.). Ita vocabantur ea quae de fertis non in altari incendebantur sed quae sacerdotibus tribuebantur (Lev. 2,3. 10; 6,10; 10, 12), ita quoque carnes sacrificiorum pro delicto et peccato (Lev. 6,22; 7,6). Haec in loco sacro, in loco sancto atrii tabernaculi, iuxta altare comedi oportuit ex lege l. c. data. Ad eum igitur locum ea ex sacrificiis et fertis inferre iubentur sacerdotes quae ipsis contingunt. Ibi ea deponant, donec scil. simila oleo conspersa et carnes coquantur in loco ad id designato, de quo 46,19-20 agitur. Cocta igitur in has cellas transferre et in his comedere iubentur.

Hae cellae etiam inserviunt ad vestimenta sacra asservanda v. 14

« *cum autem ingressi fuerint sacerdotes, non egredientur de sanctis in atrium exterius, et ibi reponent vestimenta sua, in quibus ministrant, quia sancta sunt, vestienturque vestimentis aliis et sic procedent ad populum* »; — officio sacerdotali peracto iubentur e templo in has se conferre cellas, ibi vestes sacras deponere, induere communes et ita ad communem vitae consuetudinem reverti. Unde intelligitur, cur in utroque cellarum aedificio tam diligenter notatus sit aditus ex atrio exteriore ad cellas in v. 9.12; si enim ad sacras functiones accedebant, per illam ianuam ex atrio exteriore erat ingrediendum, ut vestes sacras induerent et sacris peractis et vestibus sacris depositis per eam ianuam e sanctuario et atrio interiore redibant ad atrium exterius.

i) **Mensura areae circa templum 42, 15-20.**

Secundum textum hebr. et versiones syr. et lat. et *Chald.* totum templi aedificium cum atriis et portis et peribolo illo 40,5 circumdabatur area quadam magna quadrata, cuius singula latera habebant quingentos calamos seu tria millia cubitorum, quae igitur tota calamis 250000 constabat quadratis, ita ut aedificium sacrum ab omni parte intervallo longo quingentorum calamorum separaretur a regione profana. Igitur in sacra quadam solitudine, longe remotum a tumultu vitae quotidianae templum erat collocatum, ut quantum res divinae praestarent prae humanis et civilibus negotiis ipsa illa distantia significaretur. Templum enim in alto monte positum 40,2 et longe remotum a loco non sacro quantae sit sanctitatis et quantopere excedat res humanas ipso suo situ repraesentat. Quod ut menti prophetae ostendatur, angelum cernit aream illam amplissimam circa templum determinantem; v. 15 « *Cumque complesset mensuras domus interioris, eduxit me per viam portae quae respiciebat ad viam orientalem et mensus est eam undique per circuitum* »; — per eandem viam et portam qua ingressus est 40,6 etiam educitur; mensus est *eam* scil. domum, totum aedificium, ex omni parte circa eam mensus est; ita enim ex subseq. colligitur. Vertere hebr. poteris magis indeterminate : *id* mensus est i. e. spatium illud ad quod eductus est vates. LXX praebent τὸ ὑπόδειγμα τοῦ οἴκου.

Mensionem incipit a parte orientali ex qua secundum textum graecum progreditur ad aquilonem, occidentem, meridiem; proin ordinem bonum praebet textus graecus; textus autem hebr. in v. 18 et 19 ordinem hunc interturbat; v. 16 « *mensus est autem contra ventum orientalem calamo mensurae quingentos calamos in calamo mensurae per circuitum* »; — mensus est plagam orientalem, ad locutionem

venti orientalis cf. 37,9; ut mensuram adhibuit calamum, de quo vide 40,5. Cum de uno latere orientali agatur, illud סביב *per circuitum* vix apte dici potest; unde satius est legere uti habetur in v. 19 et in textu graeco exprimitur : סבב *et convertit se* idque coniungere cum v. 17 « *et mensus est contra ventum aquilonis quingentos calamos in calamo mensurae per gyrum* »; — etiam hic lege cum LXX et iunge cum sequenti : et convertit se v. 18 « *et ad ventum australem mensus est quingentos calamos in calamo mensurae per circuitum,* v. 19 *et ad ventum occidentalem mensus est quingentos calamos in calamo mensurae* »; — ut adverti, LXX rectum exhibent ordinem in v. 18 de plaga occidentali et in v. 19 de australi; ita circuitus e rei natura fit; in fine v. 18 non est in hebr. סביב, sed legitur in initio v. 19 סבב et convertit se ad plagam *maris* i. e. ad occidentem; vide ad 41,12.

Area haec quadrata muro cingebatur, quo sacrum a profano separabatur v. 20 « *per quattuor ventos mensus est murum eius undique per circuitum, longitudinem quingentorum cubitorum et latitudinem quingentorum cubitorum, dividentem inter sanctuarium et vulgi locum* »; — in textu hebr. solum legitur : *longitudo quingentorum* (erat) *et latitudo* [1] *quingentorum* sine addito; sed ex v. 16-19 secundum hebr. suppleri oportet *calamos,* non uti in lat. legitur cubitos; ipse *S. Hier.* scribit in commentario : « hebraeus sermo non continet cubitos, sed simpliciter : longitudinem quingentorum et latitudinem quingentorum, ut subaudiatur : calamorum, sicuti quarto supra dictum est, ad orientalem ventum et ad aquilonem et ad austrum et ad mare quingentis calamis, murum partium singularum ab eo qui tenebat calamum fuisse dimensum ». Idem monent *Mald. Mar. Lap. Tir. Pint.* esse delendum *cubitorum* [2].

In textu graeco v. 16 legitur : et mensus est quingentos in calamo mensurae; in v. 17 additur ad eandem dictionem πήχεις, cubita, eadem vox etiam additur in v. 20 semel, dum in v. 18. 19 legitur sicut in v. 16. Unde aliqui concluserunt in tota mensione non agi de calamis sed de cubitis et textum hebr. esse corrigendum deleta ubique voce קָנִים. Ita *Boettcher, Hitz. Sm. C.* aliique. Insuper monent spatium in hebr. indicatum nimis videri magnum; templum in tali area maxima positum apparere debere parvum et ad risum movendum exiguum. Etiam aliis, uti *Vil. Houbig. Calm.,* spatium illud

---

1. Bene notat *Mald.* : « non erat proprie longitudo neque latitudo, quia peribolus quadratus erat; sed vocat longitudinem duos muros qui ab oriente ad occidentem paralleli tendebantur, latitudinem vero alios duos qui a meridie in septemtriones, quia longitudo templi erat ab ortu ad occasum, latitudo vero a meridie in septemtrionem ».

2. Et revera fatetur *S. Hier.* se illud posuisse, dum parum attenderit celeritate dictandi.

maius visum est; unde *Vil.* putat totum muri ambitum contineri quingentis calamis, murumque totum quater mensum esse angelum, de qua explicatione recte censet ***Lap.*** plano textu litterae aliud exigi et « quorsum quaeso idem quater dimetiretur »? ***Houbig.*** autem et ***Calm.*** eo moventur quod teste Iosepho circuitus montis in quo erat templum non plus fuerit amplus quam quattuor stadiis quadratis, hoc est passibus quingentis. Verum ex quo errore haec difficultas nascatur facile patet. Censent describi templum prout a Salomone erat constitutum. Qui templum eo in spatio ad risum parvum existimant, ii non considerant spatio illo *vacuo* nil detrahi de magnificentia templi; insuper templum ipsum in monte excelso collocatum satis in illa solitudine sua magnificentia eminuisse.

Textum hebr. retinendum esse etiam ex ipsa versione graeca suadetur. Legitur enim in v. 16. 17. 18. 19. 20 constanter mentio calami ἐν τῷ καλάμῳ τοῦ μέτρου et in v. 20 τὰ τέσσαρα μέρη τοῦ αὐτοῦ καλάμου. Iam cum (quod alias non fit) adeo explicite continuo calami vocabulum ingeratur, secundum calamos fieri mensionem probabilissimum est. Accedit quod in alia acceptione plane nihil novi hac diligenti mensione et enumeratione efficitur, dum in nostra quam maxime congruum est et conveniens, ut sanctitas templi tali ratione commendetur. Insuper non est negligendum quod *Keil* advertit: etsi קָנִים deleatur ut glossema, tamen locutionem hebr. 500 in calamo non posse intelligi nisi 500 calamos, prout 40,21 viginti quinque in cubito non sit aliud nisi 25 cubita; cf. Ex. 27,18.

Si tamen putaveris legi oportere quingenta cubita et ambitum muri illius in 40,5 describi, hac ratione cubita recensebis : 1° ab oriente ad occidentem : 50 portae orientalis exterioris (40,21) + 100 atrii exterioris (40,23) + 50 portae orientalis interioris (40,33) + 100 atrii interioris (40,47) + 100 templi (41,13) + 100 aedificii pone sanctuarium ad occidentem (41,13); 2° ab austro ad aquilonem : 50 portae exterioris (40,25) + 100 atrii exterioris (40,27) + 50 portae australis interioris (40,29) + 100 atrii interioris (40,47) + 50 portae aquilonaris interioris (40,36) + 100 atrii exterioris (40,19) + 50 portae aquilonaris exterioris (40,21). Unde patet in quattuor muri lateribus eandem esse mensuram eandemque longitudinem.

k) Gloria Domini templum ingreditur 43, 1-12.

Ex parte meridionali quam angelus secundum textum graecum ultimo loco mensus erat (42,19) ducitur vates ad portam proximam, a qua mensio incepta est, ad portam orientalem; v. 1 « *Et duxit me ad portam quae respiciebat ad viam orientalem* »; — templi aedificium, instaurationis theocratiae symbolum, prophetae ostensum est. Uti olim ruinam theocratiae visione exhibitam vidit (cap. 9-11), ita nunc eam e ruinis excitatam cernit. Templo autem constituto restat, ut quemadmodum antea gloriam Domini viderat relinquentem templum (10,19; 11,23), ita nunc eam cernat denuo ingredientem et habitan-

tem in templo. Apposite praeterea advertit *Theod.* : « cum eo quoque tempore quo tabernaculum beatus fixit Moses gloria Domini illud repleverit, et quando Salomon absoluta templi aedificatione encaeniorum celebritatem peregit, rursus eadem Domini gloria domum impleverit, convenienter etiam hac aedificatione ostensa et Dominus apparet et propria gloria implet domum ostendens fore ut non solum aedificetur sed etiam divina virtute compleatur ». Proinde v. 2 « *et ecce gloria Dei Israel ingrediebatur per viam orientalem et vox erat ei quasi vox aquarum multarum et terra splendebat a maiestate eius* » ; — gloriam Dei appropinquantem indicabat et comitabatur sonitus et splendor maximus; edebant enim cherubim alarum concussione sonitum similem sono aquarum inundantium quae dum inter se et ad litora et ad saxa alliduntur, fremunt et strepunt (*Lap. Mald. Mar. Men. Tir.*); vide ad 3,12. 13. Cum Dominus sit Deus immensae gloriae et ineffabilis lucis, eius quoque apparitio effusione luminis et splendoris manifestatur; unde Hab. 3,3 : Deus ab austro veniet et operuit coelos gloria eius et laudis eius plena est terra. Simulac Deus apparet qui lucem inhabitat inaccessibilem, gloriae eius maiestatisque manifestatrix cernitur summa quaedam lucis fulgorisque claritas; haec est eius sublimitatis index, haec imago lucis ac beatitatis quam in theocratia instaurata largiri vult, in qua ad lucis suae gloriaeque consortium omnes invitat et fideles evehit.

Vati autem oblata est species eadem quam antea conspexerat, in qua Deus se tamquam fidelissimum foederis sui exsecutorem exhibebat v. 3 « *et vidi visionem secundum speciem quam videram quando venit ut disperderet civitatem, et species secundum aspectum quem videram iuxta fluvium Chobar, et cecidi super faciem meam* » ; — vide 9,1 seq. 1,1 seq.; illis quippe symbolis Dominus circumdatus cernebatur quibus ut Deus foederis apertissime declarabatur. Tamquam talis destruxit urbem, vindex foederis violati, tamquam talis eam restituet auctor foederis bonorumque promissorum largitor liberalissimus. Homo autem Deo apparente suae infirmitatis quam maxime sibi fit conscius; unde vates in faciem prosternitur; vide 3,1. Is. 6,5. Hebr. *quando veni ad perdendam civitatem;* explicant : cum missus sum ut vaticinarer urbis eversionem, vel ut cernerem spiritu (*Mald. Mar. Calm.*), sed satius est cum *S. Hier.* et *Theod.* et octo codicibus hebr. (apud de *Rossi*, supplem. p. 80) pro בבאי legere בבאו *quando venit*, quam lectionem *Houbig. Ewald, Sm. C.* adoptant et quae ad 8,4; 9,1. 3 seq. aptissima est et proprietatem verborum huius quoque loci plane servat.

Gloriam Domini videt intrantem in sanctuarium v. 4 « *et maiestas*

Domini ingressa est templum per viam portae quae respiciebat ad orientem ; v. 5 *et elevavit me spiritus et introduxit me in atrium interius et ecce repleta erat gloria Domini domus* »; — de dictione vide ad 3,12; 8,3. Ita olim gloria Domini requievit super tabernaculum Ex. 40,32-36 et implevit sanctuarium templi salomonici 3 Reg. 8,10. 11. 2 Par. 5,13. 14; 7,1. 2. Propheta qui testis fuerat destructionis et recessus Domini, testis quoque est instaurationis et reditus; visione enim oblata ea cernit fieri quae oraculis suis iam vaticinatus est. Simul audit oracula illa confirmari modo maxime sollemni et res visione perceptas ipso Domino interprete explicari v. 6 « *et audivi loquentem ad me de domo et vir qui stabat iuxta me* v. 7 *dixit ad me : fili hominis, locus solii mei et locus vestigiorum pedum meorum, ubi habito in medio filiorum Israel in aeternum et non polluent ultra domus Israel nomen sanctum meum, ipsi et reges eorum in fornicationibus suis et in ruinis regum suorum et in excelsis* »; — ibi thronum suum collocat Deus; ibi ergo regnum suum fundat et stabilit in aeternum; vide Ier. 3,17; ibi requiescere et permanenter habitare vult; unde *locus plantarum pedum meorum ;* cf. Is. 60,13; 66,1. Lament. 2,1. Atque primum quod effert hac data promissione est indoles sanctitatis quae propria esse debet instaurationi. Idololatria et scelera ei adiuncta in novo foedere iam non cogent Dominum ut recedat a populo suo, ut pro sua sanctitate populum pollutum ex hereditate expellens suum vindicet honorem. Ad dictionem vide 5,11; 20, 39. Uti olim reges et populus aemulatione quadam idololatriam et cultum prohibitum, superstitiosum in excelsis exercuerunt, ita in instauratione pari studio vere serviant Domino oportet. De idololatria tamquam fornicatione vide cap. 16. 23. In hebr. nomen Domini polluerunt etiam *cadaveribus regum suorum,* pro quo LXX : et homicidiis ducum in medio sui; quod si explicaveris de homicidiis et iniustitiis a principibus perpetratis, habes rem de qua prophetae frequenter conqueruntur. Eodem sensu *Tir.* explicat hebr. : cadavera a regibus iugulatorum; cogita v. g. de Manasse qui fudit sanguinem innoxium multum nimis, donec impleret Ierusalem usque ad os (4 Reg. 21,16).

Ceterum quomodo cadaveribus regum polluerint nomen sanctum Dei, varie concipiunt et explicant. Satis communiter fertur interpretatio de cadaveribus regum in loco sacro sepultis, ita ut ea sepultura locus sacer sit pollutus, quia cadaver immundum censebatur. Ita *Vat. Mald. Sa, Lap. Men. Calm. Troch. Hitz. Sm.;* plerumque cogitant de monumentis et sepulcris regum in monte Sion, ita ut intra ambitum montis Dei fuerint sepulcra (cf. *Lap. Calm. Sm.*). Verum sepulcra prope templum fuisse nequit probari, neque unquam de eo delicto reges ab ullo propheta sunt reprehensi; in civi-

tate David, in monte Sion sepultus est David (3 Reg. 2,10), Salomon, Roboam, Abia, Asa, Iosaphat (3 Reg. 11,43; 14,31; 15,8. 24; 22,51) aliique; at quis a se impetrabit ut credat eas sepulturas adeo antiquas, continuas, nunquam reprehensas totidem fuisse iniurias Deo illatas? Alii restringunt ad sepulturas Manasse et Amon regibus factas; sed hortum Oza locum fuisse sacrum etiam multo minus probabile est (4 Reg. 21,18. 26). Haec acceptio aliam peperit coniecturam, non esse scil. legendum בָּמוֹתָם ***excelsa***, sed בְּמוֹתָם ***in morte eorum*** quam lectionem utique *Theod.* et *Chald.* exprimunt; alii priorem retinentes eam de tumulis vel monumentis sepulcrorum explicant, quo tamen sensu vox nullibi usurpatur, sed frequentissime de locis cultui praepostero dedicatis. Addere autem ad *cadavera* in morte vel post mortem, valde abundat. Unde cum de reprehensione idololatriae agatur, unica notio quae occurrere potest est ea quae intime cum cultu reprehenso connectitur et quam *S. Hier.* secutus est. Immo *Syrus* vocem per idola explanat. Praepositio autem ב quam forte desideraveris facillime ex antecedentibus suppletur; id quod ab usu minime est alienum. — Alii *cadavera* appellari censent ipsa idola, quae alias vocentur stipites, abominationes etc., immo Lev. 26,30 פִּגְרֵי גִלּוּלִים cadavera stercoreorum; quam sententiam vel commemorant vel tenent *Calm. Troch. Keil;* proin idola quae a regibus sint culta intelligunt vel etiam idola quae tamquam reges suos et dominos adoraverint, uti v. g. Baal vocatur rex eorum in textu *mas.* Am. 5,26. Soph. 1,5. At nemo non videt id esse coactum, praesertim quod *reges* modo sensu alio dicti sunt. Similiter cadit explicatio de victimis humanis. Neque probabilis est ea quam *Schr.* excogitavit reprehendi cultum et honorem regibus exhibitum, reprobari *regilatriam;* nam eiusmodi cultus apud Israelitas non invenitur ullum vestigium; obedientiam autem impiis regibus ad impietatem praestitam eo designari nomine, vix puto cuiquam a *Schr.* posse persuaderi. Cum igitur textus hebr. adeo sit obscurus, planus autem textus graecus, illum esse corruptum facile suspicaberis.

Agi de aris idolorum et de aediculis in honorem idolorum erectis quibus nomen *excelsorum* etiam inditur (cf. 16,16) patet ex v. 8 « *qui fabricati sunt limen suum iuxta limen meum et postes suos iuxta postes meos et murus erat inter me et eos et polluerunt nomen sanctum meum in abominationibus quas fecerunt; propter quod consumpsi eos in ira mea* »; — i. e. in ipso templo posuerunt quandoque idola cum suis aediculis et aras idolorum; vide 4 Reg. 16,10-16 de Achaz; 4 Reg. 21,4. 7 de Manasse; quae res satis quoque illustratur et declaratur visione illa vati exhibita 8,5-17; cf. 2 Par. 33,4. 5. 7. Is. 57,8. Eo quod tanta emphasi scelus temporis anteacti perstringitur, clare indicatur quae esse debeat et qualis instauratio; indoles eius spiritualis ea quoque reprehensione demonstratur. Unde graviter monet, quibus tandem instauratio illa emolumento sit futura, qui eius bonis sint potituri

v. 9 « *nunc ergo repellant procul fornicationem suam et ruinas regum suorum a me et habitabo in medio eorum semper* »; — hebr. *cadavera* regum; LXX sicut in v. 7. Conditionem declarari qua impleta bona illa cum Dei inhabitatione coniuncta illis sint obventura, *S. Hier.* sua versione bene expressit : *nunc ergo repellant... et habitabo;* eodem modo apud LXX; idem quoque sensus in hebr. subest : *removebunt et habitabo,* qua locutione conditionis nexum quendam inter duo illa exsistere saepe indicatur; v. g. Ps. 90,7 : cadent a latere tuo mille, ad te non appropinquabit; Ps. 118,61 : funes peccatorum circumplexi sunt me, legem tuam non sum oblitus; Is. 26,10 : misericordia afficietur impius, non discet iustitiam; Is. 48,13 : ego vocabo et stabunt etc., etc. Atque revera ea dictione nexum illum saepe efferri, docent grammatici hebr.; vide *Ewald,* Lehrb. § 357 b. Quare hic locus notandus est quo vid. iterum docemur in hominum libera cooperatione saepius reponi quanta amplitudine bona promissa sint obventura; de qua re vide ad Is. 48,18 (Comment. II p. 225) et ad Zach. 6,15 : erit autem hoc, si auditu audieritis vocem Domini Dei vestri, ex quibus verbis ibi colligitur instaurationem et impletionem promissorum divinorum certissime quidem fore, at qua amplitudine et ubertate, celeritate etc., collocari ex parte in hominum arbitrio quo cum Dei gratia velint cooperari (Comment. in Proph. min. II p. 292).

Id sequentibus quoque confirmatur; iubetur enim vates omni studio populum edocere et graviter admonere ut tales animi sensus induant quibus priora delicta abominentur et se ad omnem pietatem et Dei obsequium componant v. 10 « *tu autem fili hominis ostende domui Israel templum et confundantur ab iniquitatibus suis et metiantur fabricam* »; — est enim templum vati ostensum verissimum quoddam pignus instaurationis theocratiae, sicuti vita illa ossibus aridis inspirata cap. 37. Quare vates visionem perceptam iis exponere iubetur eosque monere ut fabricam adeo perfectam (hebr. vide de voce 28, 12) bene considerent et videant ex accurata eius descriptione quanto studio Deus singula cordi habeat. Cum enim Deus effigiem templi tam singulari cura mensuratam per angelum vati ostenderit, nonne ipsa re declarasse censendus erit quantopere singula quae spectent ad instaurationem sibi sint curae et qua providentia ad minima quaedam descendat gubernanda et dirigenda? Populo igitur templi aedificium ostenditur, « ut propter beneficii magnitudinem et spem restitutionis pudore suffusi delinquere desinant et ab impietate cessent » (*Theod.*). Quam confusionem salutarem saepius iis commendat vates; cf. 16,63.

Repetito idem monet et quam accurate fabrica sit consideranda docet v. 11 « *et erubescant ex omnibus quae fecerunt! figuram domus*

et fabricae eius, exitus et introitus et omnem descriptionem eius et universa praecepta eius cunctumque ordinem eius et omnes leges eius ostende eis et scribes in oculis eorum, ut custodiant omnes descriptiones eius et praecepta illius et faciant ea; v. 12 *ista est lex domus in summitate montis; omnis finis eius in circuitu sanctum sanctorum est; haec est ergo lex domus* »; — hebr. *et si confundantur... doce eos et scribe coram eis* etc.; unde clare dicitur, quando et quibus visio haec sit communicanda. Quae dicuntur, non ad solam templi fabricam referuntur, sed ad omnem cultus ordinem et ad statuta de quibus in subseq. agitur. Ea est enim verborum amplitudo. Explicite effertur, ut ea omnia custodiant et faciant. Num igitur censet vates haec omnia reditu facto ita esse opere exsequenda et tale aedificium esse erigendum prout ipse viderit? Sed de hac re utilius tractabitur, si totam visionem omniaque praecepta mente et animo lustraverimus. Verum hoc loco iam notari oportet quod in v. 12 dicitur; omnia enim quae de domo Dei dixerat complectens affirmat : hac lege domum constitui in vertice montis, ut *omnis terminus eius circumquaque sit sanctum sanctorum,* quam legem denuo inculcat novo templo peculiarem et a priore plane alienam; quare ne quis errorem subesse suspicetur, iterum asserit et de re *nova* monet : *ecce haec est lex domus.* Igitur non solum adytum templi i. e. intima quaedam eaque minima pars templi, ut erat in domo a Salomone exstructa, erit sanctum sanctorum, sed quod a tabernaculo mosaico et templo prisco omnino est alienum, at ex oraculo Isaiae 4,5 ad tempus illud pertinet quando germen Domini erit in magnificentia, omnis terminus templi in circuitu, totum spatium templo et aedificiis attributum erit sanctum sanctorum. De qua notione vide quae notavi ad Is. 4,5. Ea autem extensione sancti sanctorum omnino receditur ab indole veteris foederis. Ibi enim aditus in sanctum sanctorum erat prohibitus et velamen erat positum, ut indoles foederis designaretur quo fieret manifestum nondum esse apertam sanctorum viam neque quemquam redemptione nondum praestita posse intrare in sanctuarium coeleste ad ipsam Dei visionem ; cf. Hebr. 9,8. Quare cum vates nobis sanctum sanctorum ostendat ita ut totum templi aedificium totumque eius ambitum complectatur, eo ipso declarat templum illud pertinere ad foedus novum, in quo Christo praecursore praeeunte accessus patet ad ipsam Dei faciem.

l) **De altari holocautomatum 43, 13-27.**

Supra 40,47 sermo fiebat paucissimis de altari ante faciem templi in atrio interiore. Iam altare hoc accuratius describitur (fig. IV k).

Quare haec descriptio cum compleat id quod antea 40,47 commemoratum erat ad totius templi adumbrationem per modum appendicis referatur oportet. Et primo quidem quae sit mensura singularum altaris partium edicitur (v. 13-17), dein praescribitur quo ritu sit consecrandum v. 18 etc. Ab ima altaris parte mensio incipitur v. 13 « *Istae autem mensurae altaris in cubito verissimo qui habebat cubitum et palmum; in sinu eius erat cubitus et cubitus in latitudine et definitio eius usque ad labium eius et in circuitu palmus unus; haec quoque erat fossa altaris* »; — hebr. *hae sunt mensurae altaris in cubitis, cubitum cubitum et palmus;* mensura denuo determinatur, ita ut cubitum quod adhibetur non sit cubitum commune sed ea mensura quae uno cubito communi palmo addito constet. Proinde eadem indicatur mensura quam ab angelo usurpari iam 40,5 dictum est. Hebr. *et sinus cubitum* (habebat) *et cubitum latitudine;* quid sit sinus, bene declarat *Vil. :* « est cavea in pavimento excisa altare cingens, uno cubito alta et altero lata, in quam fundebatur victimarum sanguis perque subterraneos cuniculos ducebatur in torrentem, de quo 47,1 »; eodemque modo *Lap. Men. Tir. Sm.;* adhibetur vox 3 Reg. 22,35 de sinu currus i. e. de cavo recessu currus. Alii explicant basin vel fundamentum (*Mald. Mar. Keil*) quia in basi veluti in quodam gremio altare recipitur et quiescit; pauci exponunt de cavitate in altari superne ad excipiendam struem lignorum. Sed descriptio a parte inferiore ad superiorem ascendit. In illa autem cavea, in qua quasi in sinu altare excipiebatur, erat ad marginem vel ad labium eius vel oram *limbus,* limes vel terminus palmi unius; i. e. erant quasi cancelli quibus sinus ille seu fossa sanguini expediendo destinata sepiebatur (*Men.*). Talis autem apposita erat lorica vel corona ne sacerdotes incaute in foveam pedem mitterent et ne fossa sanguine victimarum sacra haberetur pervia (*Vil. Lap. Tir.*). Atque eo modo *tergum altaris* (hebr.) erat dispositum; itane fundamentum vel basis? Sed LXX legerunt, uti videtur, non גב sed גבה idque iunxerunt sequentibus : et haec est altitudo altaris a profundo etc., quae explicatio iam praeplacuit *Mald.* et adoptatur a *Sm. C.* et satis commode fluit.

Ab infima parte paulatim ascenditur descripta altaris altitudine et latitudine v. 14 « *et de sinu terrae usque ad crepidinem novissimam duo cubiti et latitudo cubiti unius et a crepidine minore usque ad crepidinem maiorem quattuor cubiti et latitudo cubiti unius* »; — a cavea illa vel canali in solo ad pedem altaris usque ad crepidinem *inferiorem* erat altitudo duorum cubitorum et latitudo erat unius cubiti; podium igitur seu fulcrum altaris usque ad crepidinem inferiorem vel minorem erat altum duo cubita et unum latum; usque ad maiorem

autem quattuor cubitis altare assurgebat. Ab hac crepidine maiore usque ad superficiem altaris denuo erant quattuor cubita; v. 15 « *ipse autem Ariel quattuor cubitorum et ab Ariel usque ad sursum cornua quattuor* »; — i. e. a superficie altaris sursum erigebantur quattuor cornua altaris, de quibus Ex. 27,2 : cornua autem per quattuor angulos ex altari erunt (cf. Ex. 29,12. Lev. 4,7. 18). In hebr. vox prior legitur הראל quam explicant *montem Dei* (*Vat. Vil. Mald. Lap. Men. Calm. Troch. Schr. Keil*), ut altare eo nomine designetur quia in montibus et locis excelsis cultus olim exercebatur (?), hunc igitur esse vere montem Dei, hoc illud *excelsum* in quo sacrificia fieri oporteat. Secundo loco scribitur in textu *mas.* האראיל addito *qeri* האריאל quam vocem solam legerunt LXX, *S. Hier.* in utroque loco et ita etiam recentiorum aliqui (*Hitz. Sm. C.*) ubique legi volunt secundum *qeri*. Vocem autem veteres fere communiter explicant *leonem Dei*, quia ignis in altari victimas absumat quasi leo (?); alterius acceptionis meminit *S. Hier.* : Deus lux mea, vel illuminatio. Recentiores haud absimili ratione vocem ad ארה ardere referentes explicant frequenter vel *focum Dei* (*Troch. Schr. Keil*) vel solummodo *focum* (*Loch, Ewald, Sm. C.*). Vide quae de ea voce dixi ad Is. 29,1. Utramque vocem *Chald.* reddit *altare* מדבחא.

Altitudine altaris per gradus quosdam descripta additur eius ambitus v. 16 « *et Ariel duodecim cubitorum in longitudine per duodecim cubitos latitudinis, quadrangulatum aequis lateribus* »; — hebr. *quadratum secundum quattuor latera eius;* cf. Ex. 27,1; 38,1. Insuper superficies altaris seu focus cingebatur crepidine v. 17 « *et crepido quattuordecim cubitorum longitudinis per quattuordecim cubitos latitudinis in quattuor angulis eius et corona in circuitu eius dimidii cubiti et sinus eius unius cubiti per circuitum; gradus autem eius versi ad orientem* »; — in hac crepidine per circuitum erat גְּבוּל limbus vel limes, quam vocem in v. 13 *S. Hier.* vertit *definitionem*, hic *coronam*. Cernebatur igitur limbus instar coronae ambiens crepidinem, eam quasi definiens et circumscribens, unde nomen limitis seu termini enatum est. Ipsi crepidini erat sinus, cavea quaedam vel canalis; unde crepido in modum fossae vel canalis ex aliqua parte formata erat, forte ut quae de altari et victimis incensis deciderent facile exciperentur. Altare positum versus occidentem i. e. versus adytum templi erat; unde gradus per quos ad eius focum pertingendum erat ad orientem collocati erant. De altari vero in tabernaculo mosaico dictum est : non ascendes per gradus ad altare meum (Ex. 20,26).

Altari descripto praecipitur quo ritu et quibus sacrificiis sit conse-

crandum v. 18 « *et dixit ad me : fili hominis haec dicit Dominus Deus : hi sunt ritus altaris in quacumque die fuerit fabricatum, ut offeratur super illud holocaustum et effundatur sanguis* »; — eo die quo altare fit et constituitur ad facienda sacrificia ritus consecrationis qui sequuntur observandi sunt. Ad ritum sacrificalem quam maxime spectabat caerimonia sanguinis spargendi ad altare; vide Ex. 24,6; 29, 16. 20. Lev. 1,5; 3,2; 4,7; 5,9; 7,2; 8,11; fiebat vel aspersione sanguinis ad parietes altaris, vel applicatione ad cornua altaris, vel effusione ad basin altaris. Quae applicatio sanguinis ad altare cum actionem constituat proprie sacerdotalem et sacrificalem quippe quae sola a sacerdote erat facienda, peculiari mentione iuremerito effertur. Etiam altare tabernaculi ritu speciali consecrari Dominus iussit Ex. 29,37 seq. idque sacris caerimoniis est peractum Ex. 40,10. Lev. 8,11. 15. 19; similiter etiam dedicatio celebratur templi Salomonis 3 Reg. 8,62 seq. 2 Par. 7,4-10.

Dedicationis ritus sacrificio pro peccato inauguratur v. 19 « *et dabis sacerdotibus et levitis qui sunt de semine Sadoc qui accedunt ad me, ait Dominus Deus, ut offerant mihi, vitulum de armento pro peccato,* v. 20 *et assumens de sanguine eius pones super quattuor cornua eius et super quattuor angulos crepidinis, et super coronam in circuitu et mundabis illud et expiabis* »; — hebr. *dabis sacerdotibus levitis* de qua loquendi ratione vide ad Ier. 33,18 et *Cornely,* Introd. II 1 p. 133. De Sadoc vide ad 40,46 et 44,15. Sacerdotes igitur immolent *iuvencum;* si dicitur v. 20 *pones* etc. id potest intelligi ita ut vates id faciat per sacerdotes. Vati scil. exponitur eo loquendi modo, quo ritu ipse debeat curare ut altare consecretur; « dabis vitulum, ut doceas quomodo sacrificare debeant » (*Mald.*). Ceterum cum ipse Ezechiel fuerit sacerdos, ipse etiam per se aspersionem et expiationem peragere potuit. De corona גְּבוּל vide ad v. 17. Sacrificio per aspersionem oblato v. 21 « *et tolles vitulum qui oblatus fuerit pro peccato et combures eum in separato loco domus extra sanctuarium* »; — hebr. probabiliter *in loco designato;* מִפְקָד vocabatur porta *iudicialis* (? Neh. 3,31); extra sanctuarium ut fieret combustio etiam lege sanciebatur Lev. 4, 12; 16,27. Ubi iste locus quaerendus sit frustra quaerunt, cum vates nihil indicet, neque porta illa eiusdem nominis iuvamur quia vates urbem in visione minime conspicit et ipsa visio a regionis hierosolymitanae conditione situque multum recedit. Alii coniecturam ex 45,2, alii ex 41,12, alii ex 46,19 petunt. Sed quorsum in re plane incerta?

Quemadmodum dedicatio tabernaculi et templi celebrata est per septem dies (Ex. 29,37. Lev. 8,33. 2 Par. 7,9), ita haec quoque consecratio sacro hoc numero dierum perfici debet; unde pro reliquis die-

bus ritus sacri praescribuntur v. 22 « *et in die secunda offeres hircum caprarum immaculatum pro peccato et expiabunt altare sicut expiaverunt in vitulo* »; — eodem ritu, quo iuvencum v. 20. 21, offerant hircum nullo defectu deformem aut vitio vel membro mutilo laborantem (Lev. 1,3. 10 etc.). Expiatione per sanguinis aspersionem facta alia sacrificia offerenda sunt v. 23 « *cumque compleveris expians illud, offeres vitulum de armento immaculatum et arietem de grege immaculatum*, v. 24 *et offeres eos in conspectu Domini et mittent sacerdotes super eos sal et offerent eos holocaustum Domino* »; — proinde praeter sacrificium pro peccato requiritur holocaustum; sal adhibetur; nam « quidquid obtuleris sacrificii, sale condies nec auferes sal foederis Dei tui de sacrificio tuo; in omni oblatione tua offeres sal » (Lev. 2,13; cf. Marc. 9,48).

Duplex hoc sacrificium singulis diebus consecrationis offeratur necesse est v. 25 « *septem diebus facies hircum pro peccato quotidie et vitulum de armento et arietem de pecoribus immaculatos offerent;* v. 26 *septem diebus expiabunt altare et mundabunt illud et implebunt manum eius* »; — *manum implere* depromptum est ex Ex. 29,9. Lev. 21,10 et ex ritu quo Aaron et filii eius consecrabantur explicatur Lev. 8,27. 28; cf. Ex. 28,41. Num. 3,3. Iud. 17,5. Tradebantur scil. oblationes in manus eorum qui illas levaverunt coram Domino; unde *S. Hier.* illam locutionem ex significatione saepius vertit *consecrare* manus, initiare. Haec dictio h. l. refertur ad altare; proinde iam effecta est dictio sollemnis pro consecratione, ita ut notio primitiva fere in oblivionem abiisse censenda sit, cum de manu altaris sermo esse nequeat. Unde simul elucet locutionem illam in Pentateucho esse antiquissimam. Quam locutionis translationem *Mald. Mar. Men. Tir.* bene explicant.

Post consecrationem eo modo per septem dies peractam altare dedicatum est et Domino acceptum, ex quo oblationes populi benigne suscipiat v. 27 « *expletis autem diebus in die octava et ultra facient sacerdotes super altare holocausta vestra et quae pro pace offerunt, et placatus ero vobis, ait Dominus Deus* »; — hebr. *et sacrificia vestra pacifica* i. e. שְׁלָמִים, sacrificia laudis et gratiarum actionis; cf. Lev. 7,11 seq. 22,21. 29 etc.; ea ad vota quoque exsolvenda offerebantur, prout sua quisque pietate impellebatur. Opera enim quae supererogatoria a theologis dicuntur ne in vetere quidem cultu, nedum in novo, ignota erant, sed variis modis, votis et sacrificiis, ad maius Deo obsequium ex liberalitate praestandum iam tum homines invitabantur.

Ritus dedicationis qui hic describitur in aliquibus differt ab eo quo altare

tabernaculi mosaici dedicatum est. Ibi enim unctio quoque altaris praescribitur Ex. 29,36. Lev. 8,11, de qua nihil dicitur nostro loco; ibi per septem dies quotidie offerebatur iuvencus pro peccato Ex. 29,36; hic primo solum die; reliquis hircus; etiam ritus in sanguine aspergendo et effundendo in utraque consecratione inter se differunt; vide Ex. 29,12 : pones super cornua altaris digito tuo, reliquum sanguinem fundes iuxta basin altaris; idem Lev. 8,15; hic vero : pones super quattuor cornua et super quattuor angulos crepidinis et super coronam in circuitu v. 20. Praeterea ibi in holocaustum singulis diebus aries offerebatur Lev. 8,18, hic autem et aries et iuvencus. Ibi simul cum dedicatione altaris consecratio Aaronis et filiorum eius peragebatur, ad quam alia quoque sacrificia ritusque requirebantur; haec nostro loco deesse patet, quia ii qui iam sunt sacerdotes ad munera sacerdotalia obeunda designantur i. e. filii Sadoc. Ibi demum die octavo ritu sollemni sacrificia fiunt Lev. 9,1 seq.; nostro loco idem dies octavus nullo modo peculiari sollemnitate celebratur v. 27.

2. *Novus cultus. Cap.* 44-46.

Arg. — Ut sanctitati et dignitati cultus sacri consulatur et varii abusus et iniquitates quibus olim maiestas Dei laedebatur efficaciter praecaveantur, statuta varia et praecepta proponuntur : porta orientalis soli principi qui ibi epulas sacrificales celebrat est aperienda (44,1-3); alienigenae et profani ne intrent in templum; sacerdotes qui lapsi erant in idololatriam inferiora solum officia aedituorum, ianitorum, ministrorum obeant neve ad sacerdotium admittantur (44,4-14); munere sacerdotali fungantur solum filii Sadoc, quibus varia dantur praecepta de vestimentis, de ratione et cultu vitae, de officiis obeundis ac reditibus (44,15-31). Pro sanctuario eiusque ministris certa terrae portio assignatur (45,1-6), itemque pro principe, qui iustitiae custos sit oportet (45,7-12). Uti populus illam terrae portionem ministris templi et principi cedere debet, ita certas quasdam oblationes ex suis possessionibus rebusque principi facere tenentur, ex quibus sacrificia fieri debent (45,13-17). Quaenam autem sacrificia offerri debeant mense primo, in sollemnitate paschatis et scenopegiae, in sabbatis et neomeniis et singulis diebus et quae princeps pro sua pietate offerenda curare possit, accurate determinatur (45,18-46,15). Hisce quaedam adduntur de donis principis (46,16-18) et de culinis in quibus carnes sacrificales coqui oportet (46,19-24).

a) **De ingressu in sanctuarium 44, 1-9.**

Primum sanctitati templi cultusque sacri consulitur praeceptis de ingressu in locum sacrum datis. In qua re principi locus quidam prae-

cipuus assignatur eique conceditur privilegium quo quantopere Dei gloria in dignitate principis reluceat satis declaratur. Agnoscitur quippe in eo dignitas theocratica qua de principe ex familia David dicitur : ego ero ei in patrem et ipse erit mihi in filium (2 Reg. 7,14) et princeps alibi in throno regni Iahve super Israel sedere perhibetur (1 Par. 28,5; 29,23); unde *Lap.* haud immerito dicit : « princeps cum esset vicarius Dei in temporalibus habebat hoc privilegii, ut proxime ad atrium sacerdotum accederet ac in limine huius portae quae in gratiam eius aperiebatur exterius spectaret sacrificia ibique de eis comederet; id diserte et fuse declaratur 46,1. 2. 3. 12 ».

Ex atrio interiore, in quo vati praecepta illa de altari erant tradita 43,5. 13 seq. ducitur ab angelo ad portam orientalem atrii exterioris v. 1 « *Et convertit me ad viam portae sanctuarii exterioris quae respiciebat ad orientem et erat clausa* »; — i. e. angelus reduxit me versus portam exteriorem orientalem. Cur porta clausa sit ei angelus nomine Iahve explicat (cf. 43,7); v. 2 « *et dixit Dominus ad me : porta haec clausa erit, non aperietur et vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa* v. 3 *principi; princeps ipse sedebit in ea, ut comedat panem coram Domino; per viam portae vestibuli ingredietur et per viam eius egredietur* »; — per eam portam gloria Domini redierat in templum 43,2; unde « oportebat esse portam illam magno affectam honore et ingenti veneratione quae tanta dignitate et excellentia erat ornata, ut Deus dignaretur per illam introire » (*Pint.*). Eo ingressu ita scil. sacra effecta est, ut ad Dei maiestatem agnoscendam et venerandam omnibus fieret inaccessa et iam nemini aperiretur. Ne principi quidem aperienda erat. Ei solum licet sedere i. e. commorari in vestibulo, ut ibi epulas sacrificales celebret coram Domino; ad quod vestibulum intrabit non per portam orientalem exteriorem quae semper clausa manere debeat, sed ex atrio ipso exteriore, in quod aedificium portae et vestibulum protenditur. In atrium igitur exterius princeps cum reliquis ingredi debebit per portam aquilonarem vel australem, cum alia non adsit. Similiter si egreditur, viam capere debet a vestibulo in atrium exterius, e quo per duas illas portas exitus patet in urbem.

Hic sensus et ex textu hebr. et ex verbis latinis colligitur; explicite enim dicitur : nemo intrabit per portam, cuius ratio affertur ea quae omnino generalis est; additur iterum : et erit clausa, et cum principi permittatur in ea i. e. in aliqua aedificii portae parte versari, simul per quam viam illuc tendere et inde exire debeat declaratur : a via vestibuli portae ingredietur et ab eius via egredietur (hebr.). Unde nemini, ne principi quidem, eam portam orientalem aperiri quomodo

clarius enuntiari possit haud assequor. In 46,1 seq. ad quem locum aliqui pro contraria sententia provocant, non agitur de porta orientali atrii exterioris, sed de porta atrii interioris, quae si certis diebus aperienda dicitur, sane non sequitur idem valere pro hac porta atrii exterioris, de qua hic sermo fit. Unde *erit clausa principi* exponi debet ut verba sonant i. e. ita ut ipse quoque non ingrediatur per eam (*Lap. Men.*), non ut alii quandoque verba accipiunt : clausa erit in usum principis i. e. illi soli introitus per eam servatur (*Pint. Mar. Tir. Troch.*). Etiam ex versionibus LXX et *Syri* principi solum *sedere in ea* permittitur. Hebr. אֶת initio v. 3 (si retinere volueris particulam) explica : ad principem quod attinet, princeps ibi commoretur. Notio epulandi, coenandi exprimitur per *panem comedere;* unde verba haec etiam hoc loco non de fertis vel panibus propositionis intelligenda erunt, sed de epulis sacrificalibus quae coram Domino celebrantur, eo modo quo v. g. Ex. 18,12 dicitur : obtulit Iethro holocausta et hostias (זְבָחִים) Deo veneruntque Aaron et omnes seniores Israel ut comederent panem cum eo coram Domino.

Sententia haec de porta per quam nemo intrabit quia Dominus per eam ingressus est, celebris est apud SS. Patres et scriptores ecclesiasticos; vide analysin biblicam *Kilber.* editam a *Tailhan* I p. 453. Atque profecto ratio quae affertur cur ea porta nemini pervia esse debeat, ea est adeoque in universum profertur, ut ad aulam virginalem matris Messiae congruo modo et ex pari causa valere iuremerito dici possit vel etiam debeat. Unde in ea porta non quidem vaticinium de virginitate Mariae agnoscemus neque typum proprie dictum interpretabimur, at ex paritate rationis vel ex axiomate enuntiato rite concludemus eam quae Deum mundo peperit ex Dei instituto et voluntate virginem perpetuo esse debuisse. Dignitas igitur illius in quam Spiritus sanctus supervenit et quam virtus Altissimi obumbravit et quae lumen aeternum mundo effudit, talis esse perhibetur exemplo portae huius et hoc praecepto divino de claustro perpetuo, ut ea ab omni consortio longissime abesse debuerit idque quam maxime saltem decuerit. In quam sententiam scribit *Theod. :* « et verisimile est (εἰκός) per haec nobis virginalem uterum innui (αἰνίττεσθαι) per quem neque ingressus neque egressus est quisquam alius quam solus ipse Dominus ». Et *S. Hier.* quidem varias dat explanationes, sed tandem concludit: « pulchre quidam portam clausam per quam solus Dominus Deus Israel ingreditur, Mariam virginem intelligunt quae et ante partum et post partum virgo permansit ». Atque ex interpretibus v. g. *Mald.* censet : « recte veteres auctores elegantique allegoria hunc locum ad sacrosanctam virginem Mariam *accommodaverunt* »; quae accommodatio

eo melior est et maiore iure fit, quia ex axiomate proposito in verbis Dei propter similitudinem rationis colligitur et fere sua sponte fluit, ita ut rectius non tam accommodatio dicatur, quam sensus consequens (de quo vide *Cornely,* Introd. I p. 527-530).

Quantopere Deus sanctitati templi sui consultum esse velit ex sequentibus quoque clare patefit v. 4 « *et adduxit me per viam portae aquilonis in conspectu domus; et vidi et ecce implevit gloria Domini domum Domini et cecidi in faciem meam* »; — duxit me ad faciem domus (hebr.) i. e. ante domum vel templum ante ipsum sanctuarium, proinde in atrium interius, ubi e regione domus consistebat et gloriam Domini vidit templum implentem; qua visa stupefactus et venerabundus in terram procidit; cf. 43,3. 5. Ita vates reipsa et visione accepta praeparatur ut quae ei praecipiuntur magni faciat populoque fideliter et strenue annuntiet; ad idem praeterea verbis quoque gravissimis admonetur v. 5 « *et dixit ad me Dominus : fili hominis pone cor tuum et vide oculis tuis et auribus tuis audi omnia quae ego loquor ad te de universis caerimoniis domus Domini et de cunctis legibus eius et pones cor tuum in viis templi per omnes exitus sanctuarii* »; — hebr. *attende ad introitum templi cum omnibus exitibus sanctuarii* i. e. observabis diligenter omnes aedium sacrarum aditus et exitus, ut scil. doceas qui et per quas portas debeant ingredi et egredi (cf. *Vat. Mald. Mar.*), ne quid fiat neve permittatur contra sanctitatem templi, prout elapsis temporibus accidit. Ceterum ad verba vide 40,4; 43,11. 12.

Abusus qui antea invaluerant graviter reprehenduntur v. 6 « *et dices ad exasperantem me domum Israel : sufficiant vobis omnia scelera vestra domus Israel,* v. 7 *eo quod inducitis filios alienos incircumcisos corde et incircumcisos carne, ut sint in sanctuario meo et polluant domum meam, et offertis panes meos, adipem et sanguinem, et dissolvitis pactum meum in omnibus sceleribus vestris* v. 8 *et non servastis praecepta sanctuarii mei et posuistis custodes observationum mearum in sanctuario meo vobismetipsis* »! — hebr. *loquere ad rebellem* vel contumacem et refragantem, *ad domum Israel;* vide 2,5. 8. Sermo est indignantis : satis sit vobis hucusque scelerate egisse! cessate tandem aliquando, satis superque iam peccastis! Abominationes autem (hebr.) eo committebantur quod homines peregrinos qui erant idololatrae et scelesti — tales enim sunt incircumcisi corde, qui scil. malis cupiditatibus et vitiis sine ullo freno indulgent — in templum admittebant. Eorum autem praesentia sacram Dei domum profanari Deumque vindicem ad ultionem sanctitatis laesae provocari, bene perspectum habere et poterant et debebant; unde iuremerito dicitur eos voluisse atque intendisse illam profanationem : *ut* sint, *ut polluant.* Crimen

augetur quia eiusmodi homines ad ipsas sacras functiones adhibebant : *cum offerretis panem meum* (hebr.); *panis Dei* appellatur sacrificium; cf. Lev. 3,11; 21,6. 8. 17. 21. 22 (hebr.); quare statim ea subiunguntur quae ex victimis ad altare deferebantur : adeps qui cremabatur, sanguis qui ad cornua applicabatur vel aspergebatur et effundebatur. Talia autem perpetrantes' *dissolvistis* pactum meum; ita iuremerito LXX, *Syrus, S. Hier.* quam lectionem contra textum *mas.* (dissolverunt) rite tuentur et adoptant *Houbig. Sm. C.;* nam non illi gentiles irritum fecerunt foedus Dei, quippe quod cum eis non erat initum, verum Israelitae violarunt et dissiparunt pactum, quae est reprehensio Israelitis propria. Ipsi v. 8 *non observabant custodiam sanctuarii* (hebr.), non obibant ministeria in templo, non ea praestabant quae ad debitam curam templi requirebantur (de dictione cf. Gen. 26,5. Lev. 8,35. Num. 1.53; 3,28. 32. 38; 18,4; 31,30 etc.); verum pro arbitratu suo, non pro Dei voluntate eos deligebant qui eiusmodi officia ad templum custodiendum, mundandum, ad necessaria asportanda obirent; vel potius eos de quibus in v. 7 agitur posuerunt sibi custodes et ministros servosque templi.

Alienigenis piis omnino licebat in templo offerre sacrificia Lev. 17,8. Num. 15,13; etiam Salomon Deum precatur, ut alienigenis in templo adorantibus se benignum exhibeat; solum a celebratione paschatis alienigenae lege arcebantur Ex. 12,43. Cum vates reprehendat quod alienigenae *incircumcisi corde* in templum intraverint, nullo modo illis legibus contradicit. Quinam fuerint illi alienigenae ad templi ministeria adhibiti, colligi poterit ex iis quae de nathinaeis vel servis ad viliora templi munera prodita sunt. Iam enim Iosue Gabaonitas addixerat eiusmodi ministeriis in templo, ut caederent ligna et aquas comportarent (Ios. 9,27). Postea legimus de nathinaeis i. e. traditis quos David dederat ad ministeria levitarum (Esdr. 8,20), de filiis servorum Salomonis qui eodem in ordine cum nathinaeis censentur Esdr. 2,58. Neh. 7,60; 11,3. Bello captos ad eiusmodi servitia Domino fuisse traditos etiam innui videtur Ps. 67,19 : cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus, etenim non credentes inhabitare Dominum Deum i. e. ii qui non credebant Dominum esse in populo suo praesentem capti sunt et Domino tamquam mancipia dono dati. Quae si consideraveris, omnino probabile est vatem eos reprehendere quod bello captos, gentiles, eosque pessimis moribus infectos ad illa servitia sacra applicaverint in contemptum Domini.

Haec explicatio uti verbis plane apta est, ita indiciis illis satis commendatur. Quae ab aliis quandoque proponuntur, verbis excludi videntur; ita si

qui Israelitas intelligi volunt apostatas; ii enim neque sunt filii alienigenae neque incircumcisi carne; unde neque de levitis idololatris, neque de sacerdotibus excelsorum verba accipi possunt. Neque de lege Ex. 12,43 violata agitur, quasi solum accusentur quod ad sollemnitatem paschalem alienigenas admiserint; verba enim magis sunt generalia et in universum prolata. Alii volunt ipsos sacerdotes gentilium ab Israelitis vocatos esse ut in templo Domini officio fungerentur sacerdotali et pro Iudaeis offerrent sacrificia. At id quoque verbis repugnat: *cum offerretis...* Ii qui censent Israelitas intelligi apostatas lectionem *mas. et violabant* pactum meum, in auxilium vocant; at cum LXX, *Syrus, S. Hier.* aliter vertant, illa lectio est saltem dubia; semper autem manet Israelitas non posse designari eo modo quo fit in v. 7.

Talia ne amplius admittantur severe praecipitur v. 9 « *haec dicit Dominus Deus : omnis alienigena incircumcisus corde et incircumcisus carne non ingredietur sanctuarium meum, omnis filius alienus qui est in medio filiorum Israel* »; — hebr. *de omnibus filiis alienis;* etiam LXX ἐν πᾶσιν, ita ut non duo hominum genera excludantur, prout ex versione latina consequi potest, sed solum unum illud quod sit *corde* et carne incircumcisum.

b) De sacerdotibus 44,10-31.

Sanctitati cultus eo quoque consulitur, ut ii qui idololatriae scelere se antea maculaverint a sacerdotii dignitate excidant atque in eum fere redigantur ordinem, in quo ex lege levitica (Lev. 21,17-23) ii consistunt ex familia Aaron qui defectu quodam vel macula laborant; simili modo iam olim quoque a Iosia rege sacerdotes qui cultum in excelsis exercuerant a sacerdotio deiecti et exclusi erant 4 Reg. 23,8. 9; idem nunc decernitur v. 10 « *Sed et levitae qui longe recesserunt a me in errore filiorum Israel et erraverunt a me post idola sua et portaverunt iniquitatem suam,* v. 11 *erunt in sanctuario meo aeditui et ianitores portarum domus et ministri domus; ipsi mactabunt holocausta et victimas populi et ipsi stabunt in conspectu eorum, ut ministrent eis* »; — hebr. ita explica propter v. 12 : *portabunt iniquitatem suam et erunt* etc. i. e. pro illa culpa admissa eam luent poenam ut ad ministeria viliora redigantur; ministrent scil. in templo tamquam custodes portarum; alia obeant ministeria in occisione vel mactatione victimarum atque in universum praesto sint iisque adsteut tamquam apparitores et administri ad commodum populi. Intelligi sacerdotes qui e gradu et dignitate eiiciantur, in v. 13 clare dicitur. Saepius appellantur sacerdotes הַכֹּהֲנִים הַלְוִיִּם sacerdotes levitae v. 15 (ita in Deut. haud raro; Ios. 3,3; 8,33. 2 Chron. 5,5; 23,18; 30,27.

Esdr. 10,5. Ier. 33,18); unde nostro loco cum dignitate sacerdotali sint exuendi et ad ordinem levitarum redigendi, statim omisso nomine dignitatis levitae nuncupantur.

In conditionem administrorum rediguntur, quia populo in idololatria administri erant v. 12 « *pro eo quod ministraverunt illis in conspectu idolorum suorum et facti sunt domui Israel in offendiculum iniquitatis, idcirco levavi manum meam super eos, ait Dominus Deus, et portabunt iniquitatem suam* »; — malis populi cupiditatibus deservientes sacerdotio fungebantur in idolorum cultu et hac obsequentia pessima et suo exemplo scelesto populum ad maiorem iniquitatem provocabant longissime recedentes a pacto Dei cum Levi (cf. Mal. 2,4-8) hocque pactum reddentes irritum. Unde Deus manum levat i. e. iureiurando affirmat (cf. 20,5; *Vat. Mald. Mar. Lap. Tir. Troch.*) fore, ut luant iniquitatem quam commiserint. Quam poenam subituri sint declarat v. 13 « *et non appropinquabunt ad me ut sacerdotio fungantur mihi neque accedent ad omne sanctuarium meum iuxta sancta sanctorum, sed portabunt confusionem suam et scelera sua quae fecerunt,* v. 14 *et dabo eos ianitores domus in omni ministerio eius et in universis quae fient in ea* »; — hebr. *neque accedent ad omnia sancta mea, ad sancta sanctorum* i. e. ea quae in sacrificiis vocantur sancta sanctorum nullo pacto attingant; vide 42,13; iis igitur iam non licet adipem adolere in altari, sanguinem aspergere, neque ex fertis partem aliquam accipere (Lev. 2,3. 10) neque de sacrificiis pro peccato et delicto (Lev. 6,18; 7,1). Ab his exclusi ignominiam qua puniuntur omnibus reddent manifestam. Erunt *custodientes custodiam domus* in omni eius servitio et in omnibus quae ibi fiunt vel peragenda sunt; quae verba de officiis levitarum adhibentur; vide Num. 3,25. 26. 28; 4,23. 30. 32. 39 etc.

Solum filii Sadoc fungentur sacerdotio v. 15 « *sacerdotes autem et levitae filii Sadoc qui custodierunt caerimonias sanctuarii mei cum errarent filii Israel a me, ipsi accedent ad me ut ministrent mihi et stabunt in conspectu meo ut offerant mihi adipem et sanguinem, ait Dominus Deus* »; — hebr. *sacerdotes levitae filii Sadoc*... ipsi custodierunt pactum Levi (cf. Mal. 2,5); quare in praemium fidelitatis prae aliis familiis sacerdotalibus in sacerdotio accepto confirmantur. De Sadoc vide 1 Par. 6,8. 53; fideliter servivit Davidi 2 Reg. 15,35 etc. cum Absalom rebellionem moveret; item cum Adonias regnum capessere conaretur 3 Reg. 1,33 seq.; quare Sadoc a Salomone rege loco Abiathar summus sacerdos est constitutus 3 Reg. 2,26. 27. 35. Uti ergo Sadoc fidelem se exhibuit regi divinitus electo, ita filii eius heredes paternae fidelitatis et integritatis eandem servabant fidem

summo regi, Deo, cum populus et sacerdotes quoque ex aliis familiis a Deo turpi idololatria deficerent. In quibus rebus functio consistat sacerdotalis, explicatur : ad Deum *appropinquant;* iis propius ad Deum eiusque sanctuarium licet accedere; medii sunt inter populum et Deum qui vota et oblationes populi Deo offerunt et qui soli sacrificia facere possunt; v. 16 « *ipsi ingredientur sanctuarium meum et ipsi accedent ad mensam meam ut ministrent mihi et custodiant caerimonias meas* » ; — ipsi thymiama Deo offerent; de mensa Domini vide 41,22.

Dein varia statuuntur quae sacerdotes observare debent, quibus cultus sanctitati et dignitati consulatur. Atque primo quidem quaedam praescribuntur de sacris vestibus, quibus in loco sacratiore utendum est v. 17 « *cumque ingredientur portas atrii interioris, vestibus lineis induentur, nec ascendet super eos quidquam laneum quando ministrant in portis atrii interioris et intrinsecus* » ; — Ex. 28,39 pro Aaron tunica ex bysso praescribitur, feminalia autem linea v. 42; cf. Ex. 39, 27. Tunica linea utebatur summus sacerdos die expiationis Lev. 16,4; v. 18 « *vittae lineae erunt in capitibus eorum et feminalia linea erunt in lumbis eorum et non accingentur in sudore* »; — lana prohiberi videtur non tam propter Lev. 19,19, sed ne sudore sordescant sacerdotes; vitta, hebr. פאר cf. 24,17. 23. Is. 3,20; 61,3. 10, quibus locis *S. Hier*. coronam vertit. Sed antequam ad populum in atrium exterius se conferant, vestes mutent oportet v. 19 « *cumque egredientur atrium exterius ad populum, exuent se vestimentis suis in quibus ministraverant et reponant ea in gazophylacio sanctuarii et vestient se vestimentis aliis et non sanctificabunt populum in vestibus suis* »; — de conclavibus, in quibus vestes sacrae asservabantur, vide 42,1-14; prohibentur iis induti ad plebem accedere, quia res quaedam sacrae aliis aliquam impertiuntur consecrationem qua fit ut a multis sedulo cavere debeant vel etiam inepti reddantur ad aliqua negotia subeunda; unde talis consecratio hominibus de plebe non posset non evadere valde molesta et inopportuna. De tali consecratione vide Ex. 29,37; 30,29. Lev. 6,18. 27; de incommodis quae inde oriri possunt, lege Lev. 21,1-8. Ceterum nota in lege mosaica vestibus sacerdotum talem effectum non adscribi. Ex mandato de vestibus sacris nos discere ait *S. Hier*. « non quotidianis et quibuslibet pro usu vitae communis pollutis vestibus nos ingredi debere in sancta sanctorum, sed munda conscientia et mundis vestibus tenere Domini sacramenta ».

Dein exponitur quid in capillorum habitu sit observandum v. 20 « *caput autem suum non radent neque comam nutrient, sed tondentes attondent capita sua* »; — neve calvitium sibi faciant neve comam seu caesariem demittant; prius in signum luctus fieri solebat (Is. 22,12.

Ier. 16,6. Ez. 7,18. Mich. 1,10 etc.); at prohibetur sacerdotibus Lev. 21,5 et generatim monentur ne ea in re gentium mores imitentur Lev. 19,27. Deut. 14,1. « Perspicue demonstratur nec rasis capitibus, sicut sacerdotes cultoresque Isidis et Serapidis nos esse debere, nec rursum comam demittere, quod proprie luxuriosum est barbarorumque et militantium, sed ut honestus habitus sacerdotum facie demonstretur » (*S. Hier.*). Caesariem igitur libere crescere non sinent, promissam non gerent, sed identidem forfice tondebunt, at ita ut ad vivam usque cutem non radant (*Calm.*). Ex lege nasiraei tempore consecrationis suae caesariem crescere sinebant (Num. 6,5). LXX aliter verba reddunt, ita scil. ut capillos nudare et capita gerere aperta prohibeantur. Ornatum vel operimentum capitis removere etiam erat lugentium; cf. 24,17. Baruch 6,30; id pariter prohibebatur lege Lev. 10,6; 21,10. Votum nasiraeorum suscipere saltem per longius tempus Ezechiel sacerdotibus non concedit in hac rituum sacrorum descriptione.

Uti Lev. 10,9 ita hic quoque v. 21 « *et vinum non bibet omnis sacerdos, quando ingressurus est atrium interius* »; — « ne opprimatur mens et sensus crassior fiat » (*S. Hier.*). Quae in lege de nuptiis summi sacerdotis mandantur Lev. 21,13. 14, fere eadem sacerdotibus praescribuntur v. 22 « *et viduam et repudiatam non accipient uxores, sed virgines de semine domus Israel, sed et viduam quae fuerit vidua a sacerdote accipient* »; — ex lege levitica pontifici solum virginem ducere licuit, aliis sacerdotibus autem viduam ducere non erat interdictum; Ezechiel iis solum viduam sacerdotis, olim uxorem, concedit.

Porro recensentur quae sacerdotibus praeter cultum sacrificalem praestanda sunt v. 23 « *et populum meum docebunt quid sit inter sanctum et pollutum, et inter mundum et immundum ostendent eis* »; — cf. Lev. 10,10; proinde cura est habenda, ut populus Dei omnem vitet contaminationem quae populo speciali ratione a Deo electo sit indigna. Unde a sacerdotibus diligenter sunt docendi, quae sint legitima Dei; cf. 2 Par. 17,7; v. 24 « *et cum fuerit controversia, stabunt in iudiciis meis et iudicabunt; leges meas et praecepta mea in omnibus sollemnitatibus meis custodient et sabbata mea sanctificabunt* »; — hebr. *stabunt ad iudicandum, secundum iudicia mea iudicabunt* i. e. secundum leges normasque a Deo datas. Causae difficiliores ad sacerdotes referendae erant; vide Deut. 17,8 seq. 2 Par. 19,8. LXX de controversia vel iudicio *sanguinis* mentionem ingerunt (cf. Deut. 21, 1 seq.) quam lectionem *C.* adoptat, ita ut iudicia in quibus de vita vel morte alicuius agitur ad solos referantur sacerdotes, Dei vitae mortisque domini vicarios, « stent in iudiciis Dei et recordentur illius psalmi : Deus stetit in synagoga deorum, deos appellans eos qui

habent iudicandi de hominibus potestatem...; prima virtus est sacerdotis non tantum docere quae noverit, sed omnes Dei festivitates custodire, ut possit aliis custodienda praecipere quae et ipse observaverit » (*S. Hier.*).

Consecrationem illam qua Deo sunt sacri etiam servare studeant evitantes contaminationem cadaverum v. 25 « *et ad mortuum hominem non ingredientur ne polluantur, nisi ad patrem et matrem et filium et filiam et fratrem et sororem quae alterum virum non habuerit, in quibus contaminabuntur* »; — cum mors inducta sit per peccatum, in morte et corruptione effectus cernitur peccati; unde ex cadavere hominis immundities quaedam levitica in homines qui id tetigerint redundare censebatur cf. Num. 19,11-19. Quare a tali contactu et tali contaminatione sacerdotibus erat abstinendum ; solummodo ubi officia pietatis in proxime cognatis aliud exigebant lex illa cessabat, quae iam Lev. 21,1-3 promulgatur; ibi etiam in *vulg.* legitur id quod hoc quoque loco ex hebr. statuitur : nisi in sorore virgine quae non est nupta viro. Atque revera illud *alterum* quod nunc in *vulg.* legitur abest a versione et comment. *S. Hier.* qui explicite dicit : « ita dumtaxat si soror virgo permanserit nec ullius viri fuerit maculata complexu ». Verum etiam post funera ea quibus ei interesse licet opus est emundatione v. 26 « *et postquam fuerit emundatus, septem dies numerabuntur ei* »; — iam enim lege praescribebatur emundatio Num. 19,11 seq.; sed cum sacerdotis sanctitas requiratur maior in rerum instauratione, ritus quoque emundationis per longius tempus praescribitur; insuper v. 27 « *et in die introitus sui in sanctuarium ad atrium interius, ut ministret mihi in sanctuario, offeret pro peccato suo, ait Dominus Deus* »; — duplici hoc mandato maiorem adesse debere sanctitatem et ab omni labe munditiem indicatur; eodem modo maiorem commendari sacerdotum dignitatem recte *Theod.* opinatur.

Eorum consecratio et dignitas etiam ex eo elucet modo quo illis reditus assignantur v. 28 « *non erit autem eis hereditas; ego hereditas eorum; et possessionem non dabitis eis in Israel; ego enim possessio eorum* »; — hebr. *et sit eis in hereditatem : ego hereditas eorum;* similiter LXX, *Syrus, Chald.* praebent; lex eadem datur Num. 18,20. Deut. 18,1.2; cf. Deut. 10,9. Ipse Deus eorum esse vult pars ac possessio; quare eis de portione sua terrae spatium tribuit ad habitandum 45,4 et de sacrificiis aliisque oblationibus quae Deo fiunt convenientem eis elargitur partem v. 29 « *victimam et pro peccato et pro delicto ipsi comedent et omne votum in Israel ipsorum erit,* v. 30 *et primitiva omnium primogenitorum et omnia libamenta ex omnibus quae offeruntur sacerdotum erunt, et primitiva ciborum vestrorum*

dabitis sacerdoti, ut reponat benedictionem domui tuae »; — hebr. *fertum et sacrificium pro peccato et pro delicto ipsi comedent et omne anathema eis erit;* de fertis et partibus sacrificiorum quae eis contingunt vide Lev. 2,3; 6,16; 7,6 seq.; de anathemate vide Lev. 21,28. Num. 18,14 (hebr.). De primitivis vide Ex. 23,19; 34,26. Num. 18,13. Deut. 18,4. Alii hebr. vertunt *optima quaeque omnium primitiarum* (*Sm. C.*). Libamenta, תְּרוּמוֹת generatim oblationes et munera dicuntur quae quis de rebus suis auferens Domino consecrat; primitiva i. e. primitiae vel partes optimae ciborum, hebr. עֲרִיסֹת (Num. 15,20. Neh. 10,38) quam vocem de farre, farina crassiore, de massa ad panem coquendum explicant. Proin quotiescumque panes coquebantur, pars quaedam danda erat sacerdotibus; promissio autem adnectitur muneribus istis pietatis et liberalitatis : ut requiescat benedictio super domum tuam vel potius : *ut facias requiescere benedictionem super domum tuam* i. e. « ut ad imprecationem sacerdotis Dominus benedicat domibus nostris; grandis dignitas sacerdotum » (*S. Hier.*)! Vult igitur Deus, ut bonorum quaedam communio et communicatio mutua exsistat inter populum et sacerdotes; hi dant spiritualia, ille quae ad victum necessaria sunt; « si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus » (1 Cor. 9,11)? Eam autem populi liberalitatem Deus se liberaliter remuneraturum spondet et modo quodam *stabili* (*Lap.*).

Cum de victu agatur quem Deus sacerdotibus de rebus et sacrificiis suis (*Theod.*) et de muneribus donisque populi largitur, lex illa Lev. 22,8 denuo statuitur v. 31 « *omne morticinum et captum a bestia de avibus et de pecoribus non comedent sacerdotes* »; — et Ex. 22,31. Deut. 14,21 ratio redditur : quia tu populus sanctus Domini Dei tui es; tali enim esu contaminatio contrahebatur quae durabat usque ad vesperam et lotione erat diluenda (Lev. 17,15). Qui moribus sancti esse debent et Deo appropinquare, eos in omni vitae ratione et habitu ab omni specie rudi incultaque abstinere summopere decet.

c) **Quae terrae portio seponenda sit 45, 1-12.**

Modo dictum est Dominum ipsum esse partem et hereditatem sacerdotum 44,28; iam accuratius determinatur quae pars regionis Domino sit reservanda, quam partem Dominus sacerdotibus attribuit eodem modo quo eis de suis sacrificiis et oblationibus dona largitur convenientia. In terrae igitur partitione pars quaedam Domini est consecranda v. 1 « *Cumque coeperitis terram dividere sortito, separate pri-*

mitias Domino, sanctificatum de terra, longitudine viginti quinque millia et latitudine decem millia; sanctificatum erit in omni termino eius per circuitum »; — hebr. *auferetis* תְּרוּמָה; oblationem faciant et tamquam munus Domino consecrent, ut haec portio sit et habeatur terra sancta. Sed qua mensura? cubita subintelligunt *Theod. Tir. Calm. Sm. C.;* calamos autem *S. Hier. Pint. Vat. Mald. Mar. Lap. Men. Troch. Keil* et hoc videtur praeferendum. Calamus enim, ut advertit *S. Hier.*, erat in manu viri; proinde calamo illum mensum esse licet supponere, cum nihil aliud addatur; et subiungit *Mald.* esse verisimile agrum canna potius quam cubito mensum fuisse. Id autem praeprimis propter v. 2 suadetur; nam spatium ibi designatum ex 42,16 calami mensura determinatur. LXX praebent latitudine *viginti millia,* quae lectio omnino sequenda et adoptanda est, cum ea in v. 3 et 5 aperte supponatur; nam in v. 3 ab illa oblatione Domino facta pars longitudinis 25 000 et latitudinis 10 000 seponenda est pro sanctuario et pro sacerdotibus et secundum v. 5 etiam levitae accipiunt spatium terrae longitudine 25 000 et latitudine 10 000. Quod ut fieri possit, portio terrae pro Domino separata secundum textum graecum est dimetienda; unde pro *mas.* עֲשָׂרָה lege עשרים.

De hac sancta terrae portione spatium determinatur pro templo et area illa qua ex 42,15-20 circumdatur v. 2 « *et erit ex omni parte sanctificatum quingentos per quingentos, quadrifariam per circuitum; et quinquaginta cubitis in suburbana eius per gyrum* »; — hebr. *et erunt ex hoc pro sanctuario quingenti cum quingentis, quadratum circumquaque* (*Vat. Mar.*); deinde praecipitur, ut inter ipsam templi periodum et habitationem sacerdotum spatium sit quinquaginta cubitorum per circuitum, in quo spatio et reverentiae ac sanctitatis causa nullum erat aedificium (*Mald.*). Unde hebr. *et quinquaginta cubita pomerium ei circumquaque* (*Mar.*).

De illa terrae parte quae Domino offertur seponitur portio pro templo et pro habitatione sacerdotum v. 3 « *et a mensura ista mensurabis longitudinem viginti quinque millium et latitudinem decem millium et in ipso erit templum sanctumque sanctorum;* v. 4 *sanctificatum de terra erit sacerdotibus ministris sanctuarii qui accedunt ad ministerium Domini, et erit eis locus in domos et in sanctuarium sanctitatis* »; — a mensura ista i. e. a terra in v. 1 determinata; unde hic versus immediate adnectendus est ad v. 1 et spatium quod in v. 2 separatur ad aream in v. 3 designatam pertinet, prout res ipsa loquitur. Quare apposite *C.* ordinem versuum ita proponit : v. 1. 3. 4. 2. In area v. 3 collocatur templum; tota haec area sancta est; sacerdotes igitur in terra Domino speciali ratione dedicata prope templum habitant;

unde ipso suo domicilio tamquam electi a Deo et separati a communi plebe declarantur.

Dimidia pars terrae pro Domino separatae (v. 1 ex LXX) occupatur templo et domiciliis sacerdotum; altera dimidia pars assignatur levitis v. 5 « *viginti quinque autem millia longitudinis et decem millia latitudinis erunt levitis, qui ministrant domui; ipsi possidebunt viginti gazophylacia* »; — ultimum membrum legendum et emendandum est ex LXX πόλεις τοῦ κατοικεῖν : possidebunt scil. ibi urbes ad habitandum, uti bene iam *Houbig.* monet; neque magna est litterarum discrepantia; pro *mas.* עשרים לשכת scribe ערים לשבת (cf. Num. 35,2) vel quod etiam propius ad textum traditum accedit שערים *portas* àd habitandum (*Houbig.*), quae vox *porta* pro urbe saepe legitur in Deut. : levitae qui sunt in portis vestris 12,12. 18; 14,27; 16,11 etc. Quo habitationis loco in regione sancta ipsi etiam levitae a vulgo separati et Dei servitio singulariter consecrati exhibentur.

Alia terrae portio secernenda est pro urbe v. 6 « *et possessionem civitatis dabitis quinque millia latitudinis et longitudinis viginti quinque millia secundum separationem sanctuarii, omni domui Israel* »; — portionem hanc urbis accuratius definit vates infra 48,8 seq.; hic solum eius indicatur dimensio, situs, *secundum* oblationem sanctuarii i. e. ita ut iuxta longitudinem partis illius separatae extendatur, et demum additur eam portionem fore totius domus Israel, proin non esse attribuendam certae alicui tribui vel ordini. Pari modo alia terrae portio secernenda est pro principe v. 7 « *principi quoque hinc et inde in separationem sanctuarii et in possessionem civitatis contra faciem separationis sanctuarii et contra faciem possessionis urbis, a latere maris usque ad mare et a latere orientis usque ad orientem, longitudinis autem iuxta unamquamque partem a termino occidentali usque ad terminum orientalem* »; — i. e. principi assignent portionem quae sit *ex utraque parte* oblationis sacrae et possessionis urbis, *ante* faciem oblationis sacrae et *ante* faciem possessionis urbis i. e. e regione, vel secundum eam terrae partem portio principis extendatur, ab occidente occidentem versus et ab oriente orientem versus vel in latere occidentali occidentem versus etc.; proinde ei assignetur terra quae in parte occidentali et in parte orientali relinquitur postquam duae illae portiones separatae sunt. Eo modo pars principis extenditur usque ad terminum terrae et orientalem et occidentalem i. e. usque ad Iordanem et mare mediterraneum quibus termini palaestinenses a vate concluduntur; cf. 48,8. Quare in ultimo membro additur *et longitudo sit iuxta unam ex partibus* quae singulis tribubus destinantur *a termino occidentali usque ad terminum orientalem;* in medio autem

tractu sita est oblatio sacra et possessio urbis. Longitudinem intellige ab occidente ad orientem. Haec sors principi propria attribui debet, ut ipsi sit abundanter provisum neve opus habeat tributa a populo exigere. Priscis regibus certa sors non erat assignata; aliter igitur in posterum v. 8 « *de terra erit ei possessio in Israel et non depopulabuntur ultra principes populum meum, sed terram dabunt domui Israel secundum tribus eorum* »; — hebr. *in terram ei erit, in possessionem... et non oppriment ultra* etc.; « quasi dicat : non ex vectigalibus vivent reges, ne populum meum opprimant, sed ex portione terrae quam habebunt » (*Mald.*). Vetantur igitur possessionem suam cum damno aliorum augere; iubentur singulis tribubus partem convenientem dare vel concedere; praeterea certus census eis assignatur v. 13 seq. ad sacrificia pro populo offerenda.

A monitione hac sermo transfertur ad adhortationem generalem servandae iustitiae v. 9 « *haec dicit Dominus Deus : sufficiat vobis principes Israel, iniquitatem et rapinas intermittite et iudicium et iustitiam facite, separate confinia vestra a populo meo, ait Dominus Deus* »; — hebr. in ultimo membro : *tollite exactiones vestras a populo meo* (cf. *Vat. Mald. Mar. Calm.* et recentiores) vel angarias vestras, LXX ἐξάρατε καταδυναστείαν; « pro confiniis oppressionem LXX tanstulerunt », notat *S. Hier.* qui in sua versione *Sym.* sequitur; proinde גְּרֻשׁוֹת eodem modo explicat quo מִגְרָשׁ; alii vertunt *expulsiones* scil. civium ex sua possessione; eadem ratione *S. Hier.* suam intelligi vult versionem : « ne videlicet terminos transferatis; et quia ipsa vicinia laedit humiliorem qui supercilium maioris et potentioris non potest sustinere. hinc per Isaiam dicitur : vae qui coniungitis domum ad domum et agrum agro copulatis usque ad terminum loci ». Ceterum de dictione vide 44,6. Monentur, ut auferant oppressionem et vastationem (hebr. cf. Ier. 6,7; 20,8. Hab. 1,3) et agant secundum normam iuris et iustitiae, quae norma in quibus servanda sit, aliquibus exemplis declaratur. Ne igitur alios opprimant iniustitia in iure dicendo vel onera imponendo vel iniuste alios e possessione expellendo (cf. Mich. 2,9).

Dein invigilent, ut in commercio vitae norma iustitiae servetur; unde mensurae et pondera ex iure statuta adhibeantur v. 10 « *statera iusta et ephi iustum et batus iustus erit vobis* »; — fere ad verbum lex repetitur ex Lev. 19,36; cf. Deut. 25,15; de bat vide Is. 5,10. Notat *S. Hier.* epha ad mensuram pertinere variarum frugum, v. g. tritici, hordei, leguminum; batum autem eandem esse mensuram sed in speciebus tantum liquidis, vini et olei et istiusmodi; v. 11 « *ephi et batus aequalia et unius mensurae erunt, ut capiat decimam partem cori*

batus et decimam partem cori ephi; iuxta mensuram cori erit aequa libratio eorum »; — « corus triginta habet modios et in utraque mensura, hoc est, tam aridarum quam liquentium tenet principium » (*S. Hier.*); hebr. *chomer;* quanta sit mensura, si ad computandi rationem nostratium redigatur, non constat; nam dum alii chomer describunt lit. 201,215 (*Thenius*), alii assignant lit. 388,80 (*Vigouroux*, Manuel bibl. I p. 244). Porro v. 12 « *siclus autem viginti obolos habet; porro viginti sicli et viginti quinque sicli et quindecim sicli mnam faciunt* »; — siclus habet viginti *gerah* (hebr.); cf. Ex. 30,13. Lev. 27, 25. Num. 3,47. Aestimatur siclus sacer secundum nostram ponderum rationem gram. 14,5534 (vel gr. 14,2) et gerah gram. 0,72767 (vel 0,708). Altera pars in hebr. obscura est. Mna constabat siclis quinquaginta. Statuitne Ezechiel eam constare siclis sexaginta? Sed cur numerum hunc modo adeo inusitato exprimit, ut numeris demum inter se additis 20 + 25 + 15 exsurgat numerus ille quem indicare vult? Cum igitur haec duo offensioni sint, fortasse praeferri debet textus LXX prout in codice alexandrino legitur : quinque sicli (sint) quinque, et decem sicli decem et quinquaginta sicli vobis erunt mna i. e. mensura et pondus servetur ratione aequali : nummus quinque siclorum revera ita cudatur ut habeat pondus quinque siclorum etc.; ita legendum et explicandum censent *Boeckh,* Metrolog. Untersuch. p. 54, *Bertheau, Sm. C.,* dum alii id reiiciant (*Troch. Schr. Keil*).

Textum hebr. vario modo explicant. Et *S. Hier.* quidem ita :« quod autem dicitur : viginti sicli et viginti quinque et quindecim sicli minam faciunt, lectorem turbare non debet; idcirco enim difficultas in numeris ponitur, ut intentum animum faciat auditoris ». *Hitz.* censet tres mnae species recenseri : mnam auream constare 20 siclis, argenteam 25, cupream 15 siclis. Sed cum eiusmodi mnas in usu fuisse nequeat probari neque verbis prophetae claris ab eo earum usus inducatur, haec explicatio non potest admitti. *Chald.* mnam agnoscit argenteam 25 siclorum et mnam maiorem sanctam 60 siclorum; ita enim versum explicat circumlocutione : « tertia pars minae 20 siclos (habet), mina argentea 25 siclos, quarta pars minae 15 siclos; omnes 60 sunt mina et mina magna sancta erit vobis ». Secundum rabbinos haec divisio facta est, quia in mina tres aliae mensurae continebantur quarum una 15 siclos habebat i. e. partem minae quartam, secunda 20 i. e. tertiam partem, tertia 25 siclos i. e. tertiam cum duodecima (cf. *Mald.*); sed eiusmodi nummos 15, 20, 25 siclorum exstitisse plane incertum est.

Tres species numismatum etiam *Vat.* in auxilium vocat ad divisionem illam explicandam. *Schrader* (Keilinschr. u. A. T. ad Gen. 23,16) affirmat in Babylonia et Assyria minam 60 siclis constitisse et etiam apud Iudaeos quando agatur *de pondere* eandem minam 60 siclorum et talentum 3600 si-

clorum adhiberi; unde censet vatem determinare minam secundum normam veterem et regiam, ergo secundum pondus regium (cf. 2 Sam. 14,26).

d) **De oblationibus et sacrificiis 45, 13-46, 15.**

Uti populus certam terrae portionem pro Domino (i. e. pro templo, sacerdotibus, levitis) et pro principe seponere iubetur, ita quoque ex suis reditibus aliquam partem offerre debet principi, qui sacrificia pro populo offerenda curabit; v. 13 « *Et hae sunt primitiae quas tolletis : sextam partem ephi de coro frumenti et sextam partem ephi de coro hordei* »; — hebr. non primitiae, sed תְּרוּמָה i. e. elevatio, oblatio, quam scil. de suis rebus sumunt et levant vel offerunt Domino; vide v. 1; de *tritico* (hebr.) et de hordeo sexagesima pars erat seponenda; epha enim decima pars est cori v. 11. Notat *S. Hier.* in graeco sermone corrupte dici ephi pro epha. De oleo seponenda est centesima pars v. 14 « *mensura quoque olei batus olei, decima pars cori est et decem bati corum faciunt, quia decem bati implent corum* »; — res plane declaratur in hebr. *et statutum olei* vel lex olei i. e. quod de oleo offerri debet vel *de bato olei est decima pars bati de coro*, ex coro decima pars bati est seponenda (*Vat. Mald. Mar. Tir.* et sim. *Lap. Men. Loch, Troch.* etc.; falso *Calm.* contendit ex oleo decimam partem dari debuisse). Ex gregibus offerenda est ducentesima pars v. 15 « *et arietem unum de grege ducentorum de his quae nutriunt Israel in sacrificium et in holocaustum et in pacifica ad expiandum pro eis, ait Dominus Deus* »; — hebr. *et pecudem unam* (LXX ovem) *de grege ducentorum ex irriguis pascuis Israel* i. e. ex optimis pascuis populi; proinde non pecus macilenta, sed pinguis est offerenda; de voce מַשְׁקֶה vide Gen. 13,10 quo loco *S. Hier.* vertit vocem *irrigabatur*. LXX hanc vocem non legerunt, sed eius loco praebent ἀφαίρεμα ἐκ πασῶν τῶν πατριῶν τοῦ Ἰσραήλ. Pro ariete sermonem hebr. significantius demonstrare βόσκημα quod ad cuncta animantia et non proprie ad arietem referri possit *S. Hier.* advertit; legitur enim hebr. שֶׂה. Cum dicatur לְמִנְחָה *ad fertum*, omnia comprehenduntur quae in v. 13. 14 exposita sunt; vox enim ea, ut notat *S. Hier.*, « proprie non pertinet ad hostiam sed ad ea quae ex simila et polenta et oleo offeruntur in sacrificio ». Ceterum aliis in locis vox etiam idque frequenter adhibetur de muneribus v. g. Gen. 32,14. 19. 21; 33,10; 43,11. 15. 26, et de tributis solvendis 2 Sam. 8,2. 6. 1 Reg. 5,1. 2 Reg. 17,4 etc.; quae notio propter v. 16 etiam hic forte non erit aliena; at propter v. 17 prior illa ex ritu sacrificali deprompta erit retinenda. — Demum additur,

ad quid omnia sacrificia dirigantur; verba ex Lev. 1,4 desumpta sunt, scil. in eorum expiationem. Ceterum ex ritu mosaico si rem iudicaveris, dices enumerationem minime esse completam, cum praeterea aliis opus sit ad sacrificia et ferta v. g. vino, iuvencis.

Has autem oblationes omnes facere tenentur v. 16 « *omnis populus terrae tenebitur primitiis his principi in Israel* »; — haec *oblatio* (hebr. v. 13) fit non immediate Domino, sed principi; sed per principem ea munera ad Dei cultum consecrantur v. 17 « *et super principem erunt holocausta et sacrificium et libamina in sollemnitatibus et in calendis et in sabbatis et in universis sollemnitatibus domus Israel; ipse faciet pro peccato sacrificium et holocaustum et pacifica ad expiandum pro domo Israel* »; — i. e. princeps tenetur ad holocausta et ad *fertum* (hebr.); ipsi incumbit ea offerenda curare. In membro ultimo quattuor sacrificiorum genera in hebr. recensentur : sacrificium pro peccato, fertum, holocaustum, pacifica.

Hisce adnectuntur ea praecepta quibus statuitur, quaenam sacrificia singulis sollemnitatibus offerri oporteat, et quosnam ritus observare debeant. Et primo quidem agitur de mense primo v. 18 « *haec dicit Dominus Deus : in primo mense una mensis sumes vitulum de armento immaculatum et expiabis sanctuarium* »; — *una* mensis i. e. primo die mensis; uti similiter una sabbatorum i. e. primo die hebdomadis; vide de eiusmodi hebraismis *Kaulen*, Handbuch z. Vulg. p. 140; *Cornely*, Introd. I p. 282. Additur ritus v. 19 « *et tollet sacerdos de sanguine quod erit pro peccato et ponet in postibus domus et in quattuor angulis crepidinis altaris et in postibus portae atrii interioris* »; — hebr. *et sumet sacerdos de sanguine hostiae pro peccato;* de postibus vide 41,21 hebr.; de crepidine 43,20. Uti in hebr. הֶחָצֵר הַשַּׁעַר collective sumitur, ita probabilius quoque *porta* atrii interioris, adeo ut tribus in portis idem ritus sit observandus; si enim una ex tribus intelligeretur, certe addita regione orientali vel occidentali designaretur, uti fieri solet 44,1; 46,1 (cf. *Troch. Keil*).

Idem ritus servandus est alia occasione v. 20 « *et sic facies in septima mensis pro unoquoque qui ignoravit et errore deceptus est et expiabis pro domo* »; — hebr. *propter virum ignorantem et deceptum et expiabitis domum;* peccata ignorantiae et imprudentiae vel erroris et deceptionis ea vocantur quae ex fragilitate et imbecillitate committuntur, non autem ex contumacia et superbiae pervicacia neque animo in malum obdurato vel cum blasphemia; haec enim appellantur peccata manus altae; vide Lev. 4,2. 13. Num. 15,22. 27. 30. 31; pro hisce expiatio et sacrificium non admittebatur, sed solum pro illis. Uti peccatis populi terra censetur maculari (vide ad Ier. 2,7), ita

sanctuarium quoque, uti Lev. 15,31 indicatur; quare sanguinis aspersione ipsum quoque adytum emundabatur : « et expiet sanctuarium ab immunditiis filiorum Israel et a praevaricationibus eorum cunctisque peccatis » Lev. 16,16. 19. 20. Ex textu graeco hic ritus peragendus est non die septimo mensis primi, verum septimo mense prima die mensis, secundum quam lectionem aliqui textum hebr. emendant (*Sm. C.*). Quae lectio ex eo commendari potest, quod non valde probabile est intra septem dies sanctuarium *bis* expiari, dum nihil tale per totum reliquum annum praescribitur, e contra omnino consentaneum est, ut haec expiatio fiat bis in anno, mense primo et mense septimo; praeterea cum ex lege mosaica mense septimo magnus ille dies expiationis esset celebrandus, haec sollemnitas ad mensem septimum redacta aliquam eius celebritatis imaginem et similitudinem refert. Vide Lev. 23,27-32.

Dein recensentur leges et praecepta pro festo paschatis v. 21 « *in primo mense quartadecima die mensis erit vobis paschae sollemnitas; septem diebus azyma comedentur;* v. 22 *et faciet princeps in die illa pro se et pro universo populo terrae vitulum pro peccato* »; — in v. 21 distinctio *mas.* haec est : *erit vobis pascha, festum septem dierum, azyma comedentur;* insuper pro שָׁבֻעוֹת oportet corrigere שְׁבֻעַת (hebdomas dierum, vel שִׁבְעַת septem dies). Die quartadecima princeps sacrificium pro peccato offerendum curare debet; pro eo die in lege mosaica non praescribebatur eiusmodi sacrificium; sed inter duas vesperas eo die agnus paschalis erat comedendus; vide Ex. 12,6 seq. Deut. 16,1 seq.; v. 23 « *et in septem dierum sollemnitate faciet holocaustum Domino septem vitulos et septem arietes immaculatos quotidie septem diebus et pro peccato hircum caprarum quotidie* v. 24 *et sacrificium ephi per vitulum et ephi per arietem faciet et olei hin per singula ephi* »; — ad sacrificia illa cruenta, ad holocausta septem iuvencorum et septem arietum, et ad sacrificium pro peccato addi oportet *fertum* quod in v. 24 determinatur : epha scil. similae ad singulos iuvencos arietesque et hin olei ad unumquodque epha similae; intelligi epha *similae* colligitur ex ritu sacrificali Num. 15,4; 28,5 et pro paschate Num 28,20. Sed in lege mosaica pro singulis diebus sollemnitatis paschalis alius numerus sacrificiorum statuitur Num. 28,19-22. Erat *hin* sexta pars bati; cf. ad v. 11.

Eodem modo iisdemque sacrificiis celebrandum est festum scenopegiae v. 25 « *septimo mense quintadecima die mensis in sollemnitate faciet sicut supra dicta sunt per septem dies, tam pro peccato quam pro holocausto et in sacrificio et in oleo* »; — hebr. pro sacrificio iterum ponitur *fertum*. Tempus assignatur festi tabernaculorum vel scenope-

giae Lev. 23,34. Deut. 16,13. Pro qua sollemnitate in lege mosaica alius quoque sacrificandi modus decernitur; vide Num. 29,12-39.

Antequam reliqua sacrificia quae sabbatis et calendis offerre oportet recensentur, designatur, ubi princeps et populus debeant adorare et ritui sacrificali assistere 46,1-3. Ita v. 1 « *haec dicit Dominus Deus: porta atrii interioris quae respicit ad orientem erit clausa sex diebus in quibus opus fit; die autem sabbati aperietur, sed et in die calendarum aperietur*, v. 2 *et intrabit princeps per viam vestibuli portae deforis et stabit in limine portae et facient sacerdotes holocaustum eius et pacifica eius et adorabit super limen portae et egredietur; porta autem non claudetur usque ad vesperam* »; — porta orientalis atrii exterioris semper clausa manebit; in eius vestibulo princeps epulas celebrat sacrificales 44,2. 3; nunc dicitur, ubi adorare et ritui sacro testis assistere debeat. Porta siquidem atrii interioris aperietur diebus sabbatis et calendis; princeps ab atrio exteriore progredietur ad vestibulum portae interioris, ibique stabit *ad postes* portae (hebr.). Cum porta aperta sit, aspectus ad altare patet; quare actionem sacrificalem pia precatione et consideratione princeps prosequi potest, dum in limine portae consistit. Princeps pro sua dignitate admittitur ad vestibulum et limen portae atrii interioris, populus autem ante ipsam portam in atrio exteriore constitutus adorat v. 3 « *et adorabit populus terrae ad ostium portae illius in sabbatis et in calendis coram Domino* »; — populus igitur adorabit extra portam ad eius introitum. Ingressus in atrium exterius per duas portas, australem et aquilonarem, patebat; vide v. 9.

Iam quae sacrificia istis diebus festis offerri oporteat praescribitur v. 4 « *holocaustum autem hoc offeret princeps Domino: in die sabbati sex agnos immaculatos et arietem immaculatum*; v. 5 *et sacrificium ephi per arietem; in agnis autem sacrificium quod dederit manus eius et olei hin per singula ephi* »; — i. e. *fertum* consistet in epha uno similae quod ad holocaustum arietis addatur; ad holocausta agnorum addatur *fertum, donum manus eius* (hebr.). Quam dictionem alii accipiunt eo sensu ut offerat pro arbitrio vel pro religione sua quantum *voluerit* (*Lap. Men. Tir. Calm. Hitz. Schr. Sm.*), alii, ut offerat pro facultate sua, quantum *potuerit* pro ratione opum suarum (*Vat. Mald. Sa, Troch. Keil*) idque etiam *Syrus* et *Chald.* exprimere videntur (vide *Payne Smith*, Thes. syr. c. 2072; *Levy*, Chald. Woerterb. I p. 160); uterque enim ea dictione utitur qua alias *posse* vel *manum assequi posse* redditur (cf. Gen. 31,29. Lev. 5,7. 11; 14,22 etc.). Utramque notionem coniungit *Pint.* sine ulla haesitatione scribens : « tot ephas offeret quot manus eius dare potuerit iuxta eius arbitrium et

facultatem ». At *munus manus eius* non idem valere videtur quod dictio illa v. g. Lev. 5,11 : si non quiverit manus eius offerre etc.; dein res videtur nimis mira principi praecipere, ut tantum similae addat quantum pro ratione facultatum potest; quis enim id determinabit? sane princeps censeri debet magnam copiam similae posse offerri; num igitur tanta copia dici potest postulari ad singula holocausta, dum alias solum epha requiratur? Praeterea id praeferendum est quod factu facilius est : *quantum voluerit* obvium est et clarum et religioni ac pietati liberum relinquit spatium; *quantum potuerit* difficillimum est dictu et aditum aperit dubiis et scrupulis et insuper aequo et iusto durius ac severius videtur.

Porro lex statuitur pro die primo cuiusvis mensis v. 6 « *in die autem calendarum vitulum de armento immaculatum et sex agni et arietes immaculati erunt,* v. 7 *et ephi per vitulum, ephi quoque per arietem faciet sacrificium; de agnis autem sicut invenerit manus eius et olei hin per singula ephi* »; — hebr. v. 6 non *arietes* sed *aries* legitur; item *aries* apud LXX, *Syrum, Chald.;* dabit tamquam *fertum* epha similae; ad sacrificia agnorum addat *prout assequitur manus eius* vel prout apprehendit manus eius i. e. prout ei libuerit vel pro ratione facultatum commodum fuerit; de qua notione vide Num. 6,21. Neque hic existimo notionem subesse ei dandum esse tantum quantum potuerit. Nam ipsis verbis id non enuntiatur; dein ex eo quod *non apprehendit manus eius* idem est quod *dare non potest* (Lev. 5,7. 11; cf. 12;8), non sequitur omissa negatione esse sensum : dare debet *tantum quantum* potest, sed solum eum habere qnod dare possit. Quare dictio ea negatione omissa non multum discrepare videtur ab eo quod in v. 5 enuntiatum est, ad quem versum etiam *Lap. Men.* remittunt. Ceterum hisce statutis pro sabbatis et calendis non praescribi normam mosaicam, statim deprehendes, dummodo Num. 28,9. 11-15 perlegeris.

Inseruntur quaedam quibus ea quae iam in v. 2 et 3 dicta sunt accuratius determinantur v. 8 « *cumque ingressurus est princeps, per viam vestibuli portae ingrediatur et per eandem viam exeat* »; — vide ad v. 2; ut ordo bene servetur, praescribitur populo qua ratione sit intrandum in atrium exterius et exeundum v. 9 « *et cum intrabit populus terrae in conspectu Domini in sollemnitatibus, qui ingreditur per portam aquilonis ut adoret, egrediatur per viam portae meridianae; porro qui ingreditur per viam portae meridianae, egrediatur per viam portae aquilonis; non revertetur per viam portae per quam ingressus est, sed e regione illius egredietur* »; — nemo igitur in ipso atrio sese vertat, sed uti intravit, ita recta ante se pergat et e regione eius portae per quam intravit exeat. Cur ita? forte ne terga obverterent sanctuario?

ea est rabbinorum explicatio. Cui iam opponit *Lap.* eandem fuisse conversionem scil. lateralem, sive per eandem sive per diversam portam quis egrederetur. Unde plerisque arridet ratio, ut in tanta populi turba facilior sit et expeditior exitus vel ne ingredientes occurrant in egredientes. Verum quomodo unum fieri et alterum praecaveri possit ea lege equidem non assequor; quis enim non videt ea ratione ante portam orientalem turbam esse debuisse valde confertam ultro citroque euntium? Haec lex valet quotiescumque *coetus sacer* celebratur; id enim מוֹעֵד significat; proinde etiam sabbatis et calendis. Ea lege tamen principem non teneri, iam innuitur in v. 8 et explicite enuntiatur apud *Syrum* qui v. 10 ita praebet : et princeps qua porta ingressus est ea egredietur; idem etiam deprehendi potest in ea enuntiatione qua apud reliquos legitur v. 10 « *princeps autem in medio eorum cum ingredientibus ingredietur et cum egredientibus egredietur* »; — i. e. ea via qua voluerit; simul indicatur non adesse aditum ad templum qui sit proprius principi.

Id quod 45,24 et 46,5. 7 de ferto statutum est, valere dicitur de omnibus festis et de diebus coetuum sacrorum v. 11 « *et in nundinis et in sollemnitatibus erit sacrificium ephi per vitulum et ephi per arietem; agnis autem erit sacrificium sicut invenerit manus eius, et olei hin per singula ephi* »; — hebr. *in festis* חַגִּים, qua voce saepius tres maiores sollemnitates designantur Ex. 23,15; 34,25. Lev. 23,34. Deut.16,10; at usu quoque generali de festivitate usurpatur haud raro. Duabus dictionibus h. l. omnes dies festi quicumque demum celebrantur comprehenduntur; quale esse debeat *fertum*, statuitur

Quemadmodum iam lege mosaica provisum est, ut spontaneis sacrificiis, votis, nasiraeatu maior quaedam pietas religionisque et cultus divini studium exhiberi possit, ita in novo rerum ordine eiusmodi opportunitas minime deesse potest. Quare talis aemulatio Deo offerendi dona spontanea uno exemplo commendatur v. 12 « *cum autem fecerit princeps spontaneum holocaustum aut pacifica voluntaria Domino, aperietur ei porta quae respicit ad orientem et faciet holocaustum suum et pacifica sua sicut fieri solet in die sabbati et egredietur clauditurque porta postquam exierit* »; — quotiescumque igitur princeps sacrificiis oblatis adorare vult, idem servetur quod in v. 1 et 2 statutum est; solum porta orientalis atrii interioris statim claudenda est adoratione facta, ut ita discrimen servetur inter diem negotiosum et diem festum. Quo sensu dicatur facere, offerre sacrificium, si sermo est de laicis, elucet ex 45,19; actio enim proprie sacrificalis, in qua ritus oblationis perficitur, unice a sacerdote peragitur. Haec autem actio versatur circa sanguinem victimae, quia « ego dedi illum vobis ut su-

per altare in eo expietis pro animabus vestris et sanguis pro animae piaculo sit » Lev. 17,11.

Demum ut lex sacrificalis absolvatur, de cultu statuitur sacrificali quotidiano v. 13 « *et agnum eiusdem anni immaculatum faciet holocaustum quotidie Domino; semper mane faciet illud*, v. 14 *et faciet sacrificium super eo cata mane mane sextam partem ephi et de oleo tertiam partem hin ut misceatur similae, sacrificium Domino legitimum, iuge atque perpetuum;* v. 15 *faciet agnum et sacrificium et oleum cata mane mane, holocaustum sempiternum* »; — in hebr. et apud *Chald.* legitur in v. 13 et 14 ubique *facies*, ita ut sermo dirigatur potius ad coetum populi; in v. 15 hebr. *et facient;* idem *Chald.;* LXX vero et *Syrus* et *S. Hier.* in v. 13 et 14 constanter exhibent *et faciet;* qua locutione sermo adhuc ad principem referri videtur; at in v. 15 LXX praebent ποιήσετε, idem *S. Hier.* : facietis agnum (ita enim in eius versione legitur), dum *Syrus* habet *offerent.* Unde cum in v. 15 testes omnes exhibeant numerum pluralem, hic versus autem duos antecedentes complectatur, sacrificium quotidianum procurari oportet a coetu populi et offerri nomine populi a sacerdotibus. Id etiam ex 45,17 colligitur, ubi solum sacrificia in festis offerenda principi incumbere asseritur. In hebr. v. 13 agnus *anniculus* designatur, uti eandem dictionem *S. Hier.* alias vertit; cf. Lev. 12,6. Num. 6,12. 14. In lege mosaica agnus anniculus vespere quoque offerri debuit Num. 28,3; *fertum* autem hic praescribitur maius quam Num. 28,5.

Illud *cata* in textu *S. Hier.* non legitur, invenitur autem iam apud Rhabanum. Cultus hic sacrificalis diebus singulis mane qui peragi debet etiam ideo bene notetur oportet, quia quanti in religione divina sacrificium idque quotidianum aestimetur clare demonstratur. Et talem cultum quotidianum vates etiam pro novo rerum ordine postulat; unde elucet quantopere a vera cultus divini notione ii distent qui sacrificium verum ministerio sacerdotum offerendum a sua « religione » exclusum volunt. In regno autem Dei, prout hic in symbolo indicatur et expressis verbis a Malachia praedicitur (1,11) verum adsit oportet ac perpetuum sacrificium quod omni loco a solis ortu usque ad occasum offeratur; atque profecto, quomodo in novo foedere deesse posset summus ille ac perfectissimus latriae cultus qui in sacrificio consistit, cum in umbra et figura i. e. in vetere foedere tot legibus esset praeceptus?

e) De possessione principis 46, 16-18.

Ad ea quae supra 45,7 seq. statuta sunt quaedam hoc loco adduntur.

quo melius atque certius id obtineatur propter quod principi peculiaris sors terrae assignatur (45,9) v. 16 « *Haec dicit Dominus Deus : si dederit princeps donum alicui de filiis suis, hereditas eius, filiorum suorum erit, possidebunt eam hereditarie* »; — i. e. quod filiis donat; penes eos erit idque iure hereditatis possidebunt. LXX praebent : si dederit donum uni de filiis suis *ex hereditate sua*, id filiorum eius erit (tamquam) possessio, hereditas; quem textum utpote planiorem et faciliorem et omnino cum v. 17 consentientem aliqui praeferunt (*Hitz. Sm. C.*). Verum ne possessio domus principis imprudenti liberalitate nimis minuatur, non poterit servis suis dona largiri quae perpetuo penes eos remaneant v. 17 « *si autem dederit legatum de hereditate sua uni servorum suorum, erit illius usque ad annum remissionis et revertetur ad principem; hereditas autem eius filiis eius erit* »; — cf. Lev. 25,10; cum agatur de possessione terrae quae primo hero sit reddenda, annus remissionis debet intelligi de anno iubilaei, in quo solo eiusmodi lex valebat, non de anno septimo quo servus hebraeus erat libertati restituendus, uti aliqui volunt, qui legem illam leviticam ex hoc loco originem ducere opinantur. At vates hoc loco ita loquitur, ut quid sit annus remissionis omnibus esse notum supponat; proinde consuetudinem iam diu vigentem hoc loco uno verbo tangit, minime rem novam et incognitam uno vocabulo in mores inducit.

Dein monetur princeps sibi minime licere quidquam de terra populo attributa sibi arripere v. 18 « *et non accipiet princeps de hereditate populi per violentiam et de possessione eorum; sed de possessione sua hereditatem dabit filiis suis, ut non dispergatur populus meus unusquisque a possessione sua* »; — hebr. *et non accipiet... ut depellat eos de possessione eorum;* vide ad 45,8.

f) De culinis 46, 19-24.

Denique describitur, ubinam sit in aedificio sacro locus coquendis carnibus victimarum aptus, in quo scil. epulae sacrificales praeparentur; v. 19 « *Et introduxit me per ingressum qui erat ex latere portae in gazophylacia sanctuarii ad sacerdotes quae respiciebant ad aquilonem, et erat ibi locus vergens ad occidentem* »; — de gazophylaciis vide 42,1 seq.; ibi angelus comes et interpres ei ostendit locum in lateribus vel angulis, in extrema parte occidentem versus (vide fig. IV l, l). v. 20 « *et dixit ad me : iste est locus ubi coquent sacerdotes pro peccato et pro delicto, ubi coquent sacrificium, ut non efferant in atrium exterius et sanctificetur populus* »; — i. e. ubi coquent carnes sacrificii oblati pro peccato et pro delicto et ubi etiam coquent *fertum*.

Atque ista culina ita sita erat, ut sacerdotes ad eam pervenirent ex atrio interiore, ne scil. si per atrium exterius esset transeundum per carnes sacras populus sanctificaretur. Quo sensu carnibus sacris populus dicatur sanctificari, vide ad 44,19; eadem enim ratione sacerdotes vetantur vestibus sacris induti transire per atrium exterius.

Praeterea aliae erant culinae in quattuor angulis atrii exterioris (fig. IV m), in quibus epulae sacrificales pacificorum pro populo parabantur; hae iam ostenduntur vati v. 21 « *et eduxit me in atrium exterius et circumduxit me per quattuor angulos atrii, et ecce atriolum erat in angulo atrii, atriola singula per angulos atrii* »; — in quovis angulo erat parvum atrium; proin quattuor atriola, quae describuntur v. 22 « *in quattuor angulis atrii atriola disposita, quadraginta cubitorum per longum et triginta per latum; mensurae unius quattuor erant* »; — hebr. erant atria קְטֻרוֹת, quam vocem varie explicant : aperta, fumantia, separata, clausa i. e. muris cincta et ianuis clausa, adiuncta (cf. *Vat. Calm. Ges. Keil, Sm.*). LXX et Syrus lectionem praebent facilem et e vocabulo notissimo ortam קְטַנּוֹת atria *parva*, quam lectionem « utpote accommodatam ad ea quae antecedunt » iam *Houbig.* adoptavit et ex recentioribus *C.;* quae lectio insuper eo commendatur quod vocem praebet hebraeam, dum קטר in notione ligandi, claudendi ex aramaico et aethiopico vel secundum *Delitzsch* (apud Baer l. c. p. XVI) ex babylonico-assyriaco petatur oportet. Una eademque mensura omnibus quattuor atriolis erat. In fine habetur in textu *mas.* מְהֻקְצָעוֹת quod vocabulum punctis extraordinariis signatur ideoque dubium declaratur neque apud LXX neque apud *Syrum, S. Hier. Chald.* invenitur expressum. Unde iuremerito negligitur; ceterum *Vat.* vocem explicat *collocata in angulis* et similiter *Schr. Keil.*

Atriola haec pariete separabantur ab atrio; subter parietem foci erant ad carnes coquendas v. 23 « *et paries per circuitum ambiens quattuor atriola et culinae fabricatae erant subter porticus per gyrum* »; — טוּר Ex. 28,17 seq. 39,10 *S. Hier.* vertit *ordinem,* seriem; hoc loco explicat *parietem;* atque revera ordo vel series circa atriola per circuitum vix aliter concipi potest quam paries vel modus quidam saepimenti vel antepagmenti; subter parietem vel *infra series* lapidum quibus paries constabat erant foci, culinae circumquaque. LXX non parietem explicant sed exedras. Ad suam versionem *porticus* notat *S. Hier.* : « sive propter accubita quae Aquila στιβάδας interpretatus est, Symmachus περιφράγματα, Theodotio ipsum verbum hebr. posuit *turoth* ». Eorum usus declaratur v. 24 « *et dixit ad me : haec est domus culinarum, in qua coquent ministri domus Domini victimas*

populi »; — ministri domus (sine *Domini;* hebr. LXX et ipse *S. Hier.*) levitae sunt; vide ad 44,11; hi enim ministeria exercent proxime circa templum, dum sacerdotes Domino ministrare dicuntur 44,15 (cf. *Lap. Tir. Troch.*). Epulae sacrificales celebrabantur ab offerentibus eorumque familiis in sacrificiis pacificorum i. e. in sacrificiis laudis vel gratiarum actionis, in sacrificiis ex voto factis et in spontaneis; cf. Lev. 7,15-18; 22,28-30. Deut. 27,7. In iis homo mensae Dei accumbere censetur et pignus accipere gratiae atque amicitiae in quam reconciliatione accepta cum Deo rediit; sacrificii particeps simul consors efficitur bonorum Dei.

3. *Nova terra. Cap.* 47-48.

Arg. — A templo egreditur fons aquae qui progrediendo crescit et in mare mortuum defluit eiusque aquas reddit dulces et regioni miram tribuit fertilitatem (47,1-12). Dein fines et termini terrae sanctae versus aquilonem, orientem, austrum, occidentem designantur, qui terrae tractus sorte dividendus est Israelitis et advenis (47,13-23). Qualis sors unicuique tribui sit assignanda accurate statuitur; item quomodo sacra terrae portio sit separanda pro Domino et pars pro urbe et principe (48,1-29). Denique ipsa urbs delineatur (48,30-35).

a) **Fluvius aquae vitalis 47, 1-12.**

Dominus in templo in medio populi sui residet (43,1 seq.). Populus autem eum debito cultu et magna religione colit atque adorat (44,1-46,15). Quare ex Dei sanctuario maxima quaedam felicitas et prosperitas in regionem diffunditur. Id illustratur fonte a templo egrediente, crescente, vim vitalem largiente. Quo symbolo etiam demonstratur veram illam benedictionem et beatitatem aliunde haberi non posse nisi a Domino eamque intime connecti cum templo Dei; proinde in sanctuario Dei omnes reponi thesauros vitae beatae eosque hominibus distributum iri pro ratione et mensura qua accedant vera pietate ad Dei sacrarium eiusque cultum studiose exerceant et foveant. Eam autem benedictionem quae a Dei templo in omnes diffundatur fonte exprimi aquae abundantissimo, et rei naturae et oraculis iam datis plane consentaneum est. Quantopere enim in regione orientali omnis viror atque fertilitas terrae rivis aquarum efficiatur notum est, quibus deficientibus omnia evadunt arida, sterilia, mortua; quare apud prophetas usitatum est Dei dona et beneficia fluentis aquarum describere.

Unde Ezechiel symbolo utitur quod multiplici usu prophetarum iam commendatum est et explicatum; vide Is. 12,3; 27,3; 35,7; 43,20; 44,3; 58,11. Ier. 2,13; 31,12. Os. 14,6. Ioel 3,18. Am. 9,13. Mich. 5,7 et ipse vates eodem symbolo iam usus est; vide ad 36,25 et post eum idem adhibuit Zacharias : erit fons patens domui David et habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris (13,1).

Angelo comite vates symbolum hoc cernit v. 1 « *Et convertit me ad portam domus et ecce aquae egrediebantur subter limen domus ad orientem; facies enim domus respiciebat ad orientem, aquae autem descendebant in latus templi dextrum ad meridiem altaris* »; — ab atrio exteriore, ubi angelus ei ostenderat culinas, reducitur ad portam domus vel templi, ibique videt aquae venam profluentem sub limine sanctuarii et fluentem versus orientem; fluebat quippe a latere dextro templi (41,1) et a parte australi altaris holocaustorum; proveniebant autem aquae *ab infra* (hebr.). Earum cursum ut vates prosequi possit, educitur ex atrio templi per portam aquilonarem; porta enim orientalis sub cuius latere dextro aquae manant clausa erat (44,2), unde longiore circuitu adducitur ad portam orientalem extimam extra templi peribolum v. 2 « *et eduxit me per viam portae aquilonis et convertit me ad viam foras portam exteriorem, viam quae respiciebat ad orientem et ecce aquae redundantes a latere dextro* »; — hebr. *et duxit me per viam exteriorem* i. e. extra peribolum templi 40,5 *ad portam exteriorem orientalem;* ibique videt aquas stillantes vel prosilientes a dextero humero vel latere portae.

Quam larga copia aquarum mox exsistat, quo magis aquae in regionem profluunt, vati ostenditur v. 3 « *cum egrederetur vir ad orientem qui habebat funiculum in manu sua et mensus est mille cubitos et traduxit me per aquam usque ad talos* »; — cf. 40,3; hebr. : vir cum egrederetur versus orientem habebat funiculum mensorium in manu et mensus est mille cubita; in ea a templo distantia aqua iam paullatim aucta est; ratione maiore crescit in cursu ulteriore v. 4 « *rursumque mensus est mille et traduxit me per aquam usque ad genua* »; — in hebr. eodem modo quo iam v. 3 : traduxit me per aquam; aquae usque ad genua; v. 5 « *et mensus est mille et traduxit me per aquam usque ad renes; et mensus est mille, torrentem quem non potui pertransire, quoniam intumuerant aquae profundi torrentis qui non potest transvadari* »; — hebr. *intumuerunt aquae, aquae ad natandum, torrens qui non potest transiri* i. e. ita scil. ut solum qui natare potest aquas illas potuerit pertransire; ita fluvius creverat. Iam si per spatium quattuor millium cubitorum tantum intumuerat, facile coniici potest, quanta demum aquarum copia devolvatur in mare mortuum.

Visa igitur aquarum copia magis magisque intumescente etiam quid fertilitatis ei sit adiunctum ostenditur v. 6 « *et dixit ad me : certe vidisti fili hominis? et eduxit me et convertit ad ripam torrentis* » ; — hebr. per interrogationem : *vidistine?* dein angelus eum iam non ulterius sinit progredi, sed eum *reducit* in ripa fluvii ; v. 7 « *cumque me convertissem, ecce in ripa torrentis ligna multa nimis ex utraque parte* » ; — ripam itaque utramque plurimis arboribus videt consitam ; quo uno exemplo regionis amoenitas et fertilitas commendatur.

Angelus ei exponit quo fluvius ille tendat et quid sit effecturus v. 8 « *et ait ad me : aquae istae quae egrediuntur ad tumulos sabuli orientalis et descendunt ad plana deserti intrabunt mare et exibunt et sanabuntur aquae* » ; — hebr. *aquae egrediuntur in regionem* (*circulum*) *orientalem* ; regio circa Iordanem etiam Ios. 22,10 nomine *circulorum* appellatur ; interpretatio *S. Hier.* declaratur ex eius nota : « hebraice *galila* Aquila θῖνας interpretatus est quod tumulos significat arenarum, Symmachus μεθόριον quod possumus transferre *confinium* ». Hebr. *et descendunt ad solitudinem; hebr.* הָעֲרָבָה est regio illa depressior plana et maximam partem arida quae a mari galilaeo usque ad sinum aelaniticum protenditur (*Ges.* Thes. p. 1066) ; unde hoc loco vallis Iordanis prope Iericho intelligitur ; *et veniunt in mare, ad mare eductae* (*veniunt*) *et aquae sanantur* ; illas *exire* ex mari quod fertur in *vulg.*, non legitur in hebr. *Syrus* praebet : *decidunt in mare in aquas putridas*, quibus verbis sensus melior exhibetur ; legit *Syrus* igitur non quod textus mas. fert הַמּוּצָאִים, sed tractu litterarum haud absimili חמוצים, quam lectionem olim non exsulasse a textu hebr. testis est codex marchalianus qui referente *Field* in margine fert notam Hebraeum habere pro τῆς διεκβολῆς (quae est versio LXX) τῆς ἁλμυρᾶς τῆς θαλάσσης ; ea autem voce salsae aquae maris mortui bene designantur. Aquis igitur vitalibus e templo progredientibus aquae maris mortui sanantur dulcesque redduntur. Cernitur itaque in praeclara effigie maledictionem et mortem peccato invectam auferri damnaque illata reparari et vitam novam et salutarem creari aquis illis e sanctuariò manantibus.

Quae vitae ubertas magis per singula depingitur v. 9 « *et omnis anima vivens quae serpit quocumque venerit torrens vivet, et erunt pisces multi satis posquam venerint illuc aquae istae et sanabuntur et vivent omnia ad quae venerit torrens* » ; — i. e. omne animal vivens quodcumque se movet, quocumque venerit torrens vivet ; alludit vates ad notum illud in aquis maris mortui nihil posse vivere piscesque qui eo ex Iordane deferuntur mox mori ; « huc usque nihil quod spiret et possit incedere, prae amaritudine nimia in hoc mari reperiri potest,

ne cochleolae quidem parvique vermiculi et anguillae et cetera animantium sive serpentium genera quorum magis corpuscula possumus nosse quam nomina; denique si Iordanis auctus imbribus pisces illuc influens rapuerit, statim moriuntur et pinguibus aquis supernatant » (*S. Hier.*). Ubi antea mortis imperium longe lateque extendebatur, aquis illis salutaribus abundantia vitae procreatur v. 10 « *et stabunt super illas piscatores, ab Engaddi usque ad Engallim siccatio sagenarum erit; plurimae species erunt piscium eius sicut pisces maris magni, multitudinis nimiae* » ; — « Engallim in principio est maris mortui, ubi Iordanis ingreditur; Engaddi vero, ubi finitur atque consumitur » (*S. Hier.*), quibus verbis indicari videtur ibi esse situm, ubi aquae Iordanis plane cum mari miscentur ita ut fluvius dici possit finiri et consumi. Recentiores Engaddi fere in medio littore occidentali, in Ain Dschiddy, collocant.

Quae vero extra fluvium illum et mare fuerint quo aquae templi pervenient, non sanabuntur v. 11 « *in littoribus autem eius et in palustribus non sanabuntur, quia in salinas dabuntur* » ; — hebr. *coenosa eius et palustria* vel lacunae eius et paludes *non sanabuntur;* igitur quo aqua illa vitalis non pervenerit, ibi corruptio et mors manebit (cf. *Mald. Men. Tir.*). Rem potius ad vitae usum necessarium transfert *Calm.* explicans : haec loca in regionis commodum relinquentur, ut sal suppeditent. Sed satius erit priorem retinere acceptionem et salem considerare h. l. non ut condimentum ciborum quod ex iis locis acquiratur, verum ut sterilitatis maledictionisque signum quo percutiuntur quaecumque undis illis vitalibus non irrigantur i. e. quaecumque aliena sunt a benedictione quae a templo Domini diffunditur. De qua acceptione salis vide Deut. 29,23. Iud. 9,45. Ier. 17,6. Soph. 2,9. Iob 39,6. Ps. 106,34; sale enim sterilitas quoque terrae et ariditas declaratur; unde terra salsuginis terram dicit plane desertam et sterilitate foedam vastamque.

Ubi autem aquae illae manant, ibi summa oritur fertilitas, ibi enascuntur fructus qui sanitatem aegris impertiuntur v. 12 « *et super torrentem orietur in ripis eius ex utraque parte omne lignum pomiferum, non defluet folium ex eo et non deficiet fructus eius; per singulos menses afferet primitiva, quia aquae eius de sanctuario egredientur et erunt fructus eius in cibum et folia eius ad medicinam* »; — i. e. singulis mensibus arbores illae fructus ferent maturos; nunquam marcescent, ne folia quidem defluent; immo ipsa folia ad morbos sanandos valebunt. Quibus emolumentis satis declaratur ubertas vitae quam aquae illae e sanctuario secum afferunt. Atque omnem illam fertilitatem, virtutem, vitam ad templum Dei tamquam ad originem et

fontem referri explicite statuitur, cum ratio eius ubertatis reddatur *quia aquae eius e sanctuario egrediuntur.*

Quo sensu iste fluvius e sanctuario progrediens proponatur, dubium esse nequit si singula attente perlustraveris. Fieri enim in rerum ordine naturali nequit, ut tenuis aquae vena subter templum emanans postquam per spatium quattuor millium cubitorum defluxit iam evaserit fluvius adeo profundus qui solum natatione possit transiri, dum tamen, ut crescat ad eam magnitudinem, aliorum fluminum incursu satis magno opus est. Fieri nequit, ut aqua infusa mare mortuum in eam transmutetur conditionem quae hoc loco describitur; neque arbores tales quales in v. 12 describuntur producuntur ea praesertim ratione, quia aqua e templo manante nutriuntur. Mitto nunquam exstitisse fluvium a monte Sion ad mare mortuum defluentem neque ullo modo posse supponi vatem talem exspectasse vel innuere voluisse regionis immutationem. Unde clarum est aquam hanc eo modo intelligi debere ex mente prophetae, quo aqua apud alios quoque prophetas ad fluenta donorum divinorum transfertur. Ex templo Dei, ex cultu et sacrificiis, omnia in nos bona conferuntur; ibi medicina est mortis, ibi corrupta sanantur, ibi est fons vitae nunquam deficiens, sed vitam gignens abundantem et saliens in vitam aeternam.

Quae cum ita sint, ipsa explicatio huius loci *litteralis* non potest esse alia ab ea quae in parabolis vel allegoriis usuvenit. Sensus igitur ad rem spiritualem translatus hoc loco est ipse sensus litteralis. Neque admitti potest alia explicatio litteralis quam *Lap. Tir.* ex *Vil.* afferunt, videlicet « fuisse aquas subterraneas templi quae per canales ductae in atrium sacerdotum effluebant, quibus tum victimae tum ipsum lanienae solum assidue lavabatur. Sanguis enim aliique humores et excrementa tot victimarum quotidie foetorem intolerabilem creassent nisi his aquis abluta per canales et aquaeductus foras propulsa fuissent ». Adducunt praeterea de eiusmodi aquis et aquaeductibus testimonium Pseudo-Aristeae in libro de LXX interpretibus. Verum haec ad hunc locum propositum minime spectare manifestum est; neque enim vates eiusmodi aquam describit qua sacrificii et mactationis locus mundetur et sordes e templo removeantur. Huic etiam rei provisum esse in templo nemo negabit, sanguinem qui ad altare fuerit aspersus vel ad basin eius effusus, per meatus quosdam foras effluxisse etiam certissimum est. At pariter certum est haec omnia nihil habere commune cum loco quem tractamus. Num igitur prophetam ex tali apparatu saltem ansam cepisse affirmaveris occasionemque arripuisse, ut benedictionem de templo undequaque diffundendam imagine fontis e templo profluentis proponeret? Id si asserueris, rem asseris satis humilem neque ullo pacto vel necessariam vel utilem, quia et aquae symbolum iam diu exstabat in libris sacris ante Ezechielem et ad benedictionis diffusionem ita delineandam illo adminiculo va-

tes minime indigebat. Sua enim sponte illa se offert imago ad benedictionis originem et propagationem adumbrandam.

b) De terrae sanctae finibus 47, 13-23.

Uti notio instaurationis clare exprimatur, terrae fines accurate determinantur et circumscribuntur, quemadmodum ratione simili olim quoque plus minusve designabantur v. g. in prima ad Abraham facta promissione Gen. 15,18, in legislatione sinaitica Ex. 23,31. Deut. 1,7, tempore commorationis in deserto Num. 34,3-15 et cum iamiam in eo essent ut terram occuparent Deut. 11,24. Ios. 1,4. Tali enim descriptione ipsi promissioni additur pondus et firmitas. Quare in nostro quoque oraculo non deest v. 13 « *Haec dicit Dominus Deus : hic est terminus in quo possidebitis terram in duodecim tribubus Israel, quia Ioseph duplicem funiculum habet* »; — terminus scil. secundum quem terra est dividenda et distribuenda duodecim tribubus; pro tribu Ioseph sors duplex statuitur scil. pro Ephraim et Manasse, uti iam Iacob patriarcha dedit filio Ioseph partem unam extra fratres suos Gen. 48,22; cf. Ios. 17,17, uti *Mald. Mar. Lap.* rite explicant. In textu hebr. solum legitur *Ioseph funiculi* i. e. sortes vel portiones terrae quae funiculis mensoriis attribuuntur singulis; sed iam *Chald.* sensum exprimit : Ioseph accipiet duas portiones. LXX non agnoscunt nomen Ioseph sed potius etymologice vertere videntur πρόςθεσις σχοινίσματος; aliqui recentiores duo illa vocabula tamquam glossam delenda esse censent (*Hitz. C.*). Beneficium autem instaurationis derivatur ex promissione divina patribus facta v. 14 « *possidebitis autem eam singuli aeque ut frater suus, super quam levavi manum meam ut darem patribus vestris, et cadet terra haec vobis in possessionem* »; — vel *quia* levavi manum i. e. iureiurando dato promisi; vide ad 20,28. Omnes tribus commemorantur quia nemo a salute excluditur, nisi se ipsum excluserit; omnibus offertur; « non cadet lapillus super terram » vide Am. 9,9. Ier. 3,12; 31,4.

Hisce praemissis fines regionis assignantur primo versus septemtrionem v. 15 « *hic est autem terminus terrae : ad plagam septemtrionalem a mari magno via Hethalon venientibus Sedada,* v. 16 *Emath, Berotha, Sabarim, quae est inter terminum Damasci et confinium Emath, domus Tichon quae est iuxta terminum Auran,* v. 17 *et erit terminus a mari usque ad atrium Enon terminus Damasci et ab aquilone ad aquilonem terminus Emath plaga septemtrionalis* »; — cum complura urbium nomina plane incognita sint, accurata explicatio dari nequit.

Terminus septemtrionalis definitur a mari magno i. e. mediterraneo per viam *Chethlon*, qua itur Sedad; duae hae urbes ubi fuerint adhuc nescitur; Sedad quoque mentio fit Num. 34,8; sunt qui hodiernum Sadad (Sadud) eam urbem esse censeant, quae sita est in via a Karyaten versus Ribla, proin a Damasco septemtrionem versus satis distans (ita *Robinson, Wetzstein, Socinus*). Sed res dubia est; nam versus orientem fines terrae Iordane determinantur, Sadad autem gradu longitudinis uno semis magis in orientem protenditur quam Iordanis. Unde non videtur probabile terminum septemtrionalem tam longo spatio in orientalem plagam procurrisse. Urbes quae in v. 16 enumerantur terminum definiunt septemtrionalem : pertingit itaque usque ad regnum cuius urbs regia est Emath (Chamath, Hamath); Berotha, urbs fortasse eadem quae 2 Reg. 8,8 inter urbes regis regnique Soba recensetur et quam in hodierno Brithen (in via a Damasco versus Baalbek) aliqui suspicantur (*Socinus*); Sabarim, Sibraim aliqui referunt ad Zephron (Num. 34,9), hodiernum Zaferane in via ab Emisa versus Hamath; referunt Salmanassar destruxisse urbem Sabarain in Syria sitam a parte orientali lacus Kades (cf. Theolog. Zeitschrift, Innsbruck 1888 p. 586). Hebr. חָצֵר הַתִּיכוֹן *S. Hier.* vertit *atrium Thicon, Sym.* atrium medium, igitur Thicon *medium* sonat (*S. Hier.*); recentiores vertunt Chazer (Hazer) medium, quod est in confinio *Hauran,* regionis auranitidis. Cum in v. 17 regio determinetur a mari mediterraneo usque ad Hazer Enon, videtur Hazer medium idem significare; vide Num. 34,9. In codicibus graecis legitur σαυναν, αὐναν, αἰναν, εὐναν pro voce hebr. תִיכוֹן; unde denuo commendatur iam in v. 16 esse legendum Hazer Enon; hunc autem pagum fontis esse censet *Keil* hodiernum Sebwe in Bekaa situm ibi, ubi aquae ex una parte ad Orontem, ex altera ad Leontem defluunt. A mari mediterraneo usque ad Hazer Enon regio protenditur et versus aquilonem extenditur ad Emath, Hamath usque; hic est sensus v. 17, quo antecedentia brevi comprehenduntur.

Secundo determinatur qui sint fines orientem versus v. 18 « *porro plaga orientalis de medio Auran et de medio Damasci et de medio Galaad et de medio terrae Israel, Iordanis disterminans ad mare orientale, metiemini etiam plagam orientalem* »; — explica : terminus orientalis egreditur medius inter Auram (Hauran, Auranitidem) et Damascum, inter Galaad et terram Israel secundum Iordanem, ut scil. Iordanis constituat terminum a septemtrione usque ad mare mortuum et (sicut ex v. 19 colligitur) usque ad Thamar. Haec vox *Thamar* etiam cernitur apud LXX in Φοινικῶνος, quia תמר palma, φοῖνιξ vertitur; Thamar quoque legitur apud *Syrum* et facile quoque cerni potest in textu *mas.* תמדו praesertim cum *metiemini* ad eam terminorum descriptionem

non sit satis accommodatum. Quidquid est, terminum protendi usque ad Thamar certum est ex v. 19. Sed ubi Thamar situm fuerit, incertum est; quaeri oportet in parte australi a mari mortuo. Tertio terminus meridionalis designatur v. 19 « *plaga autem australis meridiana a Thamar usque ad aquas contradictionis Cades et torrens usque ad mare magnum, et haec est plaga ad meridiem australis* »; — tractus igitur terrae a Thamar usque ad Cades, dein rivus Aegypti vel Rhinocorura usque ad mare mediterraneum fines constituunt australes. De aquis contradictionis vide Num. 20,1-13. Similiter describitur terminus meridionalis Num. 34,4. 5. Demum terminus datur occidentalis v. 20 « *et plaga maris mare magnum a confinio per directum donec venias Emath; haec est plaga maris* »; — plaga maris vel latus maris est latus *occidentale;* regio enim occidentalis in hebr. per mare mediterraneum designatur, ita ut *versus mare* sit ad occidentem versus. Terminus hic itaque extenditur a confinio, a limite meridiano, a rivo Aegypti vel Rhinocorura (hodie wady el Arisch) *usque e regione illius loci quo itur Emath,* vel ut LXX bene vertunt ἕως κατέναντι τῆς εἰσόδου Ἡμάθ; cf. Num. 34,6. 7.

Hanc terram dividere iubentur inter tribus Israel, immo etiam inter advenas qui se populo Israel adiunxerint v. 21 « *et dividetis terram istam vobis per tribus Israel,* v. 22 *et mittetis eam in hereditatem vobis et advenis qui accesserint ad vos qui genuerint filios in medio vestrum, et erunt vobis sicut indigenae inter filios Israel; vobiscum divident possessionem in medio tribuum Israel;* v. 23 *in tribu autem quacumque fuerit advena, ibi dabitis possessionem illi, ait Dominus Deus* »; — v. 22 *sorte* inter se dividant hereditatem; eodem modo etiam advenis sorte tribuatur possessio et hereditas, ita ut nullum iam adsit discrimen inter Israelitas et advenas et quae Deut. 23,2-8 statuta sint iam non valere dicantur pro novo rerum ordine. Idque v. 23 denuo monetur, ut in quacumque tribu commoretur advena, ibi ei dent hereditatem. Quare merito notat *S. Hier.* : « per hoc capitulum discimus (et decutitur supercilium Iudaeorum) nihil inter Israel et gentium populum esse divisum; si enim advenis et alienigenis cum his qui sunt de populo Israel, hoc est indigenis, terra dividatur, nulli dubium eandem esse hereditatem populi gentium et populi Iudaeorum ». En praeformatur illud : non est distinctio Iudaei et Graeci, nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum (Rom. 10,12. *Calm.*). Advertunt *Lap. Men.* id ab Esdra et Nehemia minime fuisse praestitum, unde eo iam nomine ostendi de alio ordine ac tempore institui sermonem.

c) De divisione terrae 48, 1-29.

Finibus terrae descriptis ac determinatis sequitur qua ratione singulis tribubus sors sit assignanda. Septem tribus accipiunt portionem in parte septemtrionali a templo et urbe : Dan, Aser, Nephthali, Manasse, Ephraim, Ruben, Iuda; reliquae quinque tribus in parte australi : Beniamin, Simeon, Issachar, Zabulon, Gad. Templum itaque cum illa terrae portione quae pro Domino et urbe separatur mediam occupat regionem. Uti olim, Iuda et Beniamin sortem accipiunt prope templum. Ceterum tribus quae originem ducunt ex filiis ancillarum maxime a templo distant : ita a parte septemtrionali Dan, filius ancillae Rachel, Aser, filius ancillae Liae, Nephthali, filius ancillae Rachel; a parte australi Gad, filius ancillae Liae (Gen. 30,3-13). Iuda et Beniamin prope portionem terrae sanctam incolunt; Iuda enim habet promissionem regni aeterni (Gen. 49,10. 2 Reg. 7,14 seq.), Beniamin autem hunc iure nanciscitur honorem quia filius erat dilectissimus patris Iacob; duae portiones in Ephrain et Manasse uni assignantur Ioseph; vide ad 47,13. Ruben a iure primogeniturae excidit (Gen. 49,3. 4. 1 Par. 5,1); at locum accipit secundum a templo post Iuda.

Divisio ac sortitio terrae fit a septemtrione, uti etiam a septemtrione incepta est totius terrae definitio et descriptio (47,15) v. 1 « *Et haec nomina tribuum : a finibus aquilonis iuxta viam Hethalon pergentibus Emath, atrium Enan, terminus Damasci ad aquilonem iuxta viam Emath; et erit ei plaga orientalis, mare, Dan una* »; — i. e. in parte maxime septemtrionali dabitur Dan una sors quae a termino terrae occidentali, a mari, extendatur usque ad terminum terrae orientalem. Similiter in aliis tribubus, unaquaeque sors totam occupabat latitudinem terrae ab occidente usque ad terminum orientalem. In v. 1 regio aquilonaris denuo suis limitibus circumscribitur; vide 47,15-17; atrium Enan, hebr. Hazer Enon. Tractus igitur qui Dan assignatur in extrema parte aquilonis situs est iuxta viam qua itur Hethalon, qua itur Hamath usque ad Hazer Enon; dein tangit terminum vel fines Damasci ad aquilonem iuxta viam Hamath, et extenditur ab occidente ad orientalem terminum. Et iuxta sortem Dan per totam terrae latitudinem Aser suam accipit portionem; dein reliquae ex ordine eodem modo v. 2 « *et super terminum Dan a plaga orientali usque ad plagam maris, Aser una* »; — *super,* hebr. עַל explica prope vel iuxta terminum Dan; et ita in seq. v. 3 « *et super terminum Aser a plaga orientali usque ad plagam maris, Nephthali una;* v. 4 *et super terminum Nephthali a plaga orientali usque ad plagam maris, Manasse una;* v. 5 *et super*

terminum Manasse a plaga orientali usque ad plagam maris, Ephraim una; v. 6 *et super terminum Ephraim a plaga orientali usque ad plagam maris, Ruben una;* v. 7 *et super terminum Ruben a plaga orientali usque ad plagam maris, Iuda una* »; — Danitarum pars iam olim in parte terrae habitabant maxime aquilonari urbe Lais expugnata et Dan appellata (Iud. 18,7-29); etiam Aser et Nephthali in priore terrae divisione partes acceperunt aquilonares; sequuntur Manasse, Ephraim eo ordine, uti olim; unde vates in ea distributione veterem rei imaginem magnopere imitatus est. Ponitur Ruben prope Iuda, forte ut veteris dignitatis aliqua habeatur memoria. Dein ut oblatio terrae Deo sacra et templum fere medium inter tribus occuparent locum, duae tribus Issachar et Zabulon quae olim in parte habitabant aquilonari in australem transferebantur v. 25. 26.

Sors terrae quae pro Domino separari debet 45,1-8 ponitur inter Iuda et Beniamin, quemadmodum prisco quoque tempore Ierusalem sancta civitas (Is. 64,10) in confinio duarum tribuum sita erat; unde ea quoque in re cernitur aliqua veteris conditionis imago. Sortem illam Domini תְּרוּמָה, oblationem manuum elevatione Domino consecratam, denuo describit eamque accuratius quoque quam supra definit atque circumscribit v. 8 « *et super terminum Iuda a plaga orientali usque ad plagam maris erunt primitiae quas separabitis viginti quinque millibus latitudinis, et longitudinis sicut singulae partes a plaga orientali usque ad plagam maris et erit sanctuarium in medio eius* »; — prius tota haec sors definitur; erit scil. latitudinis i. e. a septemtrione ad meridiem tractus terrae viginti quinque millium calamorum; longitudo autem eadem sit quae est uniuscuiusque sortis i. e. a plaga vel termino orientali, a Iordane scil. usque ad terminum occidentalem, videlicet usque ad mare mediterraneum. Verba rite inter se nectit *S. Hier.* scribens : « latitudo teneat 25 millia calamorum, longitudo vero sicuti tenent singulae tribus ab oriente usque ad mare, cuius longitudinis incertus est numerus ». Mensuram adhiberi calamorum docent *S. Hier. Pint. Mald. Lap. Men. Troch. Keil,* cubitorum censent *Tir. Calm. Sm.;* sed vide ad 45,1.

Ex ea sorte prius seponitur pars pro sacerdotibus et templo v. 9-12, quae singulari modo portio Domini appellatur v. 9 « *primitiae quas separabitis Domino : longitudo viginti quinque millibus et latitudo decem millibus;* v. 10 *hae autem erunt primitiae sanctuarii sacerdotum ; ad aquilonem longitudinis viginti quinque millia et ad mare latitudinis decem millia, sed et ad orientem latitudinis decem millia et ad meridiem longitudinis viginti quinque millia et erit sanctuarium Domini in medio eius* »; — v. 10 hebr. *et his erit oblatio sacra, sacerdotibus scil.;*

v. 11 « *sacerdotibus sanctuarium erit de filiis Sadoc, qui custodierunt caerimonias meas et non erraverunt cum errarent filii Israel, sicut erraverunt et levitae;* v. 12 *et erunt eis primitiae de primitiis terrae, sanctum sanctorum iuxta terminum levitarum* »; — hebr. *sacerdotibus sanctificatis... iis erit pars oblationis de oblatione terrae* etc.; vide ad 44,10. 15. Haec pars quae sacerdotibus contingit, sanctum sanctorum appellatur; qua appellatione etiam dignitas sacerdotalis commendatur, dum pars levitarum solum sancti nomen nanciscitur in v. 14. Dein portio levitarum definitur v. 13 « *sed et levitis similiter iuxta fines sacerdotum viginti quinque millia longitudinis et latitudinis decem millia; omnis longitudo viginti et quinque millium et latitudo decem millium;* v. 14 *et non venumdabunt ex eo neque mutabunt, neque transferentur primitiae terrae quia sanctificatae sunt Domino* »; — additur in v. 13 *omnis longitudo* etc. ut descriptio intelligatur eodem modo secundum quattuor plagas sicut explicite dicitur in v. 10. Pars igitur levitarum extenditur secundum terminum sacerdotum eadem mensura; vide 45,4. 5. In altera parte v. 13 LXX utramque portionem sacerdotum et levitarum complectentes exhibent: omnis longitudo 25 millia et latitudo 20 millia, quam lectionem *Hitz. Sm. C.* adoptant. Dein etiam quae v. 14 dicuntur explicite non solum ad levitas, sed etiam ad sacerdotes referuntur; utrique prohibentur quidquam de sorte sacra vendere, permutare, transferre ad alios; quia sunt *primitiae* terrae, ideoque Domino sacrae, uti aliae quoque primitiae non poterant ad usum transferri profanum. Vide eandem legem Lev. 25, 34. Ceterum etsi in v. 13 b textum retinueris *mas.*, lex in v. 14 promulgata etiam extenditur ad portionem sacerdotum; si enim ea portio quae sancta est non potest ad alios venditione vel permutatione vel alia ratione transferri, potiore iure sors sacrosancta vel sanctissima (v. 12) non poterit ullo pacto ad alienos transire. Quare nihil interest, utram lectionem praetuleris.

Cum sortes sacerdotum et levitarum latitudinis sint 20 millium, ex v. 8 restant quinque millia, quae urbi assignantur v. 15 « *quinque millia autem quae supersunt in latitudine per viginti quinque millia, profana erunt urbis in habitaculum et in suburbana et erit civitas in medio eius* »; — haec quinque millia residua sunt *ante* vel *e regione* 25 millium longitudinis; haec pars non est terra sancta, sicut regio sacerdotum et levitarum, sed profana, scil. pro domiciliis et ut sit מִגְרָשׁ area libera. Longitudo, uti patet, est 25 millium. In medio hoc spatio urbs est sita, quae iam secundum extensionem definitur v. 16 « *et hae mensurae eius : ad plagam septemtrionalem quingenta et quattuor millia, et ad plagam meridianam quingenta et quattuor mil-*

lia et ad plagam orientalem quingenta et quattuor millia, et ad plagam occidentalem quingenta et quattuor millia; v. 17 *erunt autem suburbana civitatis ad aquilonem ducenta quinquaginta, et ad meridiem ducenta quinquaginta, et ad orientem ducenta quinquaginta, et ad mare ducenta quinquaginta* »; — urbs itaque exhibet rectagonum, quod in quovis latere habet 4 500 calamos; circa urbem est area (suburbana, מִגְרָשׁ), cui pariter sunt in unoquoque latere 250 calami; quare urbs cum area format rectagonum quod in quovis latere habet calamorum quinque millia. Unde tota latitudo spatii ex v. 10. 13 relicti expletur urbe et area qua undique circumdatur.

Quae restant ex longitudine (ab oriente in occasum, cum longitudo tota sit 25 000) sunt ex utraque parte urbis areaeque decem millia; ea pars colatur, ut proventus sit incolis urbis v. 18 « *quod autem reliquum fuerit in longitudine secundum primitias sanctuarii decem millia in orientem et decem millia in occidentem, erunt sicut primitiae sanctuarii et erunt fruges eius in panes his qui serviunt civitati;* v. 19 *servientes autem civitati operabuntur ex omnibus tribubus Israel* »; — i. e. reliquum in longitudine iuxta vel secundum oblationem sacram extensum habet decem millia ad orientem et totidem ad occidentem; haec pars terrae adhibeatur ad annonam procurandam; itaque in agros vel hortos et vineas cedat et incolis urbis victum suppeditet. Incolae autem urbis ex v. 19 ex omnibus tribubus sunt commisti et hi campum illum colent. Eos qui urbi *serviunt,* alii intelligunt magistratus, praetores, consiliarios vel alios publicis muneribus fungentes (*Mald. Lap. Men. Tir.*), alii generatim cives vel incolas (*Mar. Sm. C.*), alii operarios (*Calm. Keil*). Cum 45,6 pars civitati attributa esse debeat omni domui Israel, cives vel incolas intelligendos esse quam maxime probabile est; unde *colentes urbem* (hebr.) explica cives, incolas, qui certo quodam sensu vere sunt *servi* vel ministri urbis cuius scil. securitati, gloriae, incremento serviunt.

Tota igitur sors pro sacerdotibus, levitis, urbe rectagonum exhibet 25 millium v. 20 « *omnes primitiae viginti quinque millium, per viginti quinque millia in quadrum, separabuntur in primitias sanctuarii et in possessionem civitatis* »; — hebr. verte : omnem oblationem 25 000 cum 25 000 quadratam separate (vel offerte), sacram oblationem et possessionem urbis. Haec pars autem ita sita erat, ut ab oriente et occidente, a Iordane et a mari, portio quaedam terrae restaret, cum longitudo 25 000 calamorum non totam terrae sacrae extensionem a mari ad Iordanem usque aequaret. Hoc residuum ex utraque parte principi attribuitur (cf. 45,7) v. 21 « *quod autem reliquum fuerit, principis erit ex omni parte primitiarum sanctuarii et possessionis ci-*

vitatis, e regione viginti quinque millium primitiarum usque ad terminum orientalem; sed et ad mare e regione viginti quinque millium usque ad terminum maris similiter in partibus principis erit; et erunt primitiae sanctuarii et sanctuarium templi in medio eius; v. 22 *de possessione autem levitarum et de possessione civitatis in medio partium principis, erit inter terminum Iuda et inter terminum Beniamin et ad principem pertinebit* »; — in v. 21 hebr. dicitur residuum illud ex utraque parte, ad orientem scil. et ad occidentem, extendi *iuxta* vel *secundum partes* scil. Iuda et Beniamin; v. 22 ita explica: ad principem pertinebit quidquid inter terminum Iuda et terminum Beniamin interiacet dempta possessione levitarum et civitatis, quae possessio est in medio eius quod principis est vel media iacet inter tractum orientalem et occidentalem principis.

Illa sorte terrae designata quae pro templo templique ministris et pro civitate et principe separari debet v. 8-22, iam reliquis quinque tribubus in parte meridionali suae partes attribuuntur v. 23 « *et reliquis tribubus: a plaga orientali usque ad plagam occidentalem, Beniamin una;* v. 24 *et contra terminum Beniamin a plaga orientali usque ad plagam occidentalem, Simeon una;* v. 25 *et super terminum Simeonis a plaga orientali usque ad plagam occidentalem, Issachar una;* v. 26. *et super terminum Issachar a plaga orientali usque ad plagam occidentalem, Zabulon una;* v. 27 *et super terminum Zabulon a plaga orientali usque ad plagam maris, Gad una* »; — על in v. 24 vertit *S. Hier.* contra, alias ubique *super;* vide ad v. 2; « quod in quinque et septem tribubus semper in fine ponitur *una,* subintelligitur pars vel possessio vel hereditas, licet Aquila et Symmachus interpretentur genere neutrali τὸ ὅριον, quod significat *terminum* » (*S. Hier.*).

Dein brevi repetitur qui sit finis australis v. 28 « *et super terminum Gad ad plagam austri in meridie et erit finis de Thamar usque ad aquas contradictionis Cades hereditas contra mare magnum* »; — vide ad 47,19; verte sicut ibi נחלה non *hereditatem* sed *secundum torrentem* i. e. secundum rivum Aegypti, Rhinocoruram, ad mare magnum. Terminus scil. australis currit de Thamar ad Cadesbarne; dein sequitur cursum rivi Aegypti usque ad mare mediterraneum. Tota descriptio concluditur v. 29 « *haec est terra quam mittetis in sortem tribubus Israel et hae partitiones earum, ait Dominus Deus* »; — quam sortito distribuetis in hereditatem; lege in hebr. בנחלה cum aliquibus codd. apud de Rossi, cum LXX, *S. Hier. Chald.* et uti etiam in textu *mas.* legitur eadem dictio 45,1 et 47,22.

Hoc loco non erit abs re pauca adnotare ad quaestionem, de qua dissi-

dent interpretes, utrum 45,1-6 et 48,8-21, quibus locis nulla mensurae ratio adscribitur, oporteat intelligere calamos an cubita. Qui ex alterutra parte stent, suis locis iam est indicatum. Restat ut hoc loco iudicium feramus instituta comparatione inter sortem sacerdotum levitarumque et inter sortem quae alicui tribui contingat. Sacerdotes enim et levitae etiam unam tribum constituunt, tribum Levi; unde probabile est iis quoque pro rata parte sortem assignari non adeo exiguam, ut cum reliquis vix venire possit in comparationem. Cum autem vates assidue nominet Iordanem et mare mediterraneum et terminum aquilonarem et meridionalem accurate suis nominibus et locorum situ definiat, merito supponitur aestimationi vera illius tractus terrae magnitudo. Quamvis enim mens prophetae esse nequeat rem ita proponere, ut populus Dei revera illis arctis limitibus conclusus teneatur — de qua re erit postmodum agendum, — tamen in visione et descriptione ille terrae tractus revera menti prophetae obversatur et in illo imago ac repraesentatio exprimitur et sistitur, sicuti alias effigies et mensura portarum, atriorum, altaris certa quadam et definita ratione circumscribitur. Quare ut diiudicemus quidnam ipsi in visione sit ostensum et quae sortis cuiusque magnitudo menti eius sit repraesentata, iure regionem ipsam ei exhibitam pro mensura statuimus.

Iam longitudo terrae a Cadesbarne usque ad terminum septemtrionalem complectitur 50 milliaria geographica vel fere 371 kilometr.; latitudo autem a Iordane ad mare mediterraneum constat in regione prope Ierusalem 12 milliariis geogr.; et maior fit versus austrum, aliquantulum angustior versus septemtrionem. Poterit itaque omnis ille terrae tractus aestimari 50 × 12 mill. geogr. i. e. 600 □ mill. geogr. (cf. *Keil*). Iam si numeros illos pro oblatione sacra computaveris secundum mensuram cubitorum, urbs cum sua area non habet nisi partem octavam unius milliarii geographici quadrati, ager urbi assignatus dimidio milliario quadrato continetur, terra sacerdotum cum templo et terra levitarum duo milliaria geographica quadrata semis comprehendit. Terra autem reliquis tribubus servata fere haberet 579 milliaria, ita ut singulis tribubus aliquantulum plus quam 48 milliaria contingerent, et soli principi plus quam 18 milliaria. Unde tota tribus Levi non acciperet nisi partem decimam nonam eius sortis quae cuique tribui alii attribuitur.

Aliter res cadit, si calamos intelligimus. Tum terra pro templo, sacerdotibus et levitis seponenda fere complectitur spatium milliarium geogr. quad. nonaginta semis; terra principis milliaria quattuordecim semis; terra quae restat pro urbe et tribubus est milliariorum 495, ita ut unicuique tribui (cum urbs eiusque ager omnium sit) aliquantulum plus quam 41 milliaria geogr. quadr. contingant. Ita fere computationem instituit *Keil*. — Similem computationem instituit *Currey* pro longitudine vel extensione terrae a septemtrione usque ad terminum meridionalem. Computat ab Hamath usque Ain-el-Weibeh (i. e. Cadesbarne, uti ipse sequens Robinson assumit) i. e. a gradu latitudinis 34,20 usque ad gradum latitudinis 30,18 milliaria geographica anglica 242, quae in hunc modum distribuit :

pro parte levitarum, sacerdotum et dimidia sorte urbis 22 500 cal. i. e.	32 mil.
pro septem tribubus terrae latitudo a septemtrione ad austrum, dum uni tribui fere 17 mil. danda sint.	121 —
pro quinque tribubus.	85 —
pro spatio ab urbe usque ad terminum australem oblationis.	4 —

d) De urbe 48, 30-35.

Quae in v. 15. 16 dicta sunt de tractu terrae urbi eiusque areae liberae assignato, hoc loco repetuntur additis portis urbis v. 30 « *Et hi egressus civitatis : a plaga septemtrionali quingentos et quattuor millia mensurabis*, v. 31 *et portae civitatis ex nominibus tribuum Israel; portae tres a septemtrione : porta Ruben una, porta Iuda una, porta Levi una* »; — egressus vel exitus urbis explica ex subiuncta determinatione; unde extrema illa designantur ad quae ditio urbis extenditur; quare statim idem sequitur quod iam v. 16 est propositum, quantae scil. sit longitudinis latus quodvis. Urbs forma quadrata consistit; in quovis latere tres portae sunt quae nomina sortiuntur tribuum Israel. Quemadmodum in terrae descriptione ab aquilone est inceptum, ita hic quoque. Portae aquilonares nominantur ex tribus filiis Liae, « quorum est primogenitus Ruben, et Iudas regiae stirpis auctor et Levi » (*S. Hier.*) quem Deus pro primogenitis Israel sibi in ministerium dedicavit et selegit.

Similiter v. 32 « *et ad plagam orientalem quingentos et quattuor millia et portae tres : porta Ioseph una, porta Beniamin una, porta Dan una* »; — ut ex Levi una porta nominari possit, tribus duae Ephraim et Manasse in unam Ioseph coalescunt. Nomina praebent « ambo filii Rachel et unus Balae ancillae eius » (*S. Hier.*); v. 33 « *et ad plagam meridianam quingentos et quattuor millia metieris et portae tres : porta Simeonis una, porta Issachar una, porta Zabulon una* »; — « qui tres Liae filii sunt » (*S. Hier.*); v. 34 « *et ad plagam occidentalem quingentos et quattuor millia, et portae eorum tres : porta Gad una, porta Aser una, porta Nephthali una* »; — sequuntur reliqui ancillarum filii; priores duo filii Zelphae sunt ancillae Liae, tertius filius Balae ancillae Rachelis (*S. Hier.*). Nominibus portarum declarata est civitas populi Dei et simul indicatur, unicuique ibi esse partem. Ipsi iam urbi nomen imponitur quo vetus illa promissio de habitatione Dei in medio populo suo ostenditur opere completa v. 35 « *per circuitum decem et octo millia; et nomen civitatis ex illa die : Dominus ibidem* »; — cum

unumquodque latus habeat 4 500, quattuor simul constituunt per circuitum 18 000. Nomen erit deinceps, scil. novo rerum ordine constituto quem in visione delineatum vidit vates : *Iahve est ibi*, Deus foederis cum omnibus suis bonis est ibi perpetuo, ita ut theocratiam instauratam iam non relinquat, sed continua sua praesentia, amore, donis eximiis foveat atque amplectatur. Eo nomine bonorum omnium summa exprimitur, exprimitur perennis theocratiae status, eius sanctitas et potentissima Dei protectio. Eo nomine omnia promissa quasi epiphonemate comprehenduntur et brevi formula absolvuntur; vide 37,26. 27. Nominis designatio non id dicit debere appellationem illam urbi revera imponi, sed talem esse eius conditionem quae nomine eo optime describatur (cf. Is. 1,26; 7,14; 62,4. 12. Ier. 3,17; 33,16 hebr. etc.). Unde nomine hoc idem dicit vates de theocratia instaurata quod Christus discipulis valedicens sollemniter spopondit : ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi (*S. Hier. Lap. Tir.*); et describitur civitas portis et nomine eo modo quo S. Ioannes vidit Ierusalem coelestem portis quoque duodecim instructam et compellatam : ecce tabernaculum Dei cum hominibus et habitabit cum eis et ipsi populus eius erunt et ipse Deus cum eis erit eorum Deus (Apoc. 21,2. 13).

4. *Quid ea visione portendatur.*

Postquam visionem ipsam quantum licuit mente retractavimus et adumbravimus, inquirere oportet quid sibi velit. Quam quaestionem ita aggrediendam esse censeo, ut prius exponatur quid ea visione vates *non* intendat; qua in re alia disceptatio est instituenda cum aliquibus catholicis, cum rationalistis alia, alia cum iis qui chiliastae dicuntur.

a) **Adversus aliquos catholicos.**

Quandoque enim etiam inter catholicos haec statuitur interpretandi ratio pro hac visione, ut quaecumque de templo, de ritibus, de caerimoniis dicantur ea sint ad litteram intelligenda tamquam praecepta quae a vate pro tempore reditus dentur (cf. *Pail.* p. 302). Etiam frequentius volunt saltem in templi imagine nobis exhiberi ad amussim templum olim a Salomone conditum, cuius praeclara species ne unquam mentibus mortalium evanescat et excidat, Deum visionem eam litteris consignari voluisse, simulque proponi reducibus ex exsilio formam secundum quam templum instaurari oporteat; ita partim iam

sensit *S. Ephr.*; ita *Vil. Lap. Men. Gord. Calm.*, dum alii ea visione templum exprimi vel a Salomone aedificatum vel erigendum a Zorobabele omnino negant explicite (cf. *S. Hier. Mald. Pint. Est. Mar. Loch, Troch.*).

Atque catholicis quidem sine multo labore persuaderi poterit vatem non proponere ea quae post reditum observari oporteat. Id enim ex duabus potissimum causis efficitur : a) quae praescribit, postmodum minime sunt in opus deducta, b) sat multa praescribit quae a lege mosaica recedunt. Iam vero ex eo quod nihil sit executioni mandatum legitime inferimus, duces populi et prophetas qui tempore reditus exstiterint perspexisse non eum esse sensum visionis. Pariter ex defectu impletionis colligi merito potest et debet etiam Deum non eo consilio dedisse visionem; alias enim plane frustra fuisset, Deum autem visionem dare quae prorsus fine et scopo careat nemo dixerit. Porro vates ne verbulo quidem indicat legem mosaicam a se in multis mutari et abrogari. Cum autem tempus post exsilium adhuc pertineat ad vetus testamentum quod institutis regitur mosaicis, nullo modo praesumi potest vatem suis praeceptis velle abrogare legem mosaicam. Et tamen quam multa sunt quae ab eo statuuntur diversa ab ea institutione quae valere debebat usque ad tempus messianum? Aliqua ex iis in medium afferre non piget.

Consecratio altaris 43,19 seq. descripta in sat multis a ritu recedit quem Ex. 29 et Lev. praescriptum et observatum legimus. Nihil apud vatem de unctione altaris; alia est victima quae immolatur pro peccato; in lege iuvenculus per septem dies, apud vatem iuvenculus pro die primo, pro reliquis hoedus. Alius est ritus sanguinis : in lege sanguis ponitur ad cornua altaris; apud vatem insuper ad quattuor angulos crepidinis et super coronam in circuitu. Praeterea in lege holocaustum praecipitur arietis, apud vatem arietis et iuvenci. Etiam maius discrimen cernitur in praeceptis de festis diebus et de sacrificiis offerendis. In lege mosaica non praescribitur sacrificium pro peccato die 14 mensis primi; praescribitur autem a vate 45,21; in lege mosaica pro septem diebus paschatis holocausta offeruntur duo vituli, aries unus, agni septem; apud vatem septem vituli et septem arietes; fertum quoque differt; ibi postulantur similae oleo conspersae tres decimae partes epha per singulos vitulos, duae decimae per arietem et decima pars epha per singulos agnos (Num. 28,20. 21); apud vatem autem multo plus exigitur : epha similae et hin olei per singulos vitulos et per singulos arietes. Eodem modo oportet sacrificari in festo scenopegiae per septem dies. Aliter in lege : singulis diebus pro peccato offerebatur hoedus; pro holocausto autem die primo vituli 13, die altero 12 et ita pro sin-

gulis diebus numerus imminuebatur per unum, ut die septimo 7 offerrentur; insuper singulis diebus mactabantur arietes duo et agni 14 (Num. 29,13-34); praeterea accedebat dies sollemnitatis octavus, de quo nihil apud Ez. Neque festum hebdomadarum (pentecoste) neque primum diem mensis septimi neque ritum diei expiationis eo modo quo in lege commemorat. Alia quoque sacrificia pro sabbatis et calendis leguntur in lege, alia apud vatem. Ibi pro sabbato oportet offerri agnos duos, hic agnos sex et arietem unum; ibi pro calendis vitulos duos, arietem unum, agnos septem et pro peccato hoedum unum; hic vitulum unum, agnos sex, arietem unum, sine sacrificio pro peccato. Immo sacrificium quotidianum non eadem ratione consistit, cum apud vatem solum sacrificium quovis mane offerendum praescribatur eius ferto aliquantulum aucto, in lege autem et mane et vespere holocaustum agni exigatur.

Tributa quoque quae populus solvere debet alia leguntur apud vatem 45,13, alia in lege qua primogenita, primitiae, decimae praescribuntur. Novum quoque est quod 44,19 de vestibus sacerdotalibus statuitur; etiam lex de coniugiis sacerdotum 44,22 alio modo proponitur quam Lev. 21,14. Alia quaedam vide ad 40,38. 39. Neque minus a lege alienum est quod 43,12 sanctum sanctorum non solum templi adytum appellatur, verum etiam totum illud quod pro templo aedificiisque sacris separatum est.

Aeque manifestum est alterum; ea scil. quae Ezechiel statuere videtur minime esse exsecutioni mandata. Id enim constat fatentibus omnibus de templo et de divisione terrae et de situ urbis. Nunquam templum eo loco et ea forma exstructum est, immo ne potuit quidem exstrui, cum in monte Moria tanta non adesset planities quanta ex placitis Ezechielis necessaria esset. Nunquam templum ita ab urbe separatum est; nunquam ea quae voluit Ezechiel domicilia sacerdotibus et levitis sunt assignata; nunquam talis exstitit princeps, qualis a vate requiritur. Haec in aperto sunt posita. Sed alia quoque post exsilium non fuisse ad normam hanc exacta certum est. Id enim iam eo ostenditur quod Esdras et Nehemias in instauratione cultus et in tota vitae ratione non ad haec Ezechielis praecepta, sed unice ad legem Moysis attenderunt et provocaverunt sedulo providentes, ut ad normam mosaicam redigerentur et exigerentur cuncta. De qua re vide Esdr. 3,2; 6,18. Neh. 8,1. 14; 10,29. 34; 13,1 seq.; tributa v. g. et decimae tempore Nehemiae exiguntur eo modo quo in lege praescriptum est Neh. 10,36-39; decimas, de quibus nihil apud Ezechielem, esse solutas etiam ex Matth. 23,23. Luc. 11,42 et *Iosepho,* vit. 15; Antiq. 20,9,2 patet; item de primogenitis Luc. 2,22, de didrachma

pro templo solvenda (Ex. 30,11-16. Matth. 17,24. *Iosephus*, Antiq. 18,9,1. Bell. iud. 7,6,6). Porta orientalis secundum Ezechielem semper clausa manere debet; at *Iosephus* narrat opus fuisse viris viginti ad portam orientalem atrii claudendam (Bell. iud. 6,5,3). Sacrificium quotidianum offerebatur non secundum modum quem apud Ezechielem legimus, sed secundum ritum mosaicum; vide Esdr. 9,4. 5; mane et *vespere* agnum immolari disertis verbis testantur *Philo* (de victimis, 3) et *Iosephus* (Antiq. 14,4,3; c. Ap. 2,8); unde hora nona tamquam hora orationis designatur Act. 3,1; 10,3. 30. Sabbatis quoque holocausta esse oblata non ex ritu apud vatem descripto, sed ex lege mosaica nos docent *Philo* l. c. et *Iosephus* (Antiq. 3,10,1) dicentes sabbatis sacrificia duplicia fieri. Vide de ratione cultus tempore Christi *Schürer*, Geschichte des jüd. Volkes im Zeitalter Jesu Chr. II 2 ed. p. 194. 201. 206. 219. 234. 242.

Praeterea addere oportet in cultu apud Ezechielem descripto sat multa non commemorari quae tamen post exsilium exstitisse inveniuntur; ita ille nihil de panibus propositionis, nihil de candelabris sacris, immo ne pontificis quidem ullam facit mentionem. Quare res post exsilium non fuisse exactas ad normam Ezechielis in aperto est. Inde vero iure infertur regula interpretationis qua statui oportet de sensu visionis ei oblatae.

Cum ea igitur sit ratio visionis qua in ceteris rebus minime id refertur quod opere sit exprimendum, quid de templo ipso statuemus? dicemusne illam adumbrari ac delineari formam ac speciem qua Salomon templum exstruxit, ita ut visio templi nihil aliud sit nisi resuscitatio quaedam templi diruti, resuscitatio, inquam, ad perpetuam rei tantae memoriam et admirationem? Ita nonnullis visum est. Aliis tamen aliter. Atque hoc quidem merito. Nam etsi multa ad magnam cum salomonico similitudinem cernantur efformata — ita atria, sanctum, sanctum sanctorum, aliqua aedificia templo adiecta — tamen alia nobis ea visione describuntur de quibus nulla fit mentio in templo salomonico, alia quae ab illo recedunt. Hisce adde rationem ex antecedentibus collectam, et reliqua videlicet non ita delineari ac si unquam exstitissent aut exsistere deberent, quibus considerationibus effici mihi videtur magis ad rei veritatem illos accedere qui cum *S. Hier.* negent templum delineari salomonicum.

Quae sententia iam inde valide confirmatur quod prima templi species obtutibus prophetae oblata nequaquam ei templum esse videbatur, verum aedificium civitatis, ut ad 40,2 adnotatum est. Deinde quae in visione de forma ac figura portarum atrii et exterioris et interioris dicuntur, pariterque ea quae de gradibus, de munach, de aedi-

ficio separato, de gizrah, de culinis proponuntur, ea omnia in aedificio templi penitus tacentur; quare incompertum est, utrum talia fuerint in templo an eodem modo fuerint. Alia quae ad templi supellectilem pertinuisse scimus, uti arcam, candelabra, mensas panum, mare aeneum variaque alia instrumenta, in visione non exhibentur. Si quis autem contenderit, prout aliqui contendunt, ex utraque descriptione in 3 Reg. 6 et apud Ezechielem proposita unam aliquam effigiem integram esse efformandam ita ut quod in alterutro loco desit vel taceatur ex altero sit petendum, is non probat quod est probandum, sed supponit id obtinere quod in controversia est; insuper ea negligit quae a templo salomonico diversa vati ostensa sunt. De qua diversitate iam *S. Hier.* haec habet : « quam (domum scil. vati ostensam) nequaquam illam putemus quae a Salomone constructa narratur in Regum et in Paralipomenon libris; illa enim alterius ordinis atque mensurae est et in singulis magnam habens diversitatem » (ad Ez. 43,10 seq. *M.* 25,419) et alio loco advertit hoc templum vati ostensum multo augustius esse quam fuerit salomonicum (ad Ez. 40,1 seq. l. c. 371). Neque immerito observat *Mar.* ad 42,16-20 hisce vatem indicare voluisse non agi de templo salomonico. Vide quoque ad 41,5; quodsi *Vil. Pail.* mensurae discrimen removere conantur dicentes quattuor poni cubita vel quinque, ut indicetur mensura quattuor cubitorum semis, id pro arbitrio excogitatum est. Atque haec satis sint de illa sententia; nam aliae rationes quae pariter militant contra eam, exponendae erunt infra, quando de opinione chiliastarum agendum erit.

b) **Contra rationalistas quosdam.**

Sunt inter rationalistas, qui Ezechielem in hac visione eas leges normasque descripsisse velint quae antea in urbe stante templo in usu fuerint et quas ipse in futurum templo instaurato observatas voluerit. Quam opinionem ita proponunt ut dicant, Ezechielem in exsilio primum id fecisse; mox alios sacerdotes idem praestitisse et ita orta esse capita illa quae Lev. 17-26 legantur; dein tempore procedente ritus et caerimonias et varia praecepta esse aucta magisque determinata et ita demum exstitisse codicem quem vocant sacerdotalem i. e. collectionem quandam rituum legumque quae contineantur Ex. 25-40 (excipe 32-34) Levitico, Num. 1-10. 15-19. 25-36. Ita enim Ezechielem medium esse inter Deuteronomium et codicem sacerdotalem et clare perspici progressum in caerimoniis praeceptisque conspicuum qui post Deuteronomium per Ezechielem fiat et in codice sacerdotali quasi in

suo fastigio absolvatur. Ita *Wellhausen,* Geschichte Israels I p. 62. 429, *Smend* aliique, qui codicem sacerdotalem demum per Esdram et Nehemiam prima vice promulgatum esse affirmant, uti *Graf, Kuenen, Reuss* etc.; de qua assertione vide *Cornely,* Introd. II 1 p. 136 seq.

Contra quod rationalistarum placitum omnia illa valent quae pro origine mosaica Pentateuchi afferri possunt (vide *Cornely* l. c. p. 33-154). Speciali autem ratione ex illis ipsis quae rationalistae admittunt ostendi potest illam opinionem omni carere fundamento ét certissimis contradicere testimoniis. Libros enim Esdrae et Nehemiae tamquam libros genuinos ac veraces admittunt. Iam quid libris istis proditur? Legis promulgationem iis narrari omnes profitentur. Utique; at advertere oportet eam legem promulgari non tamquam nunc ortam vel a paucis annis conscriptam, verum tamquam legem quam omnes a Deo per Moysen populo esse traditam firmissima persuasione certum habent et exploratum. Nam quomodo in libris Esdrae et Nehemiae sermo fit de Pentateucho? Quam maxime explicite tamquam de libro legis qui ad Moysen auctorem referatur : « et aedificaverunt altare Dei, ut offerrent in eo holocautomata, sicut *scriptum est in lege Moysi* viri Dei » Esdr. 3,2; « et statuerunt sacerdotes in ordinibus suis et levitas in vicibus suis super opera Dei in Ierusalem, sicut *scriptum est in libro Moysi* » l. c. 6,18; « Esdras ascendit de Babylone, ipse scriba velox in *lege Moysi quam Dominus Deus dedit Israel* » l. c. 7,6; « vanitate seducti sumus et non custodivimus mandatum tuum et caerimonias et iudicia quae *praecepisti Moysi* famulo tuo; memento verbi quod *mandasti Moysi* servo tuo dicens : cum transgressi fueritis, ego dispergam vos in populos; et si revertamini ad me et custodiatis praecepta mea et faciatis ea, etiamsi abducti fueritis ad extrema coeli, inde congregabo vos et reducam in locum quem elegi ut habitaret nomen meum ibi » Neh. 1,7-9 (quo loco simul recitantur verba ex Deut. 4,27; 28,64; 30,1. 3; 12,11); « congregatus est omnis populus quasi vir ad plateam quae est ante portam aquarum et dixerunt Esdrae scribae, ut afferret *librum legis Moysi quam praeceperat Dominus Israeli* » Neh. 8,1; « et invenerunt scriptum in lege *praecepisse Dominum in manu Moysi,* ut habitent filii Israel in tabernaculis in die sollemni mense septimo » Neh. 8,14; nomine omnium levitae profitentur : « mandata et caerimonias et *legem praecepisti in manu Moysi* servi tui » l. c. 9,14; omnes quoque sollemniter spondent, « ut ambularent in lege Dei *quam dederat in manu Moysi* servi Dei » l. c. 10,29 (30); pari ratione constituunt modum quo legem Lev. 6,5 observari volunt de igne perpetuo in altari : « ut arderent (ligna) super altare Domini Dei nostri, sicut *scriptum est in lege Moysi* » l. c. 10,34 (35);

« in die autem illo lectum est *in volumine Moysi* audiente populo et inventum est scriptum in eo » et recitatur locus ex Deut. 23,3 seq. l. c. 13,1.

Iam vero qui ita loquitur et scribit, evidenter patefacit firmissimam persuasionem legem illam (i. e. Pentateuchum) quae nunc denuo promulgetur non promulgari tamquam legem nuper ortam et a sacerdotibus recenter conscriptam, sed tamquam legem illam quam Deus Moysi dederit et quam Moyses in libro conscripserit et populo reliquerit. Hunc esse sensum verborum neque dictiones illas et locutiones ad alium detorqueri posse, ipsis verbis adeo clare enuntiatur ut quibus modis id possit clarius proponi nemo dixerit. Quare ex ipsis illis quae rationalistae admittunt consequitur, tempore Esdrae et Nehemiae ab his duobus, a sacerdotibus, levitis, principibus et ab universo populo legem agnosci et accipi veluti a Deo Moysi datam et a Moyse litteris consignatam. Haec res adeo evidenter constat, ut nemo eam in dubium vocare audeat. Sed quid ex ea consequitur? Solum duo fingi vel cogitari possunt : *aut* Esdras et Nehemias consulto fraudem committunt dicentes legem a Moyse scriptam, dum sciunt tempore recenti eam a sacerdotibus compositam, et omnes ordines huic fraudi cooperantur vel legem subito amplectuntur tamquam legem a Moyse profectam, cum tamen eousque nihil tale innotuerit, et insuper universus populus colla subdit legi tamquam a Deo per Moysen impositae et per Moysen conscriptae, quamvis saeculis anteactis nemo de origine mosaica quidquam noverit vel audierit, verum nunc *prima vice* sub nomine Moysis lex appareat et innotescat; *aut* lex illa quae promulgatur i. e. Pentateuchus revera est originis mosaicae et tamquam talis semper in populo et apud omnes ordines innotuit. Utrum eligemus? utrum duce sana ratione et legibus illis quae in omni investigatione historica valent observatis eligi *debet?* Num assumere licet Esdram et Nehemiam voluisse fraudem committere? Etsi voluissent, num potuissent subito omnibus persuadere olim patribus a Moyse legem datam esse de qua tamen eousque nemo quidquam audivisset? Adde lege illa imponi onera sat gravia, contineri multas populi maiorumque reprehensiones etc.; brevi hoc argumentum omnibus iis conditionibus vestitur, quibus redditur certissimum; cf. *Cornely,* Introd. II 1 p. 38. 39.

Quod argumentum quam firmum certumque sit quo melius perspiciatur, via illa breviter consideranda est qua rationalistae originem recentem legis vel codicis sacerdotalis probare tentant. Asserunt quippe ea quae lege statuantur olim minime exstitisse. Quod ut *Wellhausen* eius rei antesignanus et propugnator efficiat, subsidio utitur simplicissimo. Omnes enim locos quibus in libris Ios. Iud. Sam. Reg.

Par. instituta legis vel codicis sacerdotalis exstitisse asseritur « criticus » ille delet quippe qui ex fraudulenta interpolatione originem debeant iis viris qui lege fraudulenter inducta legem olim iam exstitisse eadem fraude aequalibus voluerint persuadere. Cur igitur locos illos legi testimonium perhibentes delet? quia sibi persuasit legem antea non exstitisse. Ita v. g. 1 Sam. 2,27. 28 quo loco sacerdotium tempore mosaico institutum esse dicitur ad interpolationem recentiorem reiicit; pariter 2 Sam. 15,24 et 1 Reg. 8,4 ubi sacerdotes et levitae distinguuntur tamquam glossas deleri debere contendit quia discrimen illud inter sacerdotes et levitas veluti res plane nova ab Ezechiele sit introductum; eadem licentia genealogias et plurimos locos in libris Paralipomenon quibus legi mosaicae testimonium redditur reiicit et repudiat neque veretur scriptorem illum in eodem ordine et censu collocare cum rabbinis qui fabulas plurimas et mendacia audacissime finxerint (vide Geschichte Israels I p. 128. 145. 147. 151. 157. 167). Quod quam sit et arbitrarium et impium in aperto est positum. Quae adsint in libris historicis testimonia pro lege mosaica, legere poteris apud *Cornely* l. c. et pro libro Iudicum ea sollerter collegit *de Hummelauer* in commentario libr. Iud. et Ruth p. 18 seq. 32. 38. 58. 62. 91. 103. 135. 205. 246. 294. 360.

Speciminis causa unum addam exemplum quomodo *Wellhausen* ex prophetarum libris probet legem mosaicam fuisse ignotam. Osee propheta populum ita loquentem facit : vadam post amatores meos qui dant panes mihi et aquas meas, lanam meam et linum meum, oleum meum et potum meum (Os. 2,5); Deus autem dicit : et haec nescivit quia ego dedi ei frumentum et vinum et oleum et argentum multiplicavi ei et aurum... et cessare faciam omne gaudium eius, sollemnitatem eius, neomeniam eius, sabbatum eius et omnia festa tempora eius etc. 2,11 et seq. Ex quibus verbis haec infert : en, tota religio omnisque pietas in id solum dirigitur, ut fruges terrae habeantur; minime vero ei subsunt res illae quae ad salutem Israel gestae esse dicuntur; nullo pacto sollemnitates quae in codice sacerdotali describuntur conciliari possunt cum hoc cultu quem Osee nobis exhibet exerceri (l. c. p. 100. 112). O praeclaram argumentationem! Etiam nos petimus : ut fructus terrae dare et conservare digneris, te rogamus, audi nos! Ergo tota religio versatur in donis ac beneficiis terrae acquirendis neque ei subsunt facta illa grandia supernaturalia!

Ceterum haec aliquorum rationalistarum opinio de codice sacerdotali post Ezechielem orto eo facilius contemnitur quia ex iisdem castris alii eam cum fastidio et irrisione reiiciunt atque repudiant. Ita v. g. *Dillmann* eam hypothesin nullo pacto admitti posse censet et argu-

menta ab aliis prolata plane insufficientia esse demonstrat et rationibus validis everti et convelli (die Bücher Numeri, Deut. Leipzig 1886, p. 667 seq.). Atque revera ex eo quod Ezechiel saepius alia statuit ea in visione atque ea quae in codice sacerdotali praescribuntur non potest inferri eum scripsisse antea; nam etiam aliqua statuit a Deuteronomio diversa et tamen ipsi illi contendunt Deuteronomium ante eum exstitisse. Neque rationalistae poterunt explicare quomodo eo tempore quo auctoritas prophetarum apud omnes valebat, sacerdotes vel ausi sint vel potuerint multo plura a populo exigere et onera imponere maiora. Et si codex sacerdotalis scriptus esset pro parvulo illo coetu qui post exsilium exstitit, quid sibi volunt longa illa praecepta de finibus duodecim tribuum, de urbibus refugii et de urbibus levitarum, de bellis et de praeda, de arca foederis, de urim et tummim, de unctione pontificis, multaque alia quae ea temporum conditione prorsus superflua erant nec in opus deduci poterant? Haec et similia ex ipsis rationalistarum principiis obiiciuntur; ceterum quicumque ex rationalistis in quaestione pentateuchica documentum quod vocant elohisticum vel annalisticum vel fundamentale ante reliqua exstitisse vel saltem ante exsilium compositum esse docent, etiam illi commento adversantur et sententiam a *Graf, Wellhausen, Reuss* aliisque propugnatam explodunt.

Inter praecipua quae ab Ezechiele in morem inducta sint referunt discrimen inter sacerdotes et levitas invectum; ab eo scil. levitas dignitate sacerdotali qua eousque eminuerint esse spoliatos et in ordinem secundum ministrorum reiectos. At talia gratuito asseruntur. Nam Ezechiel ita loquitur 40,45. 46; 42,13; 43,19, ut discrimen illud tamquam rem omnibus notam et in usu moreque positam exhibeat; simpliciter enim enuntiat quid sacerdotibus conveniat, quid ipsis prae levitis debeatur; sed qui ita loquitur, ordines illos non creat, non primo instituit, verum eos iam exsistere supponit, quemadmodum qui iura et officia enumerat patriciorum atque plebeiorum, hac enumeratione non efficit ut nunc primum in populo oriantur homines nobiles aliique ignobiles, sed ordines illos in usum introductos conditionis officiique admonet. Neque Ezechielem 44,10 seq. illud discrimen in morem inducere, supra iam ostensum est.

Magnam adesse in genere dicendi similitudinem inter Lev. 17-26 et Ezechielem fatentur omnes. Immo *Graf, Kayser* capita illa ad Ezechielem auctorem referunt; alii, ut *Colenso, Kuenen, Wellhausen, Smend,* ea post vatem orta esse volunt iisque transitum fieri viamque parari ad codicem sacerdotalem. Quam opinionem *Dillmann* (die Bücher Exodus und Lev., p. 534) appellat quam maxime perver-

sam (gründlich verkehrt) et falsis principiis criticis innixam; exhiberi autem iis in capitibus leges antiquissimas quae non solum in Deut. et apud Ezechielem supponantur, sed etiam in omnibus libris ante exsilium scriptis. Ipsa vero capita illa, sicut totus codex sacerdotalis quem vocant critici, ubique rem describunt in deserto gestam post exodum ex Aegypto et ante ingressum in Palaestinam; quam saepissime asseritur singula ad Moysen esse dicta : *locutus est Dominus ad Moysen* Lev. 17,1. 8; 18,1; 19,1; 20,1; 21,1. 16; 22,1. 17. 26; 23,1. 9. 23. 26. 33; 24,1. 13; 25,1; leges statuuntur quae solum in deserto observari poterant et quae in omni alia vitae conditione prorsus essent absurdae; v. g. 17,3 seq. ut qui in castris vel extra castra animal mactaverit, offerat ad ostium tabernaculi oblationem Domino; exitus ex Aegypto tamquam eventus plane recens commemoratur frequenter 18,3; 19,34. 36; 22,33; 25,38. 42. 55; 26,13; habitatores chananaei tamquam mox eiiciendi describuntur 18,3. 24; 20,23; 23,10; iubetur Moyses loqui ad Aaron, Aaroni praecepta dantur 21,17. 24; 22,2. 18; 24,3. 9; tota narratio de blasphemo 24,10-23 desertum et castra et legislationem in deserto paulatim crescentem oculis subiicit; demum ipsa subscriptione leges illae ad Moysen referuntur 26,45 : « haec sunt iudicia atque praecepta et leges quas dedit Dominus inter se et filios Israel in monte Sinai per manum Moysi ». Habes hic ex parva quadam parte codicis sacerdotalis specimen aliquod, quomodo cuncta ita conscripta sint ut necessario ad Moysen referri debeant. Unde eadem necessitate sequitur *aut* leges illas ad aetatem pertinere mosaicam *aut* fraude quam maxime insigni ab hominibus falsariis esse confictas et nomine Dei populo impositas. En, ad quas absurditates adducantur ii qui codicem sacerdotalem recentioris esse originis statuunt!

Hisce coronidis loco addo Ezechielem loquendi modos non solum depromere ex Lev. 17-26, sed etiam ex aliis partibus codicis sacerdotalis; ita ratio loquendi 4,5 conformatur ad Num. 14,34, et quod dicitur 7,13 : quia qui vendit ad id quod vendidit *non revertetur,* prorsus intelligi nequit nisi legem Lev. 27,24 supposueris. Eodem modo ratio dicendi 13,2 de prophetis qui de corde suo prophetant dictionem refert ex Num. 16,28; actio symbolica 37,16 ad formam in Num. 17,2. 17 propositam exigitur et si 4,5. 6. lectionem textus hebr. genuinam existimaveris, numerum vix aliter quam ex Ex. 12,40 explicabis. Dictio illa 1,9 חברת אשה אל אחותה deprompta est integra ex Ex. 26,3; et 1,27 dictio legitur *sicut aspectus ignis,* uti Num. 9,15; dictio illa quam dicunt elohisticam עצם היום הזה legitur apud Ez. 2,3; 24,2; 40,1; item dictiones eiusdem generis, uti *facere iudicia,* 5,10. 15; במאד מאד 16,13; quod legitur Gen. 7,14 כל צפור כל כנף eodem modo legitur Ez. 17,23

et cf. 39,4. 17; pariter Ez. 36,3. 13 allusio cernitur ad Num. 13,32; dictio : in terram super quam levavi manum meam ut darem eis Ez. 20,28. 42; 47,14 deprompta est ex Ex. 6,8. Num. 14,30 et sim. Ez. 20,6. 15. 23; et quod legitur 28,14 *cherub protegens* כרוב הסוכך non potest intelligi nisi Ex. 25,20 et 37,9 supponatur notum (cf. *Keil,* Commentar über d. Proph. Ez. 2 ed. 1882 p. 30).

Quare quocumque demum modo rem consideraveris, illa aliquorum rationalistarum sententia omni caret fundamento et ipsis quoque aliorum rationalistarum placitis evertitur et explosa prosternitur.

c) **Contra chiliastas.**

Uti *S. Hier.* refert, Iudaei censebant templum quod Ezechiel vidisset esse aedificandum ad litteram in adventu Messiae (ad Ez. 40,5. *M.* 25,375); de qua Iudaeorum opinione satis multa congessit *Weber,* System der altsynagogalen palaestinischen Theologie aus Targum, Midrasch und Talmud, Leipzig 1880 p. 358 seq. Etiam inter protestantes recentiores non desunt qui existiment ea omnia quae Ezechiel in visione perceperit in ultima regni messianici periodo esse implenda ad litteram; eo enim tempore Iudaeos non solum iri conversum ad Christum, sed etiam reversuros esse in Palaestinam, templum et urbem aedificaturos et cultum sacrum instituturos ad normam a propheta delineatam (ita fere *Auberlen,* der Prophet Daniel, 2 ed. p. 356 seq., *Baumgarten, Hofmann, Volck* aliique quos allegant *Schr. Keil*). Ex catholicis fere nemo ita visionem hanc interpretatus est; solum *G. K. Mayer* sibi persuasit templum iri aedificatum et in eo sacrificia quoque oblatum iri cruenta et incruenta ea ratione qua in visione ostensum sit vati (cf. die messianischen Prophezieen des Ezechiel, Wien 1864 p. 188 seq.).

Sed eam interpretationem litteralem omnino aberrare a sana ratione facile potest ostendi. Nam qui praecepta de cultu et de templi aedificio eo modo esse in opus deducenda docent prout verba sonant, ii totam visionem secundum eandem normam accipere debent, si sibi constare velint. Esset enim profecto quam maxime arbitrarium et ab omni interpretandi constantia alienum, si priora capita ad sonum litterae exigerent, ultima vero quae plane eodem ordine consistunt vel negligerent vel nescio ad quem alium sensum symbolicum deflecterent. Iam vero in ultimis capitibus ea praescribuntur quae iam nullo pacto fieri posse luce meridiana clarius est. Enumerantur enim duodecim tribus; singulis peculiaris quidam terrae tractus assignatur; filii Sadoc funguntur sacerdotio, reliqui posteri Levi varia obeunt templi mini-

steria. Sed ubinam gentium et terrarum sunt tribus illae duodecim? ubi terrarum filii Sadoc? ubi levitae, qui se ex Levi posteris esse ostendere possint? Iudaeos exsistere in orbe universo scimus et experimur: at tribus singulas immaculata stirpe esse servatas vel genealogias inveniri posse quibus ad quam quisque tribum pertineat manifestum fiat, cui, quaeso, unquam in mentem venit? Sed si nemo Iudaeorum iam dicere potest, cuius tribus sit, immo si iam ex longissimo tempore tribus pleraeque plane interierunt et apud gentem Iudaeorum genera laicorum, sacerdotum, levitarum plane sunt inter se commixta, quomodo in ultima periodo messianica ea possunt opere exprimi quae Ezechiel de singulis tribubus, de filiis Sadoc, de levitis praecipit? Unde evidens est litteralem acceptionem iam propterea esse repudiandam quia ea statuit et postulat quae fieri prorsus nequeunt, proin quia plane absona et absurda a propheta dici necessario sequitur. Ad idem fere refertur quod propheta de fonte dicit e templo egrediente et mox mirum in modum crescente. Nam etsi quis contendat fieri posse ut quondam ex monte templi in Ierusalem novus prorumpat aquarum fons ex aquis diu in montis cavernis ubertimque collectis, num etiam dicet eiusmodi aquis mare mortuum posse dulcescere? num eiusmodi aquis ea inest vis sanandi quam eis propheta attribuit? Et quid de arboribus in utraque rivi ripa? In rerum natura tales arbores non exsistunt; Deum autem nova rerum genera esse creaturum pro chiliastis nulla revelatione constat. Cum enim per peccatum rerum natura non mutata sit, redemptio quae est reparatio damni ab Adam illati nullo pacto exigit, ut novae rerum species producantur. Unde qui eas postulat, nulla certa veritate innixus eas postulat.

Dein cultum veteris legis, sacrificia illa cruenta et incruenta, denuo iri instauratum in ultima regni messianici periodo, nequaquam cogitari potest. Quae enim in epistolis S. Pauli ad Galatas et Hebraeos scriptis de illis caerimoniis docemur, planissime convincunt eiusmodi instaurationem ex rei natura et ipsa illorum rituum notione ac significatione omnino repugnare. Qui est filius adultus nequit reverti ad aetatem puerilem neque duae hae aetates in uno eodemque consociare possunt; eadem plane ratione elementa illa infirma et vacua, elementa mundi, umbra illa et figurae nequeunt consistere in virtute, in luce, in plena typorum impletione quae habetur cum novo foedere. Illa sunt antiquata, illa interierunt (Hebr. 8,13); quomodo possent ad vitam suscitari? Sicut servitus et libertatis conditio inter se excludunt, ita vetus et novum nequeunt simul consistere. Cum adsint coelestia, quis exemplari et umbrae coelestium deservire poterit? cf. Hebr. 8,5. Translato sacerdotio necesse est ut et legis translatio fiat; ita S. Pau-

lus statuit Hebr. 7,12; iam Christus sacerdos est secundum ordinem Melchisedech, Messias ex tribu Iuda constituitur sacerdos : ergo sacerdotium aaroniticum cessat et cum eo tota concidit legis veteris institutio; et si docente eodem apostolo iam in Ps. 109,4 reprobatio fit praecedentis mandati propter infirmitatem eius et inutilitatem (Hebr. 7,17. 18), quis consentaneum iudicaverit vel tolerabile, ut haec infirmitas et inutilitas in Christi Ecclesiam introducatur? Haec pauca ex doctrina S. Pauli deprompta sufficiant; multo plura in eius epistolis, in evangeliis, in toto novo testamento facile invenies ad sententiam illam explodendam.

Utique docente eodem S. Paulo « caecitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret et sic omnis Israel salvus fieret » (Rom. 11,25); verum longe aliud est Iudaeos converti ad fidem Christi et eos reverti in Palaestinam ibique templum exstruere et vetere ritu oves et arietes et boves sacrificare. Illud aliquando fore divina oracula Paulo interprete annuntiant, de reditu autem in Palaestinam etc., nihil edocemur, cultum vero antiquum non iri restitutum certissimis constat argumentis. Non promitti reditum in Palaestinam facillime efficitur ex interpretatione oraculorum veterum quam nobis tradunt sacri auctores novi testamenti. Primo enim nos generatim docent promissa illa et oracula pertinere ad eos qui ex cunctis gentibus Christo nomen dederint, non ad Iudaeos origine et genere; ita semen Abrahae sunt quicumque in Christum sunt baptizati, iique soli heredes promissionum constituuntur (Gal. 3,29); Christianos electos *advenas* nominat S. Petrus domum spiritualem, sacerdotium sanctum, genus electum, regale sacerdotium, gentem sanctam, populum acquisitionis (1 Petr. 2,5. 9); per Christum ex Iudaeis et gentibus unus efficitur populus Dei in Christo, unum aedificium spirituale, unum templum sanctum (Eph. 2,13-22); immo « nos enim sumus circumcisio qui spiritu servimus Deo et gloriamur in Christo Iesu », Iudaei genere et a fide Christi alieni iam non circumcisio, sed concisio, praeputium appellantur (Phil. 3,2. 3. Rom. 2,25); nam Iudaeus appellatur *coram Deo* non is qui in carne est Iudaeus sed qui spiritu Dei imbutus cordis circumcisionem habet (Rom. 2,28); filii Abraham sunt non ii qui solam habent circumcisionem, sed quotquot sequuntur vestigia fidei (Rom. 4,11. 12); Iudaei qui fidem Messiae repudiant rami sunt fracti et ab arbore abiecti, in quorum locum inseruntur fideles ex gentibus (Rom. 11,17); regnum Dei aufertur ab Iudaeis et datur genti facienti fructum eius (Matth. 21,43); foedus illud novum quod Deus Israelitis promisit et foederis bona Christianis obtingere et ad Christianos ex quacumque demum natione sint spectare S. Paulus

docet Hebr. 8,8 seq. 10,16 et 12,22; sibi et fidelibus apostoli vindicant et attribuunt promissa in lege vetere facta; vide Act. 13,47. 2 Cor. 6,16.

Secundo Iudaei infideles ab omni sacri nominis communione et cognatione populi Dei excluduntur : vos ex patre diabolo estis, iis dicit Christus ipse (Ioan. 8,44); eos synagogam satanae appellat S. Ioannes (Apoc. 2,9; 3,9) et iam praecursor Domini annuntiat arborem infructuosam iri excisum, ventilabrum esse in manu Messiae, paleas iri proiectum et combustum i. e. Iudaeos infideles iri expunctum et deletum de populo Dei (Matth. 3,10. 12). Unde necessario sequitur Christum et apostolos oracula illa et promissa de regno Dei, de populo Dei intellexisse ita ut illa data sint non Iudaeis genere neque de iis valeant, sed ut spectent ad eos omnes et solos qui fidem Christi amplexi fuerint; ii enim sunt plebs illa perfecta quae Domino praeparari debuit (Luc. 1,17). Denique tertio, ne umbra quaedam dubii relinquatur, eos ipsos locos quos chiliastae de reditu in Palaestinam et de urbe Ierusalem denuo exstruenda explicant, in novo testamento eo modo invenimus exponi, ut eorum impletio iam coepta sit fieri tempore apostolorum et fiat in gentibus ad fidem Christi accedentibus. Ita conversione gentium tempore iam suo reaedificari tabernaculum David quod decidit S. Iacobus in concilio apostolorum affirmat et vaticinium Amos (9,11) iamiam in opus deduci asserit Act. 15, 14-19. Atque eodem modo S. Paulus suo iam tempore conversione gentium ait impleri vaticinium illud Isaiae 54,1 seq. de urbe Ierusalem denuo aedificanda : illa enim quae sursum est Ierusalem est mater nostra; scriptum est enim : laetare sterilis quae non paris etc. Gal. 4,26 seq.; sed quid fit de Iudaeis infidelibus? « eiice ancillam et filium eius; non enim heres erit filius ancillae cum filio liberae; itaque fratres non sumus ancillae filii, sed liberae » Gal. 4,30. 31.

Atque ipsa quoque veterum prophetarum oracula, si rite ex sua connexione perpenduntur, opinioni illi chiliastarum opponuntur. Nam tenor eorum is est, ut prius annuntient exsilium in poenam apostasiae, dein reditum ex exsilio, cui statim adiungunt descriptionem regni Dei instaurati et universalis ad quod gentes assumentur; vel reditum ex exsilio considerant ut primum quasi gradum et praeparationem et inchoationem quandam ad magnum illud ac splendidum Dei regnum, in cuius gloriae contemplatione et admiratione sanctitatis potissimum versantur. Unde ab exsilii solutione transeunt ad instaurationem urbis eique immediate adiungunt ortum et propagationem regni Dei, cuius dein bona, gloriam, sanctitatem laudibus extollunt. Iam eo in contextu eos reverti ad urbem lapidibus exstructam eique et

templo (quae tamen propter Messiam a Iudaeis reiectum iterum destructa sunt) *alteram* aedificationem et Iudaeis dispersis *alterum* promittere reditum, nullo verbo indicatur. Prophetae enim non loquuntur nisi de *uno* reditu, de *una* aedificatione post exsilium quod suis aequalibus annuntiant; hoc autem exsilium quod annuntiant non est exsilium per Romanos invectum quod perdurat, sed est exsilium illud populi per Assyrios et Chaldaeos effectum; et post *hoc* exsilium prophetae non norunt nisi *unum* reditum et *unam* urbis aedificationem quam subsequatur gloria regni messiani. De qua re vide quae dicta sunt ad Os. 2,18; 3,15; 14,5 seq. Am. 9,11 seq. Mich. 2,12. 13; 4,1 seq. 7,11. Zach. 2,4 seq. et praesertim quae latius tractavi in commentario Isaiae II p. 64. 243 seq. 275 seq. 339. 344. 422 etc. quibus locis etiam explicavi quomodo appellationes *Sion, Ierusalem* non ubique sensum habeant geographicum, sed ex ipsa veteris foederis ratione supponantur pro regno Dei, cuius sedes et centrum revera olim fuerint. Unde chiliastae, etsi solum oracula prophetarum in se spectaveris, pluribus peccant : nexum et contextum non attendunt, sed singula quaedam effata e contextu avulsa proponunt; nomina Sion, Ierusalem sensu ubique geographico accipiunt, non attendentes quemadmodum in sermone quoque profano nomina Romae, Athenarum, Babylonis pro regnis supponantur, ita nomina quoque Sion et Ierusalem poni pro regno illo cuius fuerint sedes et centrum i. e. pro regno Dei vel theocratia in universum; dein pleraque vaticinia non dirigi ad populum Dei, sed ad eos dici existimant qui eiecti sint ex regno Dei et abscissi ab oliva theocratiae; ergo volunt spiritum propheticum vix loqui de Ecclesia Christi quae iam exstat a tempore Christi, sed fere continuo loqui ad Iudaeos apostatas iisque reditum in Palaestinam et urbem lapidibus exstructam promittere, de quibus rebus illi minime curant.

Sed fortasse quis dixerit : adstruamus impletionem *duplicem;* alteram qua Sion et Ierusalem et Israel eo sensu ponatur quo apostoli explicant, alteram quae futura sit et qua sensu geographico nomina accipiantur; ita amice omnia concilientur! Ergo redeundum est ad multiplicem sensum litteralem, qui tamen merito iam dudum explosus iacet (cf. *Cornely,* Introd. I p. 522 seq.), ergo ea interpretatio adoptanda quam *S. Hier.* per omnia vaticinia tamquam absurda Iudaeorum ac iudaizantium deliramenta acriter insectatur ac castigat et quam alii quoque Patres et interpretes catholici fere ad unum omnes constanter repudiarunt? Praeterea qui illam impletionem in urbe geographica propter *sonum* vocis amplectuntur, multa alia si sibi constare voluerint amplecti debent. Amplecti enim debent et adoptare

sententiam fore, ut mons Sion ponatur in vertice montium et elevetur super colles (Is. 2,2. Mich. 1,1), ut tota regio circa urbem montana et aspera in planitiem redigatur, urbs vero exaltetur, ita ut aquae vivae de Ierusalem egressae partim ad mare mortuum, partim ad mare mediterraneum fluant (Zach. 14,8-10), fore ut urbis fundamenta ponantur in sapphiris, moenia e gemmis exstruantur, propugnacula ex iaspide (Is. 54,12) et multa similia. Si enim ex eorum sententia Sion montem dicit qua montem physicum et Ierusalem urbem qua moenibus domibusque constantem, tunc elevatio montis vel aedificatio urbis vel complanatio regionis etc. sane eodem sensu physico capiatur oportet. Haec tamen et similia ab ipsis chiliastis non postulantur, saltem non omnia.

Et quia semel sermo incidit de chiliasmo, etiam illud non est praetereundum, describi tempus illud ab eius patronis tamquam tempus pacis summae, felicitatis et sanctitatis plane mirabilis, quo persecutiones ab hostibus et tentationes a natura corrupta exsulent, quo omnes vitam agant iam his in terris beatissimam. Atque ita oracula prophetarum ex norma chiliastarum explicantur, dum scil. verba prophetarum e contextu avelluntur, dum oracula explicantur ita ut non attendatur ad modum loquendi prophetarum quo saepe exhibent vim, virtutem, gloriam regni messiani prout absolute est in se vel in aeternitate manifestabitur aut quo vaticinia dant tacita conditione quae ex hominum parte requiritur ad ea complenda. Saepe enim talis conditio non apponitur, cum tamen apponi et subintelligi debeat ex norma statuta apud Ieremiam 18,7-10 et apud Ezechielem 33,13-16; quandoque apponitur ita ut hominum libero arbitrio relinqui appareat, in quantum bona illa immensa messiana revera et singulis et populis obveniant (vide ad Zach. 6,15). Haec omnia cum chiliastiae negligant, mirum non est eos ex oraculis illam vitae conditionem derivare. Verum etiam considerari oportet illam beatam vitae rationem ad Christi parabolas et effata aptari non posse. Nam in agro crescunt zizania simul cum tritico usque ad messem i. e. in Ecclesia boni adsunt et mali usque ad saeculi consummationem; in sagena regni coelorum sunt pisces boni et mali; solum in consummatione saeculi separabuntur ab angelis (Matth. 13,25-42. 47-50). Secundum Christi verba beati sunt flentes, lugentes, beati qui persecutionem patiuntur; in mundo suos pressuram habituros dixit, discipulum non esse supra magistrum, unde ipsis quoque infestationes fore; « qui vult venire post me, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me »; secundum apostolum qui sunt Christi crucifixerunt carnem suam, omnes iubentur vigilare quia adversarius diabolus circuit quaerens quem devoret et innumera alia quae afferre non opus est. Num haec omnia aliquando

evacuabuntur? num tantum pro aliqua parte Ecclesiae militantis dicta sunt? et solum pro aliquo tempore? num erit periodus Ecclesiae, in qua omnia haec sepulta iacebunt? Alia sane vita et profecto arcta via ad coelum in evangeliis et scriptis apostolicis nobis proponitur; de illa chiliastarum beatitate tacent.

Sed ut ad Ezechielem revertamur, existimo apud ipsum indicia nobis dari sat clara et distincta, ex quibus pateat eum populum Dei nequaquam arctis finibus terrae Palaestinae velle includere. Nam haud uno in loco graviter monet Deum populum suum multiplicaturum (36,10. 37; 37,26), iubet advenis quoque dividere possessionem in medio tribuum Israel; sed si haec ad parvam regionem palaestinensem restringuntur, promissa haec satis sunt exilia. Neque possunt restringi; nam Israel accipiet Sodomam et filias eius tamquam sorores suas (16,53. 61); gentes ad quas Israelitae intrarunt ex Israelitis et ex eorum sanctitate et beneficiis iis collatis agnoscent Dominum, ad eum convertentur, gloriam Domini praedicabunt; brevi per Israel Deus sanctificabitur in gentibus (cf. 20,41; 28,25; 36,23; 37,28); Israel est uti Michaeas dicit ros in medio populorum. Sed quomodo isti cultores Dei omnes gentes ad quas olim dispersi erant docere possunt et ad Dei agnitionem et laudem adducere, si ab omnibus separati angustis Palaestinae terminis includuntur et absconduntur? Nisi ergo prophetam satis ridicula et inter se pugnantia proferre concesseris, non poteris reditum ad Palaestinam et habitationem in ea regione ita interpretari, ut propheta populum Dei iis finibus geographicis coarctatum voluerit. Quare hac quoque consideratione prostrata iacet opinio chiliastarum.

d) **Visio symbolice est explananda.**

Quomodo visio non sit accipienda vidimus. Atque revera aliquid admirationis mentem subit quomodo multi in ea *visione* adeo possint errare, cum tamen *visiones* aliae apud vatem legantur quas nemo prout verba sonant ita in rerum natura exprimi arbitratur. Nemo enim in visione prima de curru Dei et cherubim Deum censet eo modo vehi; igne et nube circumdari etc., nemo cherubim ea forma exsistere opinatur etc. Atque in alia visione de idololatria in urbe grassante cp. 8 et de incendio urbis et occisione idololatrarum cap. 9-11 omnes distinguunt inter ipsam notionem rei et involucrum vel simulacrum quo idea vel cogitatio repraesentatur. Pari ratione si vates videt volumen expansum illudque devorare iubetur et in ore invenit dulce (2,9-3,3), quid eo symbolo portendatur et quomodo repraesentatio illa symbolica concipienda sit nemo haerebit anceps. Et si vates *in spi-*

ritu educitur in campum magnum ibique ossa conspicit arida nimis multa, quae deinde ipso prophetante nervis, carnibus, cute induuntur et spiritu immisso demum vivunt, nemini in mentem venit ea prout verba sonant explicare et exigere, ut id quod vates vidit *eodem modo* in re fiat et exsistat. Nonne igitur absonum est in ultima visione id supponere vel postulare quod in aliis visionibus antecedentibus plane esset ridiculum? Ergo ex simplici consideratione aliarum visionum iam inferre debemus ea quae visa sunt non debere *eodem modo quo visa sunt* in opus deduci, sed notiones rerum et ideas exprimi quibusdam simulacris et imaginibus.

Quaenam autem sint hae rerum notiones et ideae, facile colligitur ex ordine oraculorum antecedentium et ex libri prophetici dispositione. Incipit liber propheticus visione qua notio Dei foederis (qui scil. foedus violatum vindicat et foedus promissum exsequitur) symbolis exprimitur, qua visione utraque libri pars comprehenditur. Unde cum altera libri pars quae tota est de instauratione eaque messiana visione concludatur, iam per se summe erit probabile, in ea visione per modum visioni consentaneum eandem depingi instaurationem. Idque ex eo certum evadit, quia etiam cap. 37 post oraculum de nova vita populo largienda (36,22-32) sequitur visio qua idem oraculum ratione symbolica et ad visionem accommodata exhibetur. Dein uti in priore parte libri argumentum quod in ruina et causis ruinae continetur, visione illa cp. 8-11 illustratur, ita conveniens erat ut argumentum praecipuum partis alterius etiam non solum verbis sed visione quoque delinearetur. Quare ipsa re inducimur ut dicamus : quae antea de instauratione verbis sunt proposita, iam in visione symbolis et simulacris exhibentur. Unde consequens est ea visione *non* induci argumentum *novum* quod antea non sit tractatum, sed eam regulam interpreti imponi quam in aliis visionibus observatam cernit, scil. id quod in visione repraesentetur etiam verbis declarari in libro prophetico. Visioni autem proprium est exhibere symbola rerum. Id apud Ezechielem eo magis valere debet et interpreti considerandum est, quia alias quoque et extra visionem vates symbolis haud infrequenter utitur. Recole enim symbola quae habentur cap. 4. 5. 12. 15. 16. 17. 19. 21. 23. 24. 27. 28 etc.; quare cum gratia non destruat naturam et Deus utatur hominibus pro eorum indole et natura, apte prorsus et consentanee fiebat, ut crebrioribus symbolis ea exprimerentur et ad vivum depingerentur quae de instauratione theocratiae divinitus acceperat antea verbis proposita et descripta.

Ex his igitur duo habemus certa : quae visione exhibentur non eodem modo quo videntur in opus deducenda sunt et argumentum

visionis ea est instauratio de qua antea vates locutus est. Hisce duobus quae ipso libro Ezechielis considerato et eius ordine perpenso nobis imponuntur, iam praefiguntur interpreti certi quidam limites, sed simul etiam faces ei praeferuntur quibus tenebrae illae quas veluti cimmerias huic visioni esse offusas multi conqueruntur aliqua ratione dispellantur. Dico aliqua ratione; nam quid visione repraesentetur et ad quid symbola illa dirigantur, generatim dicere possumus; at quid *singula* sibi velint et in quantum symbola singula res futuras significent, quid singulae partes aedificii, singuli numeri, dispositiones illae ac leges portendant vel num certum aliquid ac definitum portendant aut solum inserviant ad notionem quandam generalem pietatis, devotionis, sanctitatis, obsequii divini etc. exornandam et accuratius describendam, non is ego sum qui hoc explicare ac decernere audeam neque quisquam hactenus id praestitit eo modo qui possit probari. Quare eadem rei difficultas de qua non semel *S. Hier.* conquestus est, in huius visionis commentario etiam hodie sentitur.

Librum undecimum commentariorum in Ez. ad finem cap. 39 perduxit *S. Hier.* ibique voluit sistere; ita enim concludit: « hucusque in Ezechielem prophetam Deo ut optamus et credimus auxiliante et aperiente os nostrum locuti sumus, non aliorum si qui scripserunt vel deinceps, si scripturi sunt, sententiam destruentes sed asserentes qualiacumque sunt nostra. In aedificatione autem templi et ordine sacerdotum terraeque sanctae divisione et flumine egrediente de templo et de arboribus ex utraque ripa semper virentibus et per singulos menses afferentibus fructum et reliquis quae usque ad finem prophetico volumine continentur, aperte imperitiam confitemur, melius arbitrantes interim nihil quam parum dicere ». At mox cessit tamen petitioni Eustochii, uti in initio libri duodecimi narrat, quae excusationem eius vertit in contrarium referre putans saltem parum quam nihil dicere et commemorans eam esse naturam hominum, ut non tantam gratiam habeant pro his quae quis tribuerit quantum dolorem super his quae negaverit. Sed aperte fatetur : « illud in explanatione templi tota libertate denuntio lectori fastidioso, ut si veritatem desiderat quaerat eam ab aliis ». Et librum decimum quartum (ad 45,10 seq.) incipit ab illo versiculo : « hic labor ille domus et inextricabilis error — de quo et in alio loco idem poeta (Virgilius) decantat :

ut quondam Creta fertur labyrinthus alta
parietibus textum caecis iter ancipitemque,
mille viis habuisse dolum qua signa sequendi
falleret indeprensus et irremeabilis error,

ita et ego istarum Scripturarum ingressus oceanum et mysteriorum Dei, ut sic loquar, labyrinthum, perfectam quidem scientiam veritatis mihi

vindicare non audeo » etc. Atque saepius quoque per commentarium significat s. doctor sibi ipsi minime satisfieri sua ipsius explanatione; v. g. « haec non frivola videantur esse lectori, licet et mihi ipsi qui dico displiceant, sentiens me clausam pulsare ianuam, sed legenda cum venia sunt » (ad 40, 13. *M.* 380). Eandem rei difficultatem etiam post *S. Hier.* interpretes senserunt. Ita *Mar.* orditur (et ex uno disce omnes) : « postrema Ezechielis visio in templi fabrica consumitur omnium plane difficillima, ut inter noctis tenebras hallucinari lector videatur; hoc et antiquis Patribus contigit ». Hoc igitur habeat solatium interpres, si res non ex voto succedat : solamen miseris socios habuisse malorum.

Ex 43,10 hebr. propheta iubetur populo *annuntiare* templum quod viderit, ut confundantur ab iniquitatibus suis et erubescant. Ea enim visione, prout ex una parte in memoriam revocabatur quid sua culpa amisissent, ita ex altera simul pignus dabatur fidelis Dei in populum amoris, quo foedus novum inire et theocratiam collapsam instaurare vult. Unde argumento visionis vehementer incitabantur, uti ad pudorem et confusionem propter culpas admissas, ita ad magnam quoque spem propter Dei fidelitatem et amorem. Nam, ut *Richardus a Sancto Victore* dicit : « iudaicae captivitatis multa tempora iam fluxerant, iamdiu sub magna afflictione filii Israel laboraverant et tam pium quam necessarium fuit eos inter tot dura et diuturna mala magnam aliquam consolationem recipere et divinae erga se pietatis argumenta sentire, ne inter tot calamitates penitus deficerent et de divino adiutorio penitus desperarent » (*M.* 196,538). Imago autem instaurationis eo modo exhibetur qui ad indolem et institutionem veteris foederis accommodatus est. Unde formae illae repraesentantur Iudaeis familiares, quibus in vetere foedere cultus Dei et pietas exercebatur, et coetus populi Dei describitur largissima Dei benedictione beatus. At simul duo in visione clare eminent quibus cavetur ne instauratio nimium ad veterem normam concipiatur : in imagine enim quaedam exhibentur et quaedam desunt, ut statim appareat instaurationem illam non esse restitutionem ordinis veteris; insuper alia adduntur quae nullo modo in re ipsa exsecutioni mandari possunt (cf. cap. 47. 48) et in quibus igitur ea continetur monitio atque significatio, quae iam ex visione colligi debet, scil. res in visione propositas non eodem modo esse in opus deducendas, sed proponi simulacra quaedam et symbola rerum, ita ut distingui oporteat inter imaginem et notionem vel rem imagine depictam. Hic modus prophetandi plane similis est ei quem in oraculis aliis quoque deprehendimus, quae verbis solis sine visione adiuncta funduntur. Ita si tempore Davidis vaticinium editur de regno aeterno Messiae, istud vaticinium ita effertur, ut initium capiatur a throno qui

iam adsit et *iste* thronus dicatur stabiliendus in aeternum : stabiliam thronum regni eius usque in sempiternum; thronus tuus erit firmus iugiter (2 Reg. 7,13. 16). En, habes thronum davidicum qui stare perhibetur in aeternum; at thronus ille non eo modo quo in vetere theocratia exsistebat erectus est in regno messianico. Idem applica ad visionem hanc!

Quod verbis propriis vates annuntiaverat : dabo sanctificationem meam in medio eorum in perpetuum 37,26, id in visione *plastice* exprimitur. Quare gloria Dei in templum ingreditur; templum autem ita collocatur, ut revera in media regione consistat, dum septem tribus ab eo aquilonem versus habitant, quinque meridiem versus et una tribus levitarum, sacerdotes scil. et levitae ministri, circa templum habitant. Foedus autem pacis quod promittitur 37,26 cernitur expressum ac delineatum in fonte illo salutifero, qui cap. 47 describitur, in ubertate terrae, in arboribus illis, quae per singulos menses fructus ferunt et quarum folia sunt ad medicinam etc.; foedus quippe *pacis* cumulum omnium bonorum in se continet quae apte eo modo ad vivum describuntur. Tamquam gens una cui praeest unus princeps (37,22), uti antea verbis, ita nunc in visione describitur Israel. Quod antea dictum erat : non polluentur ultra in idolis suis 37,23, in visione exprimitur lege illa, ne incircumcisos corde ad sanctuarium admittant 44,6-9 et in poena qua sacerdotes qui olim cultui superstitioso inservierunt a dignitate sacerdotali exclusi minoribus mancipantur ministeriis 44,10-14. Quod autem in oraculis antecedentibus dictum est de novo spiritu quem accepturi sint, de obedientia divinis mandatis in posterum praestanda, de corde novo ac docili, de pietate et sanctitate quae propria est indoles instaurationis (cf. 11,19; 20,40 seq. 36,25 seq.), hoc exprimitur et vivis coloribus quasi depingitur praeceptis in visione propositis de cultu Dei, de sacrificiis offerendis, de sollemnitatibus celebrandis, de oblationibus variis faciendis (cap. 45. 46). Haec omnia quidem veteris foederis formam prae se ferunt; id sane aptum erat, ut pro aequalibus Ezechielis pietas et obsequium divinum ea ratione depingeretur, qua in vetere foedere revera exercebatur et secundum quam normam reduces ex exsilio cultum Dei denuo instaurare debebant. At simul, uti monui, in pluribus receditur a lege mosaica; ideoque iam innuitur instaurationem, cuius symbolum vates exhibeat, fore novum quid a lege vetere diversum; praeterea ex ipsa ratione visionis et ex rebus cap. 47. 48 propositis iam satis apparet ea omnia non proponi eo consilio, ut eodem quo videntur modo exsecutioni mandentur.

Proinde quae de sacrificiis etc. dicuntur, eodem modo intelligi de-

bent, quo alii quoque prophetae cum de periodo agant instaurationis i. e. de tempore messiano, mentionem faciunt sacrificiorum; vide ad Is. 60,7. Ier. 33,18. In sacrificiis quippe cultus Dei et adoratio et agnitio summae maiestatis signo exhibetur externo et visibili. Ita igitur sacrificiis inest et ex divina institutione et ex communi omnium populorum sententia significatio sacra, ut iis homo Deo offerat supremum cultum et adorationem et suam a Deo dependentiam profiteatur. Quare fit hac sacrificiorum significatione, ut etiam apta evadant quae pro *symbolis* cultus et adorationis Dei adhibeantur. Atque profecto, si prophetae delineare cupiebant populum Dei cultui ac servitio plane deditum, nonne id ad mentem et intelligentiam aequalium facere debebant? hi autem sacrificiis assueti erant, hi sciebant iis coli Deum et pietatem religionemque sancte exhiberi; nonne itaque prophetae in sacrificiis quasi in signis pietatis cultum Dei et pietatem repraesentare debebant? Praeterea adverte rebus veteris foederis inesse rationem typicam, qua sicut umbra corpus, ita novum foedus aliqua ratione adumbrant, proinde iure quodam proprio res illae adhibentur quibus res novi foederis designantur. In praeceptis illis de sacrificiis et festis diebus proponitur nobis ab Ezechiele *plastice* populus sacra religione imbutus qui continuo ac sedulo cultum Dei exercet, qui ergo toto corde Deo adhaeret ad eius gloriam et laudem promovendam unice intentus.

Quemadmodum Ezechiel in sacrificiis et oblationibus populi symbolice vel *plastice* describit sanctitatem quae erit indoles propria instaurationis, ita in praeceptis sacerdotibus propositis altiorem illam puritatem atque a rebus terrenis alienationem adumbrat quae in iis requiritur qui sacro ministerio digne fungi volunt. Ex rationibus iam allatis ea quoque praecepta ita enuntiantur, quomodo requiritur, ut aequales vatis ex iis dignitatem, morum puritatem et sanctitatem sacerdotum agnoscant. Ad sacrum ministerium sacris etiam vestibus est utendum, quarum reverentiae consulitur eo quoque quod in loco sacro asservari debent; habitu externo, lege pro coniugio proposita, praeceptis de vitae victusque modo sanctitas quaedam maior exprimitur; Deo autem propiores sunt et a rebus terrenis remoti quia non habent hereditatem, sed Dominus est possessio eorum (44,15-31). Non fit mentio summi sacerdotis neque ritus ille diei expiationis praescribitur. Quare? vix invenies responsionem meliorem quam quae docente S. Paulo nobis suggeritur ex novo testamento. In illa enim expiatione quae erat unica actio a summo sacerdote peragenda et in illo ingressu in sanctum sanctorum cum sanguine sacrificali praefigurabatur cruentum Christi sacrificium et eius accessus ad Patrem cum proprio sanguine sacrificali (Hebr. 9,7-15). Ita autem Christus solus et semel san-

guinis sui oblationem sacrificio cruento perfecit; quare in describenda instauratione, qua rerum conditio permanens et per homines exsequenda depingi debebat, ritui illius diei expiationis locus esse non potuit. Unus adest in nova lege summus sacerdos, Christus, eiusque sacerdotii modo quodam derivato per participationem sunt consortes quotquot sunt novi foederis sacerdotes; in vetere autem lege omnes ex aequo erant sacerdotes neque suum sacerdotium derivabant a summo sacerdote; haec etiam ratio esse potest, cur in instauratione principis sacerdotum non fiat mentio. Haec impletione facta probabiliter dici possunt. Spiritus enim sanctus qui locutus est per prophetas ita verba et visiones et symbola inscio vate neque intelligente dirigere potuit et voluit, ut futura adumbrarentur, quae a nobis non perspiciantur nisi ipsa rerum impletione diligenter inspecta et cum symbolis comparata.

In templi autem aedificio haec potissimum consideranda videntur. Figura illa vati ostensa et exsulibus enarrata, in quantum magnam cum templo salomonico similitudinem prae se ferebat, summopere apta erat qua apud omnes certissima spes reditus et instaurationis templi excitaretur. Unde aedificium illud quo magis accurate per singulas partes describebatur certisque mensuris definiebatur, eo efficaciore ratione evadebat valentissimum spei argumentum, utpote effigies viva et quasi spirans simulacrum eius rei quam Deus ipsa illa in mentis prophetae excitatione spondebat se opere perfecturum. Antea *verbis* promittebatur : erit tabernaculum meum in eis; dabo sanctificationem meam (i. e. sanctuarium meum, hebr.) in medio eorum 37, 26. 27; iam si haec promissio non iam his verbis, sed *rebus* erat exprimenda et repraesentanda, quid aptius vel clarius et ad intelligendum facilius esse poterat pro exsulibus, quam ut templum denuo coram ipsis quasi excitaretur et sublimi quadam specie eius imago mentibus et oculis proponeretur? De qua re vide quae disputat *Vil.* in volumine secundo cap. 12. 13 p. 32-37. Sed advertere oportet vatem uti in aliis ita in templi quoque effigie aliqua proponere a priore templo diversa, ut hac ipsa diversitate iam omnes admoneantur, instaurationem illam de qua agitur non esse meram prioris conditionis restitutionem.

Quam apte autem templi imago ad instaurationem adumbrandam usurpetur, alia quoque consideratione etiam illustrius conficitur. Uti Salomon typus erat Messiae, ita templum a Salomone aedificatum typus erat et figura Ecclesiae quam Messias aedificat, prout ex promissione Davidi facta elucet qua thronus eius qui aedificabit domum nomini Domini usque in aeternum dicitur stabiliendus (2 Reg. 7,13; vide *de*

Hummelauer, Comment. in libros Samuelis p. 322). Idem patet ex eo quod apud Zachariam ille cuius nomen est Oriens i. e. ex hebr. *Germen* templum Domino aedificabit; nomine autem Germinis Messiam designari apud omnes in confesso est (vide quae exposui in Comment. Proph. min. II p. 254) atque de hoc dicitur : et ipse *exstruet templum Domino* et ipse portabit gloriam et sedebit et dominabitur super solio suo (Zach. 6,12. 13). Quare in figura templi excitata praeclaro modo vaticinium continetur de magno illo Dei templo quod in orbe terrarum per Messiam erigendum erit, de Ecclesia Christi, quae est domus Dei (1 Tim. 3,15); unde fideles appellantur *Dei aedificatio* (1 Cor. 3,9), *templum Dei,* superaedificati super fundamentum apostolorum et prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis aedificatio constructa crescit in *templum sanctum* in Domino, in quo et vos coaedificamini in *habitaculum Dei* in Spiritu (1 Cor. 3,16 ; 6,19. Eph. 2,20-22), domus spiritualis, cuius fundamentum tamquam lapis vivus est Christus, fideles autem tamquam lapides vivi superaedificantur (1 Petr. 2,4.5). Ex iis autem facile consequitur merito explicari visionem templi de Ecclesia Christi et cum Ecclesia demum in fidelibus consistat et per eos constituatur, ea quae de Ecclesia dicantur aliqua ratione posse quoque ad fideles transferri, dummodo debita cautio et moderatio adhibeatur; de fidelibus et piis quippe ab ipso Christo dicitur : ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus (Ioan. 14,23).

Templum Salomonis typum esse Ecclesiae quam verus ***Pacificus*** aedificet doctrina est apud SS. Patres sollemnis. Paucis exemplis id illustrare satis erit; ita iam S. Irenaeus sine ulla haesitatione dicit de Salomone : typum veri templi aedificabat (adv. haeres. 4,27 n. 1; ***M.*** 7,1057); eandem rationem typicam explanant Origenes (in Ioan. tom. 10 n. 23; ***M.*** 14,381), S. Augustinus (de Civ. Dei 17,8; in Ps. 126 n. 2; ***M.*** 41,540; 37,1668), S. Gregorius nyssenus (hom. 7 in Cant. ***M.*** 44,908), S. Gregorius magnus in variis homiliis de visione Ez. mysticum sensum proponit (***M.*** 76), quas homilias in breviorem formam redactas ***Lap.*** suo inseruit commentario; ven. Beda (de templo Salomonis, cap. 1; ***M.*** 91,737), Rabanus (in 3 libr. Reg. cap. 4; ***M.*** 109,133 seq.); idem legitur in sermone 30 in appendice operum Maximi taurinensis (***M.*** 57,911), apud S. Isidorum hispalensem (in 3 libr. Reg. cap. 1) qui verba recitat ex S. Augustino etc. De eadem ire agit ***Vil.*** l. c. cap. 10 adductis testimoniis ex S. Gregorio, Chrysostomo, Eucherio aliisque depromptis.

Si iam ipsam templi effigiem prophetae exhibitam consideramus, in monte excelso nimis (40,2) in quo templum eminet facile agnoveris exprimi Ecclesiam Dei longe lateque conspicuam, sublimiorem omni

institutione terrena omnemque dignitatem mundanam longe superantem. In monte hoc et in templo ibi constituto facile tibi persuaseris idem exhiberi quod apud Isaiam 2,1 et Michaeam 4,1 in monte domus Domini elevato in vertice montium; unde pro ulteriore explicatione vide quae ad eos locos adnotavi. Eo autem quod templum cernitur longo intervallo separatum a regione profana, notio declaratur sanctitatis; remotum est a tumultu et turbine vitae quotidianae, in sacra quadam eminet solitudine qua reverentiae sensus inspiratur (vide ad 45,1 seq.). Muro satis crasso circumdatur; quam firmo et insuperabili munimento Deus Ecclesiam suam tueatur, muro isto designari poterit. Ipsum templum tribus partibus consistit quae magis magisque assurgant: ad portas et atrium exterius ascenditur par gradus septem, ad atrium interius per gradus octo, ad ipsum sanctuarium autem ex atrio interiore per gradus decem (vide ad 40,49). Qua in re haud inepte opinari poteris innui varios gradus et ordines dignitatis et sanctitatis in Ecclesia, ea fere ratione sicut in parabola a Christo proposita tres gradus assignantur, dum semen quod cecidit in terram bonam fructum dare dicitur aliud quidem trigesimum, sexagesimum aliud, aliud centesimum (Matth. 13,8. 23). Qui fructum dant centesimum, ii sunt qui Deo intime adhaerent, qui igitur in intimum sanctuarium penetrarunt et a iugi cum Deo conversatione iam non separantur. In forma autem totius aedificii quadrata cum variis portis coniicere poteris exprimi Ecclesiam universalem pro quattuor mundi partibus destinatam, ad quam undique gentes confluere debent et ad quam per varias vias et subsidia singuli a divina providentia adducuntur. In isto templo cultus exercetur sacrificalis quotidianus; idem in Ecclesia Christi cultus sublimissimi sacrificii Deo indesinenter offertur a solis ortu usque ad occasum (vide ad Mal. 1,10). Prophetas dum pro tempore quoque messiano sacrificia assignant, revera vaticinari de vero cultu sacrificali qui debeat exsistere in regno messiano alibi iam demonstratum est (vide ad Is. 60,7; 66,21. Ier. 33,18. Mal. 1,10) et eo ipso patet quia in iis vaticiniis frequens est mentio de sacerdotibus pro tempore messiano, sacerdos autem sine sacrificio nequit cogitari. Quare ex hoc uno iam dubitari non potest quin Ecclesia catholica sola eam in se exprimat formam quam Ezechiel de templo Dei futuro divinitus accepit.

Haec in universum dici posse arbitror. Magis descendere ad particularia non audeo, quia de singulis res est incerta an vel quid significent. Multa quidem ab aliquibus excogitata sunt; at quam salebrosa res sit singula velle mystice interpretari, ipsis illis explicationibus clarissime manifestatur. Neque enim pro tali singularum rerum enarratione normae assignari pos-

sunt certae, quibus praelucentibus explicatio via et ratione instituatur, sed pro suo quisque ingenio ad arbitrium exspatiatur libere. Quare alias opiniones et quandoque opinionum portenta alii proponunt. Immensum autem opinionum acervum augere vereor. Et me merito dicere eam rem incertam hisce paucis disce exemplis :

« *Lyranus* in fine comment. in Ezechielem notat S. Gregorium in expositione mystica huius templi per varia et diversa accipere idem; nam et per montem super quem ductus est propheta accipit Christum et per virum mensurantem aedificium, item per portam et alia plura accipit eundem Christum »; ita *Lap.* post cap. 42. Ipse autem Lyranus inter alia haec habet : vestibulo portae intelligi gratiam praevenientem, gratiam autem subsequentem porticu; vel aliter dici posse : per vestibulum et porticum designari voluntatem bonam et operationem sanctam; in duabus vero frontibus exprimi patientiam in adversis et modestiam in prosperis; per thalamos intelligi pacem, et cum pax sit duplex, interna scil. et fraterna, thalamos quoque cerni ex utraque parte; tres autem esse utrobique quia pax interna tribus constituatur, videlicet conscientia munda, amicitia divina, sufficientia modesta; pariter pacem fraternam tribus constare : vera humilitate, aequitate iusta, debita taciturnitate; in triginta gazophylaciis designari impletionem decem praeceptorum necessariam tribus temporibus : tempore legis naturae, legis mosaicae, legis evangelicae; mensis octo significari quattuor partes duorum testamentorum; vetus enim testamentum habere libros legales, historiales, prophetales, sapientiales; similiter novum evangelia, actus apostolorum, epistolas, apocalypsin; in atrio interiore adumbrari sacramenta; templo autem cum suis tribus partibus, porticu, sancto, sancto sanctorum significari tres fidei articulos de unitate essentiae divinae, de providentia quantum ad praemiationem boni et punitionem mali, de sancta Trinitate; etc. etc.

Aliter *Pintus :* in forma quadrata totius aedificii cernit declarari perpetuam Ecclesiae firmitudinem et constantiam, pulchritudinem, quattuor evangelistas, quattuor virtutes cardinales, quattuor mundi partes, ex quibus homines sint ad Ecclesiam venturi; thalamos explicat mansiones praesulum et concionatorum qui eos qui ad portam i. e. ad fidem vel poenitentiam accedant leniter suscipiant; vestibulum ideo esse octo cubitorum, quia octavum diem adumbret i. e. Domini resurrectionem; in fronte exprimi dilectionem, in duobus cubitis amorem Dei et proximi; in decem cubitis liminis adumbrari decem mandata, in septem gradibus septem dona Spiritus sancti et septem virtutes i. e. tres theologicas et quattuor cardinales, in octo gradibus octo beatitudines; in tribus partibus designari tres mundos, in atrio scil. mundum sublunarem, in sancto coelestem, in sancto sanctorum angelicum sedemque beatorum. Aliter *Lap. :* in atrio declarari poenitentes, in sancto iustos, in sancto sanctorum beatos; etc.

Quam incertis vagetur coniecturis mystica singulorum interpretatio etiam ex iis perspicere licet quae *S. Hier.* proponit : « mensus est sancti sanctorum parietem, qui propter fabricam mundi et omnem visibilem creaturam

quae in sex diebus condita est sex habebat cubita »; latitudinem aedificii adiecti 41,5 quae est quattuor cubitorum explicat de quattuor elementis « ex quibus universa compacta sunt et maxime humana corpora »; in latitudine portae trium cubitorum 40,48 « statim prudens lector intelligit trinum numerum ad Trinitatis mysterium pertinere »; numerum autem vicenarium et undecimum 40,49 ideo poni censent plerique, ut *S. Hier.* refert, quia in hoc mortali fragilique corpusculo et aegrotationibus vitiisque subiecto commorantur sacerdotes. Porro post septem gradus poni ait octo, ut de synagoga ad Ecclesiam, de vetere instrumento ad novum, de terrenis ad coelestia transeamus. Quod 41,6 legitur *bis triginta tria*, assumpto loco ex Lev. 12,4 (mulierem quae pepererit masculum debere 33 diebus manere in sanguine purificationis) exponit de secunda nativitate spirituali qua post primam carnalem opus habeamus, ut ad sancta sanctorum perveniamus. Et cur sacerdotes vetentur viduam et repudiatam accipere in uxorem 44,22 ex eo declarat, quia vidua et repudiata est synagoga quae Dominum non receperit; virginem ducere iubentur i. e. sapientiam divinam, vel etiam viduam quae tamen alterius sacerdotis uxor fuerit i. e. scientiam quam alius Dei cultor invenerit; etc.

En pauca quaedam specimina mysticae singularum rerum interpretationis! Et quam incerta res sit et ad cuiusque ingenium vel arbitrium versatilis et flexibilis hisce iam patet; plura si desideraris ad idem comprobandum, lege homilias S. Gregorii. Ingenue fatetur *S. Hier.* suas explicationes sibi ipsi displicere (in Ez. 40,13; *M.* 25,380); quare consultius est ab hac investigatione mystica sibi temperare. Haec enim vestigia terrent. Denique advertas velim in explicatione symbolorum eandem legem esse servandam quam pro parabolis sapienter statuerunt veteres (v. g. *S. Augustinus,* de Civ. Dei 16,2; *M.* 41, 479) et statuunt recentiores, eatenus scil. comparationem esse accipiendam quatenus scopo sive proposito loquentis deserviat (*Salmeron,* Prolegg. in operum tomo I p. 196) et in parabolis haud pauca ornatus causa addi (*Cornely,* Introd. I p. 561) quorum igitur interpretatio quaerenda est nulla. Immo potiore etiam ratione apud Ezechielem a subtiliore indagatione rerum singularum erit abstinendum, quia visio ita dirigitur ad Ecclesiam Christi adumbrandam, ut tamen non haec sola unice spectetur, verum etiam praeparatio illa et inchoatio instaurationis theocratiae repraesentetur quae futura erat exsilio soluto. Unde consequens erat, ut veteris theocratiae lineamenta et formae quasi in proscaenio collocarentur. Quemadmodum igitur non omnia quae in foedere vetere exsistebant typi erant (cf. *Cornely* l. c. p. 539 seq.) neque typicam seu mysticam interpretationem requirunt vel admittunt, ita quoque cavendum est ne singulae huius visionis partes minutae in typos allegoriasque vertantur.

A. M. D. G.

APPENDIX.

Ad pag. 22-28.




EZECHIEL. — 34.

PORTA ATRII EXTERIORIS.

a, Gradus septem, 40,6.
b, Limen prius, 40,6. 11.
c, Thalami, 40,7. 10.
d, Murus intermedius (frons), 40,7. 10.
e, Limen alterum, 40,8.
f, Vestibulum, 40,9.
g, Frontes vestibuli, 40,9.
h, Margo (limes), 40,12.
i, Ostia thalamorum, 40,13.

FIG. I.




g g
f
e
d d
c c c c c c
h h h h h h
i i i i i i
b
a
0 1 2 3 4 5 10
delineavit P. Nager, S.J.
C. Toussaint sc.
P. Lethielleux edidit

PORTA ATRII INTERIORIS.

a, Gradus octo, 40,31.
b, Limen alterum.
c, Thalami, 40,29.
d, Murus intermedius seu frons, 40,29.
e, Limen prius.
f, Vestibulum, 40,31. 34. 37.
g, Frontes vestibuli.
h, Margo (limes).
i, Ostia thalamorum.
l, Conclave, 40,38.
n, Ianua eius, 40,38 (LXX).

Fig. II.



b
i
c
h
h
c
i
d
d
i
c
h
h
c
i
d
d
i
c
h
h
c
i
d
e
d
l
n
f
n
l
g
g
delineavit P. Nager, S.J.
C. Toussaint sc.
P. Lethielleux a edidit

SANCTUARIUM.

A, Vestibulum, 40,48.
B, Sanctum, 41,1. 2.
C, Sanctum sanctorum, 41,3.

a b, Postes vestibuli, 40,48 hebr.
c b, Latera (humeri) portae, 40,48 LXX.
d, Gradus, 40,49 (10 ex LXX).
e, Columnae, 40,49.
f g, Frontes (postes) sancti, 41,1.
g h, Latera portae, 41,2.
i, Postes inter sanctum et s. ss, 41,3.
i k, Latera (humeri) portae, 41,3 LXX.
l, Murus templi, 41,5.
m, Latus, latera (aedificium adiectum), 41,5 seq.
n, Murus lateris, 41,9.
o, Spatium relictum (munach), 41,9. 11 hebr.
p, Ostium lateris, 41,11.
q, Altare, 41,22.

Fig. III.



o
n
m
l
C
k
i
q
p
B
h
g
f
A
c
b
a
e
d
delineavit P. Nager, S.J.
C. Toussaint, sc.
P. Lethielleux edidit
100
50
10
5
0

DELINEATIO TEMPLI.

A, Portae exteriores.
B, Portae interiores.
C, Atrium exterius.
D, Sanctuarium.

a, Murus, 40,5.
b, Cellae iuxta portas, 40,17.
c, Pavimentum, 40,17. 18.
d, Duo conclavia, 40,44 (LXX). 45. 46.
e, Gizrah (locus separatus), 41,10, 12. 13. 14; 42,1. 10. 13.
f, Aedificium versus occidentem, 41,12. 13 (hebr.). 15.
g, Gazophylacia, 42,1 seq.
h, Ambulacrum ante gaz. 42,4 (cf. LXX), 11.
i, Aditus ex atrio exteriore, 42,9.
k, Altare, 40,47; 43,13 seq.
l, Culinae pro sacerdotibus, 46,19. 20.
m, Culinae pro populo, 46,21 seq.

Fig. IV.





FIG. IV.



P. Lethielleux edidit.

Oriens

C. Toussaint, sc.

INDEX

PROLEGOMENA. 1

I De propheta. 1
II De argumento libri 3
III De genere dicendi 7
IV De commentariis. 12

Propheta de munere obeundo edocetur 1,1-3,21 17

a) De tempore vocationis 1,1-3. 17
b) Describitur theophania 1,4-28. 21
c) Declaratur theophania 2,1. 33
d) Vates de munere edocetur 2,1-3,7 41
e) Quomodo munus sit obeundum 3,8-21 47

PARS PRIOR. Iudicia Dei 3,22-32,32 52

Series prima 3,22-7,27. 52

1. *Prophetia re expressa* 3,22-5,4. 52

a) In se debet exhibere calamitatem 3,22-27. 52
b) Symbolum obsidionis Ierusalem 4,1-17 54
c) Reliquiae paucae servabuntur 5,1-4 65

2. *Prophetia verbis expressa* 5,5-7,27. 70

a) Deus quem spreverunt ultor exsistet 5,5-17 70
b) Iudicium de idololatria 6,1-14. 74
c) Quam grave futurum sit iudicium 7,1-27 79

Series altera 8,1-11,25 88

a) Scelera idololatriae 8,1-18 89
b) Iudicium in populum adumbratur 9,1-11 97
c) Iudicium in urbem et templum adumbratur 10,1-22 102
d) Iudicia in duces 11,1-12 109
e) Vatem moerentem solatur Deus. 112

Series tertia 12,1-19,14. 117

a) Sors regis populique portenditur 12,1-28. 118
b) Contra pseudoprophetas 13,1-16. 124

c) Contra falsas fatidicas 13,17-23 129
d) Contra idololatras 14,1-11 134
e) Iam nulla admittetur intercessio 14,12-23 138
f) De populi corruptione 15,1-8 143
g) Parabola de electione populi 16,1-14 145
h) Parabola de perfidia populi 16,15-34 152
i) Poena flagitiis debita 16,35-52 161
k) Instauratio promittitur 16,53-63 166
l) Parabola de perfidia contra regem Babylonis 17,1-10 171
m) Parabola explicatur 17,11-24 175
n) Suorum quisque scelerum poenas pendet 18,1-32 180
o) Carmen lugubre in regni ruinam 19,1-14 187

Series quarta 20,1-24,27 192

a) Qualem se populum praestiterit 20,1-31 194
b) Deus castigatione populum emendabit 20,32-44 201
c) Parabolae de exsequendo supplicio 20,45-21,17 205
d) Gladius Domini per regem Babylonis 21,18-32 212
e) Quam necessario poena inferatur 22,1-16 220
f) Domus Israel in scoriam versa 22,17-31 223
g) Duorum regnorum flagitia 23,1-35 228
h) Poenae adulterae et homicidae 23,36-49 236
i) Parabola de angustiis obsidionis 24,1-14 241
k) Luctus de ruina regni prohibebitur 24, 15-27 246

Series quinta 25,1-32,32 249

1. *Oracula in gentes vicinas* 25,1-17 251

a) In Ammon et Moab 25,1-11 251
b) In Edom et Palaestinos 25,12-17 254

2. *Oracula in Phoenices* Cap. 26-28 256

a) Ruina Tyri 26,1-14 257
b) Terror ex clade ortus 26,15-21 263
c) Opulentia Tyri 27,1-11 267
d) Tyri commercium et opes 27,12-25 273
e) Naufragium Tyri 27,26-36 283
f) Regis Tyri superbia deiicitur 28,1-10 286
g) Carmen lugubre 28,11-19 288
h) Minae in Sidonem 28,20-26 297

3. *Oracula in Aegyptum* Cap. 29-32 299

a) Fastus regis deprimetur 29,1-16 301
b) Ultor mittetur rex Babylonis 29,17-21 307
c) Ultio in Aegyptum latius describitur 30,1-19 310
d) Brachium Pharaonis confringitur 30,20-26 316
e) Cedrus superba succiditur 31,1-18 318
f) Carmen ferale de Pharaone 32,1-16 327

g) Interitus hostium Dei 32,17-32. 332

PARS ALTERA Instauratio theocratiae Cap. 33-48 339

Series prior Cap. 33-38.

1. *Praeambulum ad promissiones* 33,1-33 339

a) Muneris prophetici ratio 33,1-20 341
b) Contra eos qui in Palaestina remanserant 33,21-33. 345

2. *Promissio de bono pastore* 34,1-31 349

a) Pastores mali gregem perdiderunt 34.1-10. 350
b) Dominus ipse servabit gregem 34,11-22. 353
c) Messias pastor bonus 34,23-31 356

3. *Duo pignora instaurationis* 35,1-37, 28 360

a) Oraculum contra Edom 35,1-15 361
b) Restituentur res israeliticae 36,1-15. 364
c) Et restituentur propter Dei gloriam 36,16-38 369
d) Populus mortuus ad vitam revocatur 37,1-14 375
e) De novo populo theocratico 37,15-28. 380

4. *Ultima clades hostium theocratiae* Cap. 38. 39 385

a) Exercitus Gog 38,1-9 386
b) Eius invasio et clades 38,10-23. 392
c) Quanta futura sit clades 39,1-16. 397
d) Manifestatur gloria Dei 39,17-29. 402

Series altera Cap. 40-48 406

1. *Novum templum* Cap. 40-43. 407

a) Introducitur visio 40,1-4 407
b) Describitur porta orientalis 40,5-16. 410
c) Atrium exterius eiusque portae 40,17-27. 418
d) Quae pertineant ad atrium interius 40,28-47 421
e) De vestibulo mensurisque templi 40,48-41,4. 427
f) Templi aedificium describitur 41,5-15 430
g) Templi ornamenta 41,16-26 440
h) De gazophylaciis 42,1-14. 444
i) Mensura areae circa templum 42,15-20. 449
k) Gloria Domini templum ingreditur 43,1-12 451
l) De altari holocautomatum 43,13-27. 456

2. *Novus cultus* Cap. 44-46. 461

a) De ingressu in sanctuarium 44,1-9 461
b) De sacerdotibus 44,10-31.. 466
c) Quae terrae portio seponenda sit 45-1-12 471

d) De oblationibus et sacrificiis 45,13-46,15 476
e) De possessione principis 46,16-18 482
f) De culinis 46,19-24 483

3. *Nova terra* Cap. 47-48 485

a) Fluvius aquae vitalis 47,1-12 485
b) De terrae sanctae finibus 47,13-23 490
c) De divisione terrae 48,1-29 493
d) De urbe 48,30-35 499

4. *Quid ea visione portendatur* 500

a) Adversus aliquos catholicos 500
b) Contra rationalistas quosdam 504
c) Contra chiliastas 510
d) Visio symbolice est explananda 516



CORRIGENDA

Pag. 30 not. 1 lin. 1 e lege et — p. 138,13 inf. תְּ — p. 162,14 רמה — p. 191,16 lege 11 et lin. 7 infr. lege 12 — p. 275,6 infr. Ceylon.